# EXPEDITIO HISPANICA APOSTOLI S. JACOBI MAIORIS ASSERTA, & EX S...

Manuel Caetano : de Sousa

Digitized by Google

7
3-f
22
6
10 0
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

58 A. 20.

7 3. f. 22.

58 6.19.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# EXPEDITIO HISPANICA APOSTOLI S. JACOBI MAIORIS ASSERTA, & EX S. PAULO APOSTOLO CONFIRMATA: DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# EXPEDITIO HISPANICA APOSTOLI S. JACOBI MAIORIS ASSERTA, & EX S. PAULO APOSTOLO CONFIRMATA

# DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA.

Accessere Appendices tres,

I. *De Æde Cæsaraugustanâ à Columnâ dictâ, per Sanctum Iacobum constructâ.*

II. *De gravissimâ authoritate Breviarii Romani.*

III. *Sylloge Authorum omnium gentium, omniumque Ordinum, qui expeditionem Hispanicam S. Iacobi Maioris asserunt.*

AD AUGUSTISSIMUM LUSITANORUM REGEM

# JOANNEM V.



AUTHORE

EMMANUELE CAIETANO SOUSA,
Clerico Regulari, Regiæ Maiestati à Consiliis, Bullæ Sanctæ Cruciatæ Pro-Commissario Generali Apostolico, & Regalis Academiæ Quinqueviro Censore.

ULYSSIPONE OCCIDENTALI,
Ex Prælo JOSEPHI ANTONII A' SYLVA,
Regiæ Academiæ Typographi.

M. DCCXXVII.
*Cum facultate Superiorum.*

Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO PRINCIPI

# JOANNI V.

## LUSITANORUM REGI.

*D tuas aras, Auguſtiſſime Domine, confugiunt* Veritas, Pietas, *&* Gloria Hiſpaniæ *contra Adverſarios ſuos auxilium à Te etiam, atque etiam petentes. Communis earum libellus ſupplex eſt liber,*

*quem ego nunc Tuos ad pedes volutatus Tibi ſiſto, illo ipſæ exponunt ea jura, quibus conſiſæ implorant, ſperantque tutiſſimum præſidium Tuum.* Veritas *quidem illa, quam Tuæ Regalis Academiæ nobile, æternumque Inſigne fore ſapientiſſimè decreviſti, effuſa per firma, exploratasque ſeptendecim ſæculorum teſtimonia, tradit, Sanctum Jacobum Maiorem ad Hiſpaniam ſibi ſorte datam veniſſe, eamque totam peragraſſe, ac proinde etiam Luſitaniam Tuam Euangelii luce perfudiſſe.* Veritatem *excipit* Pietas, *quæ, Te, Regnumque Tuum reddidit Deo mirificè dilectum, atque eundem Apoſtolum ſuſpicit, & Chriſtianæ Religionis, per univerſam Hiſpaniam, & Marianæ Ædis à Columnâ dictæ, ad Cæſarauguſtana mœnia Conditorem. Ex quo* Gloria Hiſpaniæ *ſibi gratulatur, hanc Regionem nactam fuiſſe primum* Veritatis *Magiſtrum, unum ex tribus Apoſtolis Filio Dei chariſſimis; immortaliterque gaudet ipſius Jacobi inviſendi cauſâ, Sanctiſſimam Dei Parentem veniſſe in Hiſpaniam, hincque omnes illius Populos in ſuam recepiſſe fidem, & perpetuam clientelam,*

*quo*

Digitized by Google

*quo nihil dici poteſt huic Provinciæ honoriſicentius; omneſque ſua jura tuentur graviſſimis Terræ, Cœlique teſtimoniis, pluribuſque Decretis Romanorum Pontificum, quos penes eſt hujuſmodi rerum jus, atque arbitrium. Licèt autem Illæ tela adverſantia non ſolùm repellant, ſed infringant, & nonunquam retorqueant in Authores, nihilominus difficiles, & moroſi Critici, quamquam ſæpiùs profligati, non ceſſant Victricibus importunè obſiſtere, atque obſtrepere, quæ proinde juſtiſſimam denuò agunt cauſam, non tantum ſuam, ſed Sancti Jacobi, de cujus ſingularium meritorum magnitudine multum detrahunt, qui ipſi Hiſpaniam abjudicant, laboreſque ab illo in hâc Provinciâ pro Chriſto exanthlatos, non ſolùm elevant, ſed omninò negant. Non Illæ tantum agitant cauſam Jacobi Chriſti conſanguinei, ſed etiam ipſius Chriſti Matris, cujus laudem imminutum eunt, qui ipſam ad fluminis Iberi ripam Jacobo apparuiſſe, Columnamque ad Cæſaraugustam reliquiſſe, perenne monumentum à ſe ſuſcepti, omnium gentium Hiſpaniæ patrocinii, inficiantur. Cauſam*

*ſam denique perorant Sacri illius libelli præclariſſimè ſcripti, & accuratiſſimè recogniti, quo legimus Sacras preces in duodecim menſes diſtributas, & de quo jure merito id dixerim, quod de libello duodecim Tabularum Cicero pronunciavit:* Bibliothecas omnium Philoſophorum unus mihi videtur duodecim Tabularum libellus, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare. *Violat enim, exterminatque graviſſimam authoritatem Romani Breviarii, quiſquis narratam ab eo Hiſtoriam, expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi ad fabulas ablegandam cenſet. Opitulare igitur, Rex Potentiſſime,* Veritati *oppugnatæ. Proſpice* Pietati *in maximum periculum, & extremum pene diſcrimen adductæ. Conſule* Gloriæ *totius* Hiſpaniæ, *atque adeo Luſitaniæ Tuæ intolerabili injuriâ laceſſitæ. Iis annue æquiſſima poſtulantibus, & quæ in aperto, & propatulo eſt à Te concedi, plurimum decere. Quidni enim ſuſcipias cauſam Virginis Mariæ, quæ Luſitanorum Reges, Regnaque innumeris, iiſque ampliſſimis muneribus non ceſſat cumulare? Cauſam illius Cœli,*

Digitized by Google

*Cœli, Terræque Reginæ, quam Inclytus Avus Tuus Joannes Quartus aſcivit in Luſitani Regni Patronam, Virginis Sapientiſſimæ, cujus in tutelâ Tu ipſe, Tuam Regalem Academiam eſſe voluiſti. Quidni confirmes, Auguſtiſſime Rex, cauſam Jacobi, & Regio genere orti, & Regum potentiſſimi Defenſoris, & qui ſæpiùs Luſitanis Tuis clariſſimas peperit victorias, ſeſe ſpectabilem præbens, equo inſidentem, armatum, ſtragemque Barbarorum horribilem edentem, cùm ad Conimbricam, & Salaciam in Europâ, tum ad Goam, Cananorum, & Ormuſium in Aſiâ, tum denique apud Æthiopes in Africâ: ſubſequeris ſane imò, & antevertes Optimos Principes Avos Tuos, quos immortalitati commendavit eximia Pietas erga Sanctiſſimum Jacobum, cujus Equeſtris Militiæ, Ipſe agis Imperatorem. Illi etenim Apoſtolo addictiſſimus fuit Magnus Henricus, Luſitani Imperii Conditor Auſpicatiſſimus, Pietatis ſuæ hæredem reliquit Alphonſum Filium, qui Jacobi feſto die debellatis, fuſiſque in Orichienſi Campo quinque Maurorum Regibus, fuit Primus Luſi-*

*tanorum*

*tanorum Rex à victuro exercitu consalutatus. Alphonsum illum Sextumdecimum Avum Tuum, qui Regnum, & Sacrum Regni Stemma sibi eâdem nocte à Christo data, ad Te unâ cum Pietate felicissimè transmisit. Elisabetha Avia illa Tua,* Reginæ Sanctæ *cognomento celeberrima, tam insigni Pietate in Jacobum incensa fuit, ut bis ad illius sepulchrum fuerit peregrinata, semelque non vehiculo incedens, sed pedibus, adeo, ut sit miraculo proximum, Regalem Fœminam, quæ vigiliis, jejuniisque vires attriverat, & provectâ jam ætate, tantum laboris, itineriisque suscepisse; eâque in peregrinatione religiosissimè perlustravit loca illa, quæ Jacobus olim in terris vivens suâ præsentiâ consecraverat. Quid jam memorem Joannem Secundum, Prædecessorem Tuum, Compostellam adeuntem, ut Sanctum Jacobum ibi sepultum augustè, Sanctèque veneraretur. Prætereundus tamen mihi non est felicissimus ille Lusitani Imperii Propagator Rex Emmanuel, Quintus Avus Tuus, qui dissimulato Regio cultu, obtectâque Maiestate ad Sancti Jacobi sepulchrum accessit, ut nuncupata*

Digitized by Google

*cupata vota perſolveret, illudque ſingulari ſignificatione Religionis inviſit, Temploque illius, præter alia dona, dedit ingentis ponderis, & magnitudinis argenteum lycnum, qui Regio ſumptu perpetuò in eo luceret, omnibuſque eo tempore illic extantibus pretioſiorem, qui ſingulari opere perfectus, arcis ſpeciem præ ſe ferebat, vel ut innueretur, eundem Apoſtolum ibi ſepultum etiam num eſſe arcem provinciæ, cujus vivens extiterat lux, aut vel inde liceret præſagiri, ſemper Luſitanorum Reges Sancti Jacobi gloriæ, & ſplendori propugnaculo eſſe futuros. Quidni denique ratam eſſe velis, & jubeas Sacroſanctam Romani Officii Authoritatem, ad quam aſſerendam vehementiùs incubuit Imperator Carolus Magnus (quem & inter Auguſtos Avos tuos numeras) Princeps ille Eruditiſſimus, exactioris obſervantiæ Sacrorum Rituum diligentiùs ſtudioſus, neque magis à magnitudine rerum geſtarum, ex quâ cognomen traxit, quàm à Pietate in Sanctiſſimam Virginem, & à ſingulari Religione in Sanctum Jacobum Maiorem, omnium ſermone celebratus. Sed quorſum ego*

*in*

*in memoriam revoco tot, tantaque argumenta ab antiquitate petita, quæ Tibi esse possint incitamento, ut huic operi Virginis Mariæ, & Jacobi Apostoli gloriæ servienti, Breviariique Romani authoritatem propugnanti benignè faveas, cùm mihi ad id sperandum satis, superque sit, volumen, quod nunc Augustissimo Tuo Nomini consecro, fuisse elaboratum jussu Tuæ Regalis Academiæ, quam omni munerum genere cohonestandam, decorandamque putavisti. Ne dicam; (absit verbo invidia) huic libro sufficere, ne Tibi gratum fore desperet, fuisse conscriptum à me, cujus tenuitatem Humanitas, & Clementia Tuæ solent non tantum obstringere, sed etiam obruere tot beneficiis, quot si singula patefecero, vanitatis; si omnia reticuero, ingrati animi insimulabor.*

Emmanuel Caietanus Sousa C. R.

# LICENÇAS
# DA ACADEMIA REAL,

## EXCELLENTISSIMOS SENHORES.

SÓ no grande corpo do livro, em tudo grande, que Voſſas Excellencias me mandaõ cenſurar, poderia caber o grande eſpirito do ſeu Author, que tambem he grande em tudo; ſe os eſpiritos ſe mediſſem como os corpos, ainda era pequeno taõ vaſto Volume, mas como naõ occupaõ lugar, ficou larga eſta eſféra de actividade para poder gyrar hum taõ illuſtre genio; e para que ſe verificaſſe o axioma de que os livros pequenos todos ſaõ alma, eſta obra a todos os que a lerem parecerá breve pelo goſto com que, como a mim me ſucedeo, a haõ de ler todos.

A importante queſtaõ da Vinda do Apoſtolo Santiago Mayor a Heſpanha, que a Academia permittio, que ſe diſputaſſe, ſe trata neſta Diſſertaçaõ com taõ erudita doutrina, que parece, que o Catalogo dos Authores, que ſe lê no fim, ſerve mais de moſtrar os muitos de que triunfa, do que os muitos, a que ſegue, porque ſendo tantos, e taõ excellentes, eſta obra excede às ſuas; e os que eſcreveraõ deſte aſſumpto propriamente, e applicaraõ ſó a elle os ſeus eſtudos, veráõ eſcurecida a ſua memoria, pois hum ſó Eſcritor achou tanto, que dizer de novo na meſma materia, e poderiaõ queixarſe, ſe ao meſmo tempo naõ viſſem illuſtrada a ſua fama, authorizando-ſe com as ſuas allegaçoens, quem como Author da primeira claſſe, naõ neceſſitava de authoridades alheas, porque podia ſó por ſi fazer opiniaõ provavel.

Naõ

Naõ he menos achar, que dizer de novo no que tem eſcrito muitos, que o ſer primeiro em diſcorrer ſobre hum aſſumpto; e quando a imitaçaõ, a fidelidade das allegaçoens, a intelligencia dos textos, a refutaçaõ das objecçoens, a ordem methodica das materias, a combinaçaõ das antinomias, a obſervaçaõ Chronologica do tempo, genio, e parcialidade dos Authores, e do eſtylo dos ſeculos, ſaõ as partes eſſenciaes, que fazem eſtimaveis as Diſſertaçoens Filologicas, e Criticas, que ſerá quando ſe vê, como neſte livro ſe admira, muita novidade, ſem que a antiguidade ſe deſtrua, muita piedade, ſem que a verdade ſe offenda, e hum eſtylo ameno, ſem que a gravidade ſe humilhe? Só a impaciencia com que eſte livro foy deſejado, ſerá igual ao goſto com que ſerá recebido. Heſpanha, e Europa veraõ unidas as folhas, que ambicioſamente roubaraõ impreſſas, ainda antes que correſſem publicas, moſtrando, que baſtava para que ſahiſſem à luz, ſer eſcritas por quem ſabia luzir tanto, como as ſuas obras impreſſas acreditaõ, e as manuſcritas promettem.

Se eu tiveſſe declarado o nome do Reverendiſſimo Padre D. Manoel Caetano de Souſa, naõ poderia evitar o vicio da Oraçaõ, a que os Rhetoricos chamaõ Pleonaſmo, porque neſte nome ſabe o Mundo, que ſe illuſtra o dos outros Manoeis, de que tem eſcrito, ſeguindo virtuoſamente os Santos veſtigios do primeiro, e do mayor entre todos. No ſobrenome de Caetano moſtra quanto ſoube imitar o grande Fundador da Religiaõ, que profeſſa; e no appellido de Souſa naõ ſó dizia já os Reys de que por tantas linhas procede, mas o diſcretiſſimo pay, de que a memoria he igualmente precioſa nas Cortes, nos Tribunaes, e nas Academias de Portugal, e de Europa, que a de ſeu Illuſtriſſimo irmaõ, baſtando eſtas diffiniçoens para que ſe conheçaõ D. Franciſco

ciſco de Souſa do Conſelho de Eſtado; e D. Luiz de Souſa, Arcebiſpo de Braga.

Com eſte, e outros muitos trabalhos Academicos, com que o noſſo deſempenha na Academia Real o titulo de *Laborioſo*, que teve na Academia Portugueza, juſtifica com ElRey noſſo Protector a utilidade do projecto, a que devemos eſta glorioſa inſtituiçaõ; e aſſim me parece digniſſimo eſte livro de imprimirſe; e ſe a formalidade de Cenſor me permittiſſe a prevençaõ, de que a amizade me naõ faz ſuſpeitoſo na Cenſura, já teria uſado deſte preſervativo; e a naõ ſer o uſo deſtas approvaçoens, e o deſejo de que a lingua Portugueza ſe faça taõ univerſal em Europa, como as ſuas Conquiſtas nas outras tres partes do Mundo, naõ deixaria de publicar na lingua Latina, que devi à imitaçaõ, e aos preceitos deſte grande Meſtre em todas as faculdades hum beneficio, que ſó podia malograrſe nos meus mal applicados eſtudos. Lisboa Occidental, &c.

*Conde da Ericeira.*

EXCEL-

## EXCELLENTISSIMOS SENHORES.

ESta obra, que Voſſas Excellencias me mandaõ ver, a qual ſem controverſia he a mais copioſa, a mais exacta, e a mais bem eſcrita de todas as que ſe tem publicado ſobre a Vinda de Santiago a Heſpanha, he huma admiravel producçaõ das grandes letras, e incançavel applicaçaõ do Reverendiſſimo Padre D. Manoel Caetano de Souſa, hum dos digniſſimos Cenſores da noſſa Academia, e o Varaõ mais erudîto dos dous ſeculos em que tem vivido; e baſta ſó hum nome taõ reſpeitado na Republica literaria de toda Europa, para a fazer ſuperior a qualquer Cenſura, e incomparavelmente mayor, que todos os Elogios. E poſſo ſeguramente affirmar a Voſſas Excellencias, que ſe a noſſa Academia naõ fizeſſe apparecer no theatro do Mundo alguma outra obra, eſta ſó ſeria baſtante para lhe conciliar o reſpeito, e a veneraçaõ de todos os erudîtos; e me perſuado, que ſe ElRey noſſo Senhor tiveſſe inſtituido a Academia ſó para o fim de que ſe eſcreveſſe eſte grande livro, ſeria aquella reſoluçaõ certamente digna da ſua alta providencia. Naõ ſey, nem devo, nem poſſo dizer mais. Voſſas Excellencias mandaráõ o que julgarem mais acertado. Lisboa, e Congregaçaõ do Oratorio, &c.

*Antonio dos Reys.*

O Dire-

O Director, e Cenſores da Academia Real da Hiſtoria Portugueza, mandaõ imprimir eſte livro, viſtas as approvaçoens do dous Academicos, a que ſe commetteo o ſeu exame. Lisboa Occidental, &c.

*O Marquez de Fronteira.*
*O Marquez de Abrantes.*
*O P. D. Manoel Caetano de Souſa.*
*O Marquez de Alegrete.*
*O Conde da Ericeira.*
*O Marquez Manoel Telles da Sylva.*

PRO-

Digitized by Google

# PROTESTATIO AUTHORIS.

CUM Sanctiſſimus D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii 1625. in S. Congregatione S. R. & univerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii an. 1634. quo *inhibuit imprimi hominum, qui ſanctitate, ſeu martyrii fama celebres è vita migraverunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii; & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata.* Idem autem Sanctiſſimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum *non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Authorum.* Huic Decreto, ejuſque confirmationi, & declarationi obſervantia, & reverentia, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

ELEN-

# ELENCHUS

## TITULORUM PRIMI VOLUMINIS

Expeditionis Hiſpanicæ Apoſtoli Sancti Jacobi Maioris aſſertæ, & ex S. Paulo Apoſtolo confirmatæ.


Prologus, *pag.* 1.

§. I. *Occaſio ſcribendi, pag.* 1.

§. II. *Expoſitio Tituli, pag.* 8.

§. III. *Diviſio operis, pag.* 20.

§. IV. *Ratio methodi, & ſtyli, pag.* 21.

Pars I. *Aſſeritur Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi eſſe honorificam terræ, & Cœlo, pag.* 25.

Sectio I. *Expeditio Hiſpanica eſt honorifica terræ, pag.* 28.

Aſſertio I. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica Luſitaniæ, pag.* 28.

Aſſertio II. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica toti Hiſpaniæ, pag.* 38.

Aſſertio III. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica Eccleſiæ Militanti, pag.* 48.

Sectio II. *Aſſeritur Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe honorificam Cœlo, p.* 52.

Aſſertio IV. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica ipſi Apoſtolo, pag.* 52.

Aſſertio V. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica S. Paulo Apoſtolo, pag.* 57.

Aſſertio VI. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica Eccleſiæ Triumphanti, pag.* 61.

Aſſertio VII. *Expeditio Hiſpanica S. Jacobi fuit honorifica Sanctiſſimæ Virgini Mariæ, p.* 64.

Elenchus


Assertio VIII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi fuit honorifica supremo Imperatori Christo Domino*, pag. 69.

Pars II. *Asseritur non obstare Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi Zebedæi ea, quæ adversus ipsam afferuntur*, pag. 73.

Sectio I. *Solvuntur argumenta deducta ex sacra Scriptura*, pag. 74.

Assertio IX. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non repugnat sacræ Scripturæ universaliter sumptæ*, pag. 74.

Assertio X. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non repugnat Actibus Apostolorum*, pag. 78.

Assertio XI. *Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi non repugnat locus, in quo passus est Sanctus Apostolus*, pag. 85.

Assertio XII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non impeditur authoritate S. Pauli scribentis ad Romanos*, pag. 98.

Assertio XIII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non impeditur Expeditione Hispanica Sancti Pauli*, pag. 136.

Sectio II. *Asseritur Expeditionem Hispanicam S. Jacobi non fuisse impossibilem*, p. 151.

Assertio XIV. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non repugnat fructui, quem ex ipsa dicitur collegisse*, pag. 152.

Assertio XV. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non repugnat tempori divisionis Apostolorum*, pag. 157.

Assertio XVI. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non repugnat tempori, quo apertum est Gentibus ostium Fidei*, pag. 163.


Subsectio

Digitized by Google

Titulorum primi Voluminis.


Subſectio — *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non repugnat præcepto Chriſti Domini*, pagina 168.

Aſſertio XVII. — *Non eſt certum Euſebium ſcripſiſſe de illo præcepto commorationis Apoſtolorum Jeroſolymis per duodecim annos ex Traditione, neque hoc crediſſe Traditionem eſſe, imò neque illos duodecim annos ſcripſiſſe*, pag. 170.

Aſſertio XVIII. — *Traditio de Apoſtolorum mora Jeroſolymis per duodecim annos non roboratur authoritate S. Thraſeæ Martyris*, pag. 177.

Aſſertio XIX. — *Traditio de Apoſtolorum mora Jeroſolymis per duodecim annos non roboratur authoritate S. Apollonii Martyris*, pag. 184.

Aſſertio XX. — *Traditio de Apoſtolorum mora per duodecim annos non roboratur authoritate Clementis Alexandrini*, pag. 187.

Aſſertio XXI. — *Traditio illa de mora Apoſtolorum Jeroſolymis per duodecim annos non roboratur authoritate Clementis Alexandrini, quatenus ille ea, quæ ſcripſit, excepit ab illis, qui ipſa acceperunt à diſcipulis Apoſtolorum*, pag. 191.

Aſſertio XXII. — *Traditio de commoratione Apoſtolorum Jeroſolymis per duodecim annos non roboratur fide, quæ adhibenda eſt Traditioni de converſione accuſatoris S. Jacobi Maioris*, pag. 195.

Aſſertio XXIII. — *Traditio de commoratione Apoſtolorum duodecim annis in Jeruſalem non roboratur*

*ratur eventu rerum asserto authoritate Maximorum, Sanctissimorumque Pontificum Leonis I. & Gregorii I. p.* 198.

Assertio XXIV. *Si sententia de Apostolis commorantibus in Jerusalem per duodecim annos, ut coagmentata ex libro Apollonii, & ex Prædicatione Petri, repugnaret Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, repugnaret etiam ipsius Martyrio, & Expeditionibus S. Pauli, pag.* 206.

Assertio XXV. *Etiam admissa Traditione Apollonii de Apostolorum commoratione in Jerusalem duodecim annis, potuit S. Jacobus Apostolus prædicare in Hispania, pag.* 211.

Sectio III. *Asseritur Expeditionem Hispanicam S. Jacobi non posse oppugnari testimoniis Summorum Pontificum, pag.* 222.

Assertio XXVI. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non potest oppugnari authoritate S. Innocentii I. Pontificis Maximi, pag.* 223.

Assertio XXVII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non negatur authoritate S. Gregorii VII. Pontifici S. Maximi, pag.* 237.

Assertio XXVIII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non refellitur ex Clemente VIII. Pontifice Maximo, pag.* 252.

Sectio IV. *Asseritur Expeditionem Hispanicam S. Jacobi non oppugnari à Sanctis Patribus, pag.* 256.

Assertio XXIX. *Sententia affirmans Expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, non adversatur communi sensui Sanctorum Patrum, pagina* 258.

Asser-

Titulorum primi Voluminis.


Assertio XXX. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non expugnatur authoritate Sancti Augustini, pag. 262.*

Assertio XXXI. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi oppugnari non potest authoritate Venantii Fortunati, pag. 274.*

Assertio XXXII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non expugnatur authoritate S. Adonis Viennensis, pag. 279.*

Assertio XXXIII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non oppugnatur authoritate S. Petri Venerabilis, pag. 283.*

Assertio XXXIV. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non oppugnatur authoritate S. Antonii Ulyssiponensis, pag. 287.*

Sectio V. *Asseritur non officere Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi argumenta eruta ex monumentis Hispaniæ, pag. 295.*

Assertio XXXV. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non expugnatur Manuscripto Toletano à Garcia Loaysa producto, cui nimiùm fisus est Cardinalis Baronius, pag. 296.*

Assertio XXXVI. *Non officiunt Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi ea, quæ contra ipsam adducuntur ex Magistro Ysla, pag. 319.*

Assertio XXXVII. *Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi non officit dissidium Authorum Hispaniæ circa illius circunstantias, pag. 324.*

Assertio XXXVIII. *Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi non officeret, si à nonnullis tam meticulosè affimaretur, ut magis de illa dubitantibus, quàm asserentibus adhærere videretur, pag. 327.*

Elenchus


Sectio VI. *Asseritur silentium Antiquorum non officere sententiæ affirmanti Expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi*, pag. 346.

Assertio XXXIX. *Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi non officit silentium sacræ Scripturæ*, pag. 348.

Assertio XXXX. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non potest oppugnari silentio Conciliorum*, pagina 353.

Assertio XXXXI. *Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi non officit silentium Martyrologii Romani*, pag. 357.

Assertio XXXXII. *Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi non officit silentium Græcorum*, p. 361.

Assertio XXXXIII. *Non officit Expeditioni Hispanicæ S. Jacobi silentium Authorum Latinorum*, pag. 365.

Assertio XXXXIV. *Argumentum à Scriptorum antiquorum silentio in re Historica nullius est efficatiæ*, pag. 375.

§. I. *Probatur Assertio ab authoritate*, pag. 380.

§. II. *Probatur Assertio à Ratione*, pag. 394.

§. III. *Probatur Assertio ab Exemplo*, p. 407.

§. IV. *Probatur Assertio ab argumentorum solutione*, pag. 412.

§. V. *Probatur Assertio ab Inconvenienti*, pag. 431.

Sectio VII. *Asseritur clamorem quorumdam Recentium Scriptorum non officere sententiæ affirmanti Expeditionem Hispanicam S. Jacobi*, pag. 436.


In vestibulo hujus Sectionis explicantur,

cantur, & confirmantur duodecim Leges Criticæ, quas Author ſibi ſcripturo præfixit, & quibus utitur in judicandis aliorum aſſertis. Ibid.

Aſſertio XXXXV. *Sententiæ affirmanti Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non officit clamor Recentiorum, qui eam negant nullo producto argumento in contrarium, p.* 461.

Aſſertio XXXXVI. *Non officit ſententiæ aſſerenti Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi clamor Recentiorum, qui illam argumentis oppugnare tentarunt, pag.* 477.

Sectio VIII. *Aſſeritur non officere ſententiæ aſſerenti Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi Miſſale, quod dicitur Gothicum. p.* 501.

Aſſertio XXXXVII. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non oppugnatur teſtimonio Miſſalis Gothici, editi à V. Joſepho Maria Thomaſio ex Clerico Regulari S. R. E. Cardinali, pag.* 502.

Pars III. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi multiplici Teſtimonio aſſeritur, pag.* 521.

Sectio I. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi aſſerta eſt à pluribus Scriptoribus, aliiſque ſummis Viris, pag.* 523.

Aſſertio XXXXVIII. *Aſſeritur Expeditio Hiſpanica S. Jacobi monumentis præcedentibus IV. Concilium Toletanum, celebratum anno Domini* 633. *pag.* 525.

§. I. *Teſtimonia antiquiora S. Hieronymo. Ibidem.*

§. II. *Teſtimonia S. Hieronymi pro Expeditione Hiſpanica S. Jacobi, pag.* 544.

§. III.

Elenchus

§. III. *Teſtimonia S. Hieronymi producta contra Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ipſi Expeditioni favent, pag. 569.*

§. IV. *Teſtimonia poſteriora S. Hieronymo, pagina 592.*

Aſſertio XXXXIX. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi aſſeritur à S. Iſidoro Hiſpalenſi, aliiſque monumentis poſterioribus quarto Concilio Toletano, antiquioribuſque quarto Concilio Lateranenſi, pag. 601.*

§. I. *S. Iſidorus Hiſpalenſis, pag. 601.*

§. II. *S. Braulio, pag. 618.*

§. III. *S. Julianus Archiepiſcopus Toletanus, pag. 620.*

§. IV. *Venerabilis Beda, pag. 629.*

§. V. *Martyrologium Blumani, pag. 643.*

§. VI. *S. Beatus Presbiter Libanienſis, p. 644.*

§. VII. *Martyrologium Gelonenſe, pag. 645.*

§. VIII. *Freculphus Lexovienſis, pag. 646.*

§. IX. *Walafridus Strabo, pag. 648.*

§. X. *S. Notkerus, pag. 649.*

§. XI. *Siſnandus Epiſcopus, pag. 651.*

§. XII. *Callixtus Secundus, pag. 652.*

§. XIII. *Otho Friſingenſis, pag. 656.*

§. XIV. *Metellus Tegerſeenſis, pag. 657.*

Aſſertio L. *Probatur Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi ex monumentis à quarto Concilio Lateranenſi uſque ad Concilium Tridentinum, pag. 658.*

Aſſertio LI. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi aſſeritur ab Authoribus, qui ſcripſere ab exacto Concilio Tridentino uſque ad noſtra tempora, pag. 667.*

§. I.

Digitized by Google

Titulorum primi Voluminis.


§. I. *Authores poſt Concilium Tridentinum aſſerentes Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi*, pag. 669.

§. II. *Authores, qui pro Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi exertis viribus pugnavere*, pag. 681.

Sectio II. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi aſſeritur à Traditione*, pag. 743.

Aſſertio LII. *Expeditio Hiſpanica S. Jacobi aſſeritur à Traditione non ſolùm Familiari, & Populari, ſed etiam Pia*, pag. 745.

Aſſertio LIII. *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi aſſeritur à Traditione Eccleſiaſtica*, p. 749.

Sectio III. *Demonſtratur dari verè Traditionem de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi*, pag. 757.

Aſſertio LIV. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Luſitaniæ*, pag. 761.

§. I. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviario Bracharenſi, cujus authoritas expenditur*, pag. 762.

§. II. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviario Eborenſi, cujus authoritas expenditur*, pagina 765.

Aſſertio LV. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex pluribus Breviariis Eccleſiarum Hiſpaniæ*, pag. 766.

Aſſertio LVI. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Officio Mozarabo*, pag. 768.


*** Aſſer-

Elenchus


Aſſertio LVII. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Eccleſiarum Galliæ, Gallo-Belgii, & Belgii,* pag. 798.

Aſſertio LVIII. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Eccleſiarum Italiæ,* pag. 800.

§. I. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Eccleſiarum Capuanæ, Lucenſis, & Comenſis,* pag. 801.

§. II. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviario Mediolanenſi, cujus expenditur authoritas,* pag. 802.

§. III. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Officio Piſtorienſi, cujus authoritas expenditur,* pag. 804.

§. IV. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviario Beneventano, cujus authoritas expenditur,* pag. 808.

Aſſertio LIX. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Germaniæ,* pag. 810.

Aſſertio LX. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Dalmatiæ, Poloniæ, Ruſſiæ, & Armeniæ,* pag. 811.

Aſſertio LXI. *Traditio de Expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Religioſorum Ordinum,* pag. 815.


Aſſer-

Titulorum primi Voluminis.


Assertio LXII. *Traditio de Expeditione Hispanica Sancti Jacobi probatur ex Breviario Romano, pag. 817.*

Parergon I. *Perennia monumenta traditionis testantis Expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, pag. 833.*

§. I. *Monumenta Sancti Jacobi Maioris. Ibidem.*

§. II. *Monumenta Discipulorum Sancti Jacobi Maioris, pag. 837.*

§. III. *Monumentum Magistræ Sancti Jacobi Columna Cæsaraugustana, pag. 838.*

Parergon II. *Præcluditur via argumentis contra Traditionem de Expeditione Hispanica Sancti Jacobi pag. 843.*

Sectio IV. *Multiplex revelatio favet sententiæ affirmanti Expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, pag. 865.*

Assertio LXIII. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi docetur à pluribus Revelationibus privatis. Ibidem.*

Assertio LXIV. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi est consona Revelationibus Canonicis, quæ proinde ipsi favent, pag. 882.*

§. I. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi est consona Scripturis Veteris Testamenti, pag. 883.*

§. II. *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi est consona Scripturis revelatis Novi Testamenti, pag. 889.*

Sectio V. *Suadetur sententia affirmans Expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi ex Inconvenientibus sententiæ contrariæ, p. 892.*


Asser-

Elenchus

Assertio LXV. *Asseritur Expeditio Hispanica Sancti Jacobi ex Inconvenientibus, quæ consequuntur ad sententiam, quæ eam Expeditionem negat*, pag. 895.

Assertio LXVI. *Asseritur Expeditio Hispanica Sancti Jacobi ex Inconvenientibus, quæ innuuntur à notis sententiæ contrariæ inustis*, pag. 900.

Assertio LXVII. *Asseritur Expeditio Hispanica Sancti Jacobi ex Inconvenienti orto ex prohibitionibus sententiæ illam negantis*, pagina 903.

Epilogus pag. 913.

In fine secundi Voluminis reperiuntur Indices utrique tomo communes.

# PROLOGUS
## PIO, ET ERUDITO LECTORI.

1 SCRIPTURUS de primo Euangelii Præcone, qui Hiſpanos ad Chriſti Ducis caſtra vocavit, non niſi pios, atque eruditos Lectores ambio. Illi enim, qui pietate carent, de rebus Eccleſiaſticis non curant, vel, quod peius eſt, ſolùm curant, ut carpant. Qui verò eruditi non ſunt, iſta non capiunt. Et horum utrumlibet in cauſa eſt, ut revocentur in dubium res alioquin certiſſimæ; ut eſt, Sanctum Jacobum Zebedæi filium, fuiſſe primum, qui Hiſpaniæ attulit lumen Chriſtianæ Religionis, quod immeritò negarunt nonnulli, quos ad id affirmandum pietas non allexit, vel quos rerum noſtrarum ignorantia coegit deflectere à veritatis ſemita; impulitque in contrariam ſententiam, quam hoc Opuſculo funditus evertere eſt animus, poſtquam nonnulla præfatus fuero, de ſcribendi occaſione, de titulo, de diviſione, & de methodo, ſtyloque hujus lucubrationis.

### § I.

### *Occaſio ſcribendi.*

2 ETſi à jure naturæ perſuaderi poteram, ut ſuſciperem optimæ hujus cauſæ patrocinium, acceſſit tamen maiorum imperium; quod mihi detrectare non licet. Suadebat enim jus naturæ, ut pro expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi Maioris decertarem. Nam, teſte Marco Tullio Cicerone lib. 2. de Inventione: *Naturæ jus*

*eſt quod nobis, non opinio, ſed quædam innata vis afferat, ut Religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam, veritatem.* Non ſolum quælibet ex ſex iſtis cauſis, me poterat impellere ad propugnandam ſententiam affirmantem, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpania, ſed omnes ſimul. Omnes etenim, veluti agmine facto, mihi vim inferunt, ut pro hac cauſa perorem.

3 . Jubet *Religio*, ut pugnem pro gloria Chriſti Domini, Auguſtiſſimæque Virginis Mariæ ad ripam Iberi fluminis Sanctum Jacobum inviſentis pro honore Sanctorum Apoſtolorum Jacobi, & Pauli, & totius Eccleſiæ Triumphantis ; quorum maximè intereſt expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi.

4 *Pietas* autem, *quæ*, teſte Cicerone, *erga Patriam, aut parentes, aut alios ſanguine conjunctos officium conſervare moneat*, poſcit ut ſcribam pro ea expeditione, ex qua patriæ noſtræ decus ingens acceſſit, pro expeditione, quam à maioribus acceptam nobis tradiderunt Patres noſtri poſteris tradendam. Quam aſſeruit Sanctiſſimus Pater meus Paulus Quartus Pontifex Maximus unus è quatuor fundatoribus Noſtri Ordinis, cujus præſens annus eſt Secundus Sæcularis. Pro ea expeditione, quam ſolidè confirmarunt Doctiſſimi Fratres mei Sanctiſſimi Patris Caietani filii Pater D. Antonius Caracciolus, Pater D. Gabriel Lotherius, & noviſſimè Pater D. Hieronymus Contador de Argote Regalis Academiæ Socius.

5 *Gratia*, *quæ* (cum eodem Cicerone loquor) *in memoria, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum obſervantiam teneat*; exigit, ut pro ea expeditione ſcribam, ex qua in Luſitaniam, totamque Hiſpaniam tot profluxere beneficia, quorum memoriam nulla unquam ætas obliterabit; quorum maxima fuerunt duo, nempe

6 Citius lumen fidei ; patrociniumque Auguſtæ Virginis,

ginis, ab ipſa vivente promiſſum Hiſpanis fuiſſe, à quo meritò Hiſpania vocatur felix, ut integro volumine probat Doctiſſimus Pater Antonius Arbiol Ordinis Minorum.

7 *Vindicatio per quam*, ut ait Tullius, *vim, & contumeliam defendendo, aut ulciſcendo, propulſamus à nobis, & à noſtris, qui nobis eſſe cari debent, & per quam peccata punimus* nos incendit ut aſſerta expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi propulſemus defendendo (licèt non ulciſcendo) vim, quam nobis inferunt, qui Sanctum Jacobum arcent finibus Hiſpaniæ, & contumeliam, qua nos afficiunt pauci exteri, qui nos, nobiſque cariſſimos gentiles noſtros mendacii, & fictionis inſimulant, & ut animadverſione puniamus peccata, quæ contra hiſtoriam, & criticen admittunt, qui Sanctum Jacobum in Hiſpaniam non admittunt.

8 *Obſervantia per quam*, juxta principem Romanæ eloquentiæ, *ætate, aut ſapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reveremur, & colimus*, nos obligat ut adſtruamus adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam adorantes veſtigia veterum Scriptorum, ſapientiſſimorum hominum, virorum honoribus, dignitatibus; tam Eccleſiaſticis, quam politicis fulgentium, nempe Epiſcoporum, Cardinalium, Maximorum Pontificum, & potentiſſimorum Regum; qui Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam tenuerunt, & ſæpiſſime teſtati ſunt.

9 Et omnium maximè *Veritas* (cujus imago eſt Heroicum Symbolum Regalis Academiæ, inter cujus Cenſores numeror) me cogebat ad aſſerendam eam expeditionem, per quam Hiſpaniæ affulſit lux Euangelicæ veritatis, eam expeditionem, quam falſam eſſe nemo unquam poterit demonſtrare.

10 Attamen licèt omnibus his titulis jus naturæ mihi ſuaſiſſet, ut ſcriberem pro expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi, nunquam paſſus ſum ad id perſuaderi; nam tot

extant libri pro ea expeditione eruditiſſimè conſcripti, ut ſatis, ſuperque inducant hominem præjudiciis liberum, atque à partium ſtudio alienum, veritatiſque cultorem, & Artis Criticæ peritum ad adhærendum quanta maxima firmitudine, (quæ in fidem humanam cadere poteſt) aſſerentibus, Sanctum Jacobum in Hiſpaniam veniſſe. Quod & ego ipſe jam dudum publicè teſtatus ſum in Regali Academia, ut videre eſt in illius Actis ad diem decimum octavum menſis Martii anno hujus ſæculi primo ſupra vigeſimum, cum paulò ante tres menſes Academia inſtituta fuiſſet ab Auguſtiſſimo Rege. Unde nihil cenſebam minus neceſſarium, quam denuo ſcribi de hac controverſia, quam præcidi ſemper laboravi quantum in me fuit.

11 Non negaverim me tunc ex iis, quæ legeram collegiſſe, & in adverſaria conjeciſſe nonnulla pro meo peculiari uſu, quæ deinde ſuis locis inſererem Hiſtoriis, quas mihi Latino ſermone conſcribendas impoſuit Regalis Academia. Excerpta quæ adeo ſenſim excrevere, ut videretur ex ipſis longiuſculam diſſertationem confici poſſe, quam proinde editurum ſpopondit Reverendiſſimus Pater D. Hieronymus Contador de Argote Clericus Regularis, & eruditiſſimus Regalis Academiæ Socius in Diſſertatione Luſitanè ſcriptâ de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam comprobato authoritate Doctoris Maximi Sancti Hieronymi, quæ extat in Collectione Actuum Regalis Academiæ anni M. DCCXXII. quamque ſummis laudibus efferunt tres Doctiſſimi viri, quorum primus eſt Doctor D. Joannes de Ferreras Parochialis Eccleſiæ Sancti Andreæ Matritenſis Rector, Examinator Synodalis Archiepiſcopatus Toletani, necnon Tribunalis Legati Apoſtolici; Supremi Senatus Inquiſitionis Qualificator, ejuſque Reviſor, Catholici Regis Bibliothecæ Præfectus celebre hoc ſæculo à ſcriptis voluminibus nomen, cui quan-

Digitized by Google

quantum debeat Hiſtoria Hiſpaniæ novit univerſa Reſpublica literaria, vir acerrimi judicii, qui poſt primam editam duodecim ante annis diſſertationem pro expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi, pro eadem iterum arma reſumpſit in Diſſertatione Apologetica de Prædicatione S. Apoſtoli Jacobi Zebedæi in Hiſpania, & §. 8 n. 87. ait:

*Primus ergo expendendus Maximus inter Doctores Hieronymus; ſed cum Reverendiſſimus Pater D. Hieronymus Contador de Argote Clericus Regularis Regiæ Academiæ Alumnus, hanc pleniſſimè peroraverit cauſam, levi penu pertingam.*

12 Alter eſt cultiſſimus Author, & Jacobæi nominis diſertiſſimus cultor, qui dici voluit D. Auguſtinus de la Roca, & fortaſsè ideo defenſurus Divum Jacobum, atque Hiſpaniam cognomen accepit à Roca, ſive Rupe, quia rupium confractus nonnunquam homines tutati ſunt; ut in Sardinia factum teſtatur Pauſanias lib. 10. pag. 332. & quamvis prudentia Serpentis Author latere voluerit ſub alieno nomine, illius tamen diſcurſus (ſic opuſculum inſcribitur) licèt parvulus, argumentorum Serpentes Herculeo more ſuffocavit, &

— *abjecit quos vicerat angues*

cecinit Theocritus in Hercule parvo, hoc eſt Idyllio 31. eſtque ea ſcriptio omni veneno carens, ut de ipſa dici poſſit, quod de Sardinia ſcripſit Silius Italicus lib. 12. verſu 370.

*Serpentum tellus pura, & viduata venenis.*

Lucubratio illa eſt certe multò Sardiniâ ſalubrior, quia cum multo ſapientiæ, & diſcretionis ſale abundet, nullum ex ſale contraxit graviorem aerem, ut ex ſalis copia hauſiſſe Sardiniam tradit libro citato Pauſanias.

13 Igitur in laudato diſcurſu, qui eſt circa duas Diſſertationes Ulyſſipone editas de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam n. 2. ait: *En*

*En la primera Diſſertacion affirmativa (eſcrita en lenguaje Portugueſa por el Reverendo Padre Don Geronimo Contador y Argote, Clerigo Regular, y docto Academico) parece que brilla alguna novedad methodica, con cierta coordinacion de principios, que hazen conſequentes las concluſiones. Eſte Autor, en eſtilo eloquente, y ſin confuſion propone algunas congeturas, pruebas, y autoridades, que adelantando, y corroborando las ya alegadas, no ſolo perſuaden, ſino convencen. Y la refutacion de los diſcurſos, y objeciones contrarias, es tan demonſtrativa, que apenas les dexa el inutil ſubterfugio de alguna ſutileza metaphiſica, en que, con la voluntad, quiere empeñarſe el entendimiento.*

14 Tertius eſt clariſſimus vir, qui dęliteſcere voluit ſub nomine D. Andreæ Durana; qui celare potuit cognomen, ſed licèt profiteatur, literaturam ſuam non excedere Grammaticæ fines, non poteſt celare omnigenam literaturam, qua inſtructus apprimè eſt. Nam, quam in moxcitando Opuſculo prodit, multo prætervehitur ultra fines Grammaticæ, etiam eos ampliſſimos, quos illi præſcribit Quintilianus lib. 1. Inſtitutionum Oratoriarum cap. 4. & lib. 2. cap. 1. de Grammatica loquens ait:

*Aſſumptis Poetarum, Hiſtoricorumque viribus, pleno jam ſatis alveo fluit: cum præter rationem rectè loquendi non parum alioqui copioſam, prope omnium maximarum artium ſcientiam amplexa ſit.*

Si Grammaticus eſt Durana, erit certè ut Demetrius Phaleræus, quem Tertullianus in Apologetico cap. 18. vocat *Grammaticorum probatiſſimum*, cui demandata eſt cura Bibliothecæ Regiæ Alexandriæ extructæ; & qui, teſte Diogene Laertio libro 5. fuit *doctiſſimus, atque periti ſſimus omnium*; talem enim ſe oſtendit in Opuſculo inſcripto: *Defenſa de la venida, y Predicacion de Santiago el Mayor en Eſpaña*, in quo pag. 3. ait:

*Leî*

*Leì con grande attencion la* (Diſſertacion) *del M.R. P.D. Geronimo Contador de Argote, y me parecio eſcrita con igual juizo, brevedad, y acertada criſis, que prudencia.*

Quorum trium Authorum, nempe Ferreras, de la Roca, & Durana, Opuſcula tam validè propugnant Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ut quiſquis illa legerit, ſtatim dicet id, quod legitur libro 2. Regum capite 23. verſu 17. *Hæc fecerunt tres robuſtiſſimi.*

15 Ego ſanè his perlectis Opuſculis me magis, atque magis confirmavi in ſententia, quæ jam dudum mihi altius inſederat nihil ſupereſſe in hac controverſia dicendum, ſtatuique ab hujuſmodi tractanda diſputatione prorſus abſtinere. Contentus non diſcedere in noſtra Hiſtoria à vera ſententia affirmante expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſed ſilentio, quod ſtatueram interceſſere Excellentiſſimi Collegæ mei Regalis Academiæ Cenſores, quorum juſſis non parere non licet; ipſi quippe, quorum *mihi juſſa capeſſere fas eſt*, me adegere, ut proſequerer inceptam lucubrationem pro expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi; neque unquam adduci potuerunt, ut meis votis annuerent, neque unquam aſſentiendum putarunt iis rationibus, quibus ego hunc laborem deprecabar.

16 Unde ego, qui neque à jure naturæ perſuaderi paſſus ſum, neque ceſſeram amicorum precibus, & pene conviciis, quibus me rogabant, & hortabantur, ut quidpiam de hac controverſia in lucem ederem, obſiſtere non potui Excellentiſſimis Cenſoribus, quibus in me ſummum jus eſt, eorum præcepto parui, ut is, cui ſola obſequii gloria relicta eſt. Opuſculum exaravi ea diligentia, qua potui, licèt librorum penuria, & ingenii tarditate maximè laborans; illudque ad umbilicum perduxi quale hîc exhibeo. Illud unum obſecro Lectori meo, ſcilicet, ne apud ipſos, optimæ cauſæ officiat me fuiſſe illius peſſimum

mum patronum, qui propriæ tenuitatis conſcientia oppreſſus, hanc provinciam, quandiù licuit, ſuſcipere recuſavi, omneſque alloquor verbis Sancti Auguſtini libro 17. de Civitate Dei cap. 19. *Ignoſcant autem, qui hæc legunt, & cuncta illa noverunt; & de his, quæ fortaſſe firmiora me prætermiſiſſe, vel intelligunt, vel exiſtimant, non querantur.*

## §. II.

## *Expoſitio Tituli.*

17 FOrtunam librorum à titulorum novitate pendere arbitratus eſt Secundus Lancellottus, in *Prudentia Humana fallaciſſima*, lib. 5. *Diſappano* 26. hinc multi Authores maximè ſolliciti eſſe ſolent de ſuorum operum inſcriptionibus. Ex quibus Hebræi plerumque titulos metaphoricos indunt libris ſuis, ut videre eſt in Bibliotheca Magna Rabbinica Julii Bartoloceii, edita Romæ typis Propagandæ Fidei tribus voluminibus, quibus acceſſit quartum ſcriptum à Carolo Joſepho Imbonato. Græci etiam in hoc fuere nimis curioſi, quo nomine irridentur à Plinio in Præfatione Hiſtoriæ Naturalis, & ab Aulo Gellio in Præfatione Noctium Atticarum. Itali quoque ſpecioſis titulis delectantur, ſicut, & plerique Hiſpani. Mihi ille aptior titulus videtur, qui clariùs, & breviùs exponit Lectori, quid in libro contineatur, ſicuti ea magis probantur epitaphia, quibus breviùs, & clariùs viatori ſignificatur quis jaceat in ſepulchro. Hac de cauſa ex pluribus titulis, qui ſe mihi obtulere huic Opuſculo præfigendos, ſimpliciorem elegi, qui tamen perſpicuè patefaciat materiam, modumque hujus tractationis. Hinc illa à me inſcripta eſt:

EXPE-

# EXPEDITIO HISPANICA
# APOSTOLI S. JACOBI MAIORIS
## Aſſerta,
## ET EX S. PAULO APOSTOLO
## Confirmata
## DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA.

### *Expeditio.*

18 DEducto vocabulo ex re militari *Expeditionis* nomen indo Prædicationi Sancti Jacobi, non ſolùm quia Apoſtoli omnes in Breviario Romano (cujus apud me magna eſt authoritas) vocantur

*Belli triumphales duces*
*Cœleſtis Aulæ milites.*

Neque ideo, quia Sanctus Jacobus ſæpius in præliis viſus eſt armatus, equo inſidens, hoſteſque Chriſtiani nominis profligans: Neque ex eo quod idem Beatiſſimus Apoſtolus eſt Patronus Militaris Ordinis gladium ſanguineum pro inſigni gerentis, & ad ſacras expeditiones inſtituti; ſed quia flagrantiſſimus iſte Dux, reliquis omnibus Apoſtolis expeditior, ante omnes exivit à Judææ caſtris ad inferendum bellum Tartareis legionibus; cumque eſſet filius tonitrui, ceu poſtea legio fulminea (de qua Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 5. quæ jactu fulminum hoſtium turmas, & vi imbrium ſui exercitus extinxit ſitim) fulmine Divini eloquii fugavit ſuperſtitionem, & ſalutaribus undis baptiſmatis intinxit eos, quos militiæ immortalis Imperatoris adſcripſit.

## *Hiſpanica.*

19 DIcitur *Hiſpanica* expeditio, de qua hîc agimus, ut conſtet, nos hîc reſtringi ad aſſerendam ſolam prædicationem Sancti Jacobi in hac provincia, prætereuntes plures alias ejuſdem Apoſtoli expeditiones, quibus Euangelium prædicavit Tribubus Iſrael per alias Orbis partes diſperſis, ut tutè proſequitur, & efficaciter probat Doctiſſimus vir, & acerrimi judicii Scriptor Pater Fr. Joannes de Puente Ordinis Prædicatorum in eruditiſſimo opere hiſpanicè conſcripto de Convenientia utriuſque Monarchiæ Catholicæ lib. 2. cap. 14. 17. 21. 22. in quibus expeditionibus vindicandis non immoramur. Quam autem aſſerendam ſuſcipimus, dicimus *Hiſpanicam*, ut innuatur Sanctum Jacobum non prædicaſſe uni, vel alteri tantum hujus Regionis provinciæ, ſed totam Hiſpaniam peragraſſe, noſtræque Patriæ Euangelii lucem attuliſſe.

## *Apoſtoli.*

20 DIcitur hæc expeditio fuiſſe *Apoſtoli*, ut oſtendatur Sanctum Jacobum apud nos multa feciſſe miranda, quod proprium eſt Apoſtolorum, juxta illud Actor. cap. 5. verſ. 12. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa.* Et maximè patraſſe ea miracula, quæ magis conducerent ad perſuadendam auditoribus Reſurrectionem Jeſu Chriſti, quia ut ait Sanctus Hilarius Canone 16. in Sanctum Matthæum: *Reſurrectionis teſtimonium proprium eſt Apoſtolorum.* Unde Actorum 4. verſ. 33. dicitur: *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri: & gratia magna erat in omnibus illis.* Et capite 1. Actorum, cum Sanctus Petrus

trus ſignificare vellet oportere fieri alium Apoſtolum in locum Judæ, dixit oportere fieri teſtem Reſurrectionis Chriſti.

## *Sancti.*

21 DIvum Jacobum hîc dicimus *Sanctum*, non ſolùm ob illius eximiam Sanctitatem, & eo ſenſu, quo in Faſtis Eccleſiaſticis accipitur hæc vox *Sanctus*, ſed etiam in eo ſenſu, quo Juris Conſulti hac voce utuntur: ex quibus Marcianus ad L. Sanctum ff. de Rerum Diviſione ait: *Sanctum eſt, quod ab injuria hominum defenſum, atque munitum eſt.* Dum enim aſſerimus, expeditionem Hiſpanicam Divo Jacobo, illum defendimus ab injuria, quam illi irrogant Centuriatores Magdeburgenſes, nam licèt illi non negent fuiſſe Chriſti Domini conſanguineum (quod nuper immeritò negatum eſt) centuria enim prima libro 2. cap. 10. aiunt:

> *Jacobum hunc alterum Zebedæi fuiſſe filium ex Maria Salome, quæ & Maria Jacobi dicebatur; & Domini conſobrinum fratrem Joannis inter omnes convenit.*

Tamen eodem capite dicunt:

> *Hieroſolymis maiorem vitæ ſuæ partem Jacobus exegit: interdum, & in vicinia pro occaſione docuit. Nam & Hieroſolymis ab Herode tandem interfectus eſt.*

22 Hoc autem nihil aliud eſt, quàm aſſerere id, cum quo ſtare nequit adventus Sancti Jacobi in Hiſpaniam, quam, qui negant, duces habent Magdeburgenſes, nam ante illos, nullus, quem ſciam, quidpiam contra iſtum adventum ſcripſerat.

## *Jacobi.*

23 HOc nomen primi Prædicatoris Euangelici Hiſpaniam lumine fidei illuſtravit, qui jam

olim in lege naturæ videbatur promiſſus Occidenti. Dicente Domino ad Jacobum Patriarcham Geneſis cap. 28. verſ. 14. *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem, & benedicentur in te omnes tribus terræ.* Quo loco promittitur propagatio Eccleſiæ per totum Orbem, ut animadvertit Pater Antonius Fernandes in Commentariis in Viſiones veteris Teſtamenti viſione 2. ſect. 7. num. 3.

24 Jacobum Patriarcham pergentem in Meſopotamiam fuiſſe typum Sancti Jacobi Maioris venientis in Hiſpaniam docet V. P. Didacus Murillo Ordinis Minorum in opere inſcripto: *Fundacion Milagroſa de la Capilla Angelica del Pilar*, cap. 7. pag. 51. col. 1. & cap. 8. à pag. 63. Latiùs proſequitur ſimilitudinem inter utrumque Jacobum, Patriarcham ſcilicet, & Apoſtolum; iis tamen, quæ dicit, plura addi poſſent, quibus ſuperſedeo, illud tamen præterire nolo, à nullo interprete, quem legerim, obſervatum, quod illo in loco Geneſis animadverto. Nempe quod cum eo loco prædicitur converſio Gentium, in toto Orbe commorantium, prius dicitur dilatanda Eccleſia ad Occidentem, quàm ad Orientem, quo magis conſonat oraculum converſioni Occidentis, qui dici non poterit prius ad Chriſtum converſus, niſi affirmando expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, qui primus omnium Apoſtolorum egreſſus eſt è finibus Iſrael, terræque Promiſſionis; primuſque omnium in Occidentem profectus.

## *Maioris.*

25 DIcitur *Maior* Sanctus Jacobus Zebedæi filius, ut diſtinguatur à Sancto Jacobo filio Alphæi, qui dicitur Minor à Sancto Marco, cap. 15. verſ. 40. Quocirca Divus Hieronymus adverſus Helvidium

dium ait: *Minoris autem Jacobi, ad distinctionem Maioris, qui erat filius Zebedæi.* Dicitur autem (teste A Lapide in S. Matth.cap. 10. vers. 3.) Sanctus Jacobus Alphæi Minor, quia Junior erat vocatione Sancto Jacobo filio Zebedæi; unde hic dictus est Maior, quia antiquior fuit in Schola Christi; ad quam vocatus fuit, ut refert Sanctus Matthæus cap. 5. ipso die, quo Sanctus Petrus, quem, vel eodem die (ut volunt Recentiores suppresso nomine citati à Cardinali Salgo, vel post, ut solidè probat idem Cardinalis in caput 5. Sancti Lucæ Annotatione 15.) maximè juvit in captura mirabilis multitudinis piscium, ut scribit S. Lucas cap. 5. Quæ mirabilis captura piscium, cui tunc cooperatus est Sanctus Jacobus, fuit figura conversionis Gentium, ut testatur Sanctus Cyrillus. Ut vel à principio vocationis Sancti Jacobi intelligamus, ipsum destinatum fuisse ad Gentium conversionem, neque solis Hebræis prædicavisse, ut volunt impugnatores illius expeditionis Hispanicæ, dissimulantes historiarum fidem, & negligentes criticen, ut hoc Opusculo ostendemus.

## *Asserta.*

26 DIcitur *Asserta* expeditio Hispanica Sancti Jacobi, ut vel ex titulo constet à nobis reprobari periculosissimam illam sectam Pyrrhoniorum semper addubitantium, & nunquam definientium, semper inquirentium veritatem, & nunquam invenientium, atque post inquisitionem æquè ambigentium, ut habetur apud Diogenem Laertium lib. 9. de Vitis Philosophorum, ubi de Pyrrhone. De qua secta ait Daniel Georgius Morhofius in Polyhistore tom. 2. lib. 1. cap. 6. n. 1. *Tota autem hæc secta primum orta videtur vanitate, & jactantia.* Ibidem dixerat idem Author, hanc sectam videri prognatam ex Academicis.

demicis. Certè Academici teſte D. Auguſtino lib. 2. contra Academicos cap. 5. n. 11. *Omnia incerta eſſe non dicebant ſolum, verum etiam copioſiſſimis rationibus affirmabant.*

27 Quàm deteſtanda verò ſit ſecta Pyrrhoniorum, ſive Scepticorum ex eo patet, quòd illius patroni ſuperiori ſæculo fuerunt Thomas Hobbeſius, & Benedictus (ſeu potius maledictus) de Spinoſa, quorum ille libris ſuis Atheiſmo viam ſternit, ut ait citatus Morhofius in Polyhiſtore tom. 2. lib. 1. cap. 15. n. 14. Hic verò (Spinoſa) fuit infamis Atheiſmi propugnator, ut eum vocat idem Morhofius in Polyhiſtore tom. 1. lib. 1. cap. 6. n. 24. Et tanta eſt impietas Pyrrhoniorum, ut vel Imperator Julianus Chriſtianæ Religionis impiiſſimus Deſertor illam exhorruerit; ait enim in quodam Fragmento Orationis, vel Epiſtolæ pag. 301. *Neque Epicureo ad nos dogmati, neque Pyrrhoneo pateat aditus.*

## *Ex D. Paulo Apoſtolo confirmata.*

28 DIcitur à nobis expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi *ex D. Paulo Apoſtolo confirmata*, ut oſtendamus nobis favere vel invitos omnes, qui affirmant, Sanctum Paulum veniſſe in Hiſpaniam, cum ex illius adventu in hanc provinciam confirmetur Divi Jacobi in eamdem adventum, contra quem aliquot argumenta contorquentur, quæ facilimè ſolvuntur admiſſo adventu D. Pauli, difficiliùs verò, ſi negetur D. Paulum in Hiſpania prædicaſſe. Unde colligitur longè à veritatis ſcopo aberraſſe Georgium Ambianatem Doctiſſimum Sanctiſſimi Capuccinorum Ordinis Scriptorem, dum in Epiſtolam Sancti Pauli ad Romanos cap. 15. Diſquiſitione 1. negata expeditione Hiſpanica Sancti Pauli; de Hiſpanis ſubjungit:

*Cum*

Digitized by Google

*Cum iſti Paulum trahunt invitum, à Jacobo præſumpto excidunt:*

& infrà de eiſdem Hiſpanis loquens, ait: *Dum duos volunt* (D. Jacobum ſcilicet, & D. Paulum) *ambos perdunt.* Cum potiùs dicere debuiſſet; qui Sanctum Paulum in Hiſpaniam veniſſe, Sanctum Jacobum antea veniſſe negare non poſſunt; & cum ſecundum volunt, primum fortius defendunt, & ambos lucrantur. Unde gratias agimus immortales, & ſi poterimus, etiam referemus omnibus iis, qui vigilias ſuas impenderint in perſuadendam expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli, quia hoc ipſo efficaciùs corroborabunt ſententiam noſtram de expeditione Hiſpanica Sancti Jacobi, ut ſæpiſſimè in hujus Opuſculi progreſſu oſtendemus.

## *Diſſertatio.*

29 CUm apud Ciceronem idem ſit differere, ac diſputare, ut elicitur ex illius lib. 3. epiſtola 8. ad Appium Pulchrum: *Diſputabant; ego contra differebam; dicebant; ego negabam;* conſequens eſt, ut idem ſit *Diſſertatio*, quæ vox oritur ex verbo diſſero, & *Diſputatio*, quæ fit ex verbo diſputo. Hoc autem oriri conſtat ex verbo *puto*, cujus ſignificationem optimè explicat Aulus Gellius lib. 6. Noctium Atticarum cap. 5. dicens:

*Verbum quoque ipſum* puto, *quod declarandæ ſententiæ noſtræ cauſa dicimus, non ſignat profectò aliud, quàm id agere nos in re dubia, obſcuraque, ut deciſis, amputatiſque falſis opinionibus, quod videatur eſſe verum, & integrum, & incorruptum retineamus.*

Ego tamen malui, ut hoc noſtrum Opuſculum inſcriberetur *Diſſertatio*, quàm *Diſputatio*, quia jam uſus obtinuit, ut hujuſmodi ſcripta Diſſertationes dicerentur, able-

ablegato Diſputationum nomine ad concertationes ſcholaſticas.

30 Et licèt *Diſſertatio* ſit vocabulum incognitum Ciceroni, illo tamen uſi ſunt Plinius Senior in Præfatione Hiſtoriæ ſuæ ad Veſpaſianum. Et Aulus Gellius lib. 10. cap. 4. & alibi. Eſt autem *Diſſertatio* nomen verbale, deductum à verbo *Diſſerto*, quod eſt frequentativum verbi *Diſſero*, orti ex verbo *Sero*, quod, teſte Voſſio in Etymologico, notat idem quod *necto*, *jungo*. Dicitur hæc ſcriptio *Diſſertatio*, quia hîc nectuntur, jungunturque omnia, quæ præcipuè ad rem noſtram faciunt, quæ apud diverſos Authores ſejuncta, diſperſaque reperiuntur; jungunturque, & nectuntur amico fœdere expeditiones Hiſpanicæ Sancti Jacobi, & Sancti Pauli.

## *Hiſtorico-Critica.*

31 HAnc Diſſertationem dico *Hiſtorico-Criticam*, quia omnia, quæ hîc diſſeruntur, exacta ſunt ad *Hiſtoriæ* amuſſim, & repurgata *Critices* ventilabro. *Critice* autem deducitur à Græco verbo *Crino*, quod inter alia ſignificata illud habet, nempe *Secernere*, ut docet Reverendiſſimus Pater Nicolaus du Mortier, Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis (mihi olim Romæ amicitiæ fœdere conjunctus) in Etymologiis ſacris Græcolatinis verbo *Criſis*. Hocque ideo curavi, qui animadverteram nonnullos de hac re ſcripſiſſe, nulla habita hiſtoriæ ratione, nullo adhibito critices examine, & eadem facilitate incerta, atque certa Lectoribus obtruſiſſe. Sicuti ex adverſo ii, qui negant expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, nihil aliud agunt, quàm oſtendere ſe hiſtoriam, aut ignorare, aut parvi pendere, & criticen, vel neglexiſſe, vel illa abuti voluiſſe.

Idque

Digitized by Google

Idque potiſſimùm ex malè jactis fundamentis, nam alii hanc expeditionem impugnant ex falſo præjudicio, quo credunt eſſe ſententiam Hiſpanorum tantummodo, ignorantes, vel ignorare ſimulantes eam tradi ab Authoribus omnium nationum: Vel cenſentes eſſe rem indifferentem venerit ne, an non venerit Sanctus Jacobus in Hiſpaniam; cùm tamen hujus expeditionis aſſertio maximè ſpectet ad totius Eccleſiæ honorem tuendum: Vel exiſtimantes hoc in negotio ſibi licitum eſſe luxuriantis ingenii argutiis indulgere: Vel denique hîc decertari pro tuenda vocula quapiam inconſultò jactata, ut ſæpe vidimus improbo labore defenſos hiſtoricos errores in alterius gratiam; & more Advocatorum, qui clientes ſuos contra jus defendunt; cum tamen hac in re nullum locum habere poſſit ſubtilitas logica, neque amplificatio rhetorica, ſed tantummodo hiſtorica veritas, eruta, vel ex maiorum Traditione non repugnante, & ex Authorum, qui hæc ſcripſerint, fide, adverſus quos nulla ratio, vel nullum factum convincens opponi poſſit.

32 E' contra verò illi, qui eam expeditionem rectiùs propugnant, ſeſe demonſtrant in omni hiſtoriarum genere verſatiſſimos, & in re critica oculatiſſimos, obſervantiſſimoſque præcepti Sancti Pauli Epiſtola 1. ad Theſſalonicenſes cap. 5. verſu 21. *Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete*, mererique laudem illam à Deo prolatam per Jeremiam cap. 15. verſu 9. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Longè hi abſunt ab eo vitio, quod in quibuſdam meritò reprehendit accerrimus Criticus Melchior Cano libro 11. de Locis Theologicis capite 5. in reſponſione ad octavum argumentum pag. 338. mihi, ubi ait:

*Viri quidem excellentes, cum à vulgi facilitate, & credulitate declinent, in adverſum quandoque vitium incur-*

*runt : ſuntque tum etiam increduli, cum in fide nihil eſt vitii, in incredulitate vitii non nihil eſt.*

33 Hiſtoriæ negligentes, ne gravius quid dicam, confugiunt ad leviſſimas ſuſpiciones, nullo fundamento nixas, exiſtimantque perſuaderi poſſe prudentibus viris, ſubtilitate ingenii probari, vel reprobari fas eſſe facta hiſtorica, quorum certitudo plerumque pendet à cognitione Traditionum cujuſque nationis, & ab Authoribus indigenis, quibus neglectis, in miſeros errores labi neceſſe eſt, ut frequentiſſimè factum eſſe dolemus à clariſſimis Authoribus, dum res externarum gentium ſcribunt.

34 Qui verò obtentu critices negant ea, quæ ſunt receptiſſima, toto Cœlo aberrant, nam hoc ſe produnt, non ſolùm hiſtoriæ, ſed ipſius criticæ artis, quam profitentur ignaros; nam ſaltem ſimulant ſe non legiſſe Authores, qui non ſolùm narrant, ſed ſolidè probant aliquot antiquos eventus; eaque ab aliis incautè negantur, & ignorare Traditiones provinciarum, quibus nititur vetuſta quæpiam ſententia; & dum ſe criticos jactant, potiores critices leges infringunt, atque ad arbitrium ſuum criticæ arti leges figunt, atque refigunt, idque nullo alio fine, niſi quo apud ignorantes famam critici nominis aucupentur, dum à doctis, cordatiſque viris tamquam novatores deſpiciuntur, & exſibilantur. Similem merentes cenſuram illi, qua Illuſtriſſimus Epiſcopus Meldenſis Jacobus Benignus Boſſuet in Inſtructione circa Verſionem Trevolcianam pag. 30. exagitavit Richerdum Simonium, aſſerens illum celare ſub ſua critice profundam quandam ignorantiam Traditionis, & Theologiæ Patrum.

35 Hæc dicta ſunto in æmulatores Joannis Launoii, qui adverſus ſe armavit inimicorum phalanges, dum oppugnare voluit antiquiſſimas Eccleſiarum Galliæ Traditiones, quemque non ſemel deceptum fuiſſe, dum ſequeretur

retur vel Sulpicii Severi, vel Sancti Gregorii Turonenſis epochas teſtatur Perrault, illius Encomiaſtes tom. 2. Elogiorum. Launoii autem Criticen brevi elogio deſcripſit, qui dixit fuiſſe formidabilem Cœlo, & terræ, & plures Sanctos dejeciſſe de Paradiſo, quàm decem Pontifices Maximi in Sanctorum Faſtos retulerint, ut legitur apud Reverendiſſimum Patrem Ignatium Laubruſel Societatis Jeſu in Aureo opere de Abuſu Critices in materia Religionis tom. 1. lib. 1. §. 8. pag. 77. Qui de Launoio plura velit, legat Theophilum Raynaudum tom. 18. tract. 8. & tom. 8. pag. 137. in Antemurali adverſus fortia ingenia. Sic enim per antiphraſin vocant Galli moroſiores Criticos; nam nihil eſt debilius his ingeniis, quæ à Gallis ironicè vocantur *fortia*. Si attendamus diffinitionem *Ingenii fortis*, quam nos docet Dictionarium Academiæ Gallicanæ V. *Fort*, ubi dicitur appellari *ingenium forte* hominem illum, qui eſt libertinus, qui affectat videri ſingularis in ſuis opinionibus, in ſua doctrina, in ſuis moribus. Ingeniis autem hujuſmodi nihil in rerum naturâ reperiri poteſt debilius, neque imbecillius. Unde eſt, quod illos videamus frequentiſſimè labentes; exemplo ſint idem Joannes Launoius, Ricardus Simon, & mille alii, quorum plura opera propter frequentes Authorum lapſus prohibita ſunt à Sede Apoſtolicâ.

36 Cùm autem ab horum licentiâ longè abſint, qui modo diſceſſere à ſententiâ affirmantium Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ut oſtentarent ingenii acumen, non ut veritatem ſeriò oppugnarent, minimè eos tangit, quæ in Launoium, ejuſque æmulatores profertur aliorum ſententia. Nos autem *Totum illud orationis genus* (verbis utor eloquentiſſimi Patris Joannis Perpiniani Societatis Jeſu oratione 12. de retinendâ veteri Religione) *Quod maledictionis magis videtur eſſe, quam adhortationis relinquamus,*

*& in ſcopulum illum potius incurramus, ut cauſam videamur amiſiſſe, quam linguæ procacitas aliena educatione liberali, & pudore noſtro, eo inſtituto vitæ, quod ſecuti ſumus, jure accuſetur.*

## §. III.

## *Diviſio Operis.*

37 DIſſertationem iſtam in tres partes dividimus. In prima aſſerimus Expeditionem Hiſpanicam Divi Jacobi eſſe honorificam; unde quiſquis, qui pro illâ decertat, cenſendus eſt decertare pro aris, & focis, non pro re nihili; agimus enim (ut prætereamus maximum Patriæ decus) de tuendo honore Eccleſiæ, non ſolùm Militantis, ſed etiam Triumphantis, qui maximus utrique acceſſit ab Expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, gloriam enim utrique detrahunt illius Expeditionis impugnatores.

38 In ſecundâ aſſerimus, nihil obſtare, quominus illa expeditio citra ullum erroris timorem affirmari poſſit, nullumque contra illam afferri inſolubile argumentum.

39 In tertia produco fundamenta, quæ meo judicio reddunt Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi moraliter certam, & evidenter credibilem; propter numerum, & pondus teſtium illam affirmantium, quibus contradici non poſſe, oſtenſum eſt in ſecundâ parte.

40 Pro coronide, triplici parti appono triplicem appendicem. Prima eſt defenſio Mariana pro miraculoſâ fundatione ſacelli Cæſarauguſtani, vulgò dicti de Columnâ, à Sancto Jacobo Apoſtolo erecti.

41 Altera eſt defenſio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pro authoritate Breviarii Romani Urbani VIII. authoritate recogniti.

Tertia

42 Tertia eſt Catalogus teſtium ex pleriſque nationibus, & Ordinibus, qui affirmant Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

## §. IV.

## *Ratio Methodi, & Styli.*

43 MEthodum ſequor Cardinalis Baronii, productis Authorum teſtimoniis, ut conſtet à nobis ſumma fide allegari. Et ut apertiùs agnoſcatur, Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi eſſe inconcuſſam; minimèque neceſſarium fuiſſe nunc in dubium revocari. Glorioſiùs enim duco maiores longè ſequi, & illorum veſtigia ſemper adorare, quàm ambulare vias difficiles, ut conformer huic ſæculo novitatem amanti, de omnibus dubitanti, omnia arguenti; nam ab hoc me deterret Apoſtolica tuba Divi Pauli, Sancti Jacobi in Expeditione Hiſpanicâ ſucceſſoris, illiuſque confirmatoris, qui ad Romanos ſcribens cap. 12. verſ. 2. ait: *Nolite conformari huic ſæculo.*

44 Non utor methodo rhetorica, ne videar deflectere in genus declamatorium, ſed contentus proponere nudam, apertamque veritatem, vitabo quidquid ambitioſam laudis eloquentiam redolere poteſt, captioſa ſophiſmata cavebo, ſolidis argumentis nixus. Et quammaximè potero ad Geometricum probandi morem accedam. Et cum vel Cicero dixerit lib. 1. de finibus: *Maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces indignæ mihi Philoſophiâ videri ſolent.* Qui ſoli veritati lito verborum contentione prorſus abſtinebo, nam, ut ait Divus Auguſtinus lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. *Verbis contendere eſt non curare quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio dictioni*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Etioni præferatur alterius. Porrò qui non verbis contendit, id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat.*

45 Scripturiant pugnaci ſtylo ii, quibus:

*Bella geri placuit nullos habitura triumphos;*

mihi enim propoſitum eſt ſemper inſudare, ut agnitâ veritate, non de adverſariis, ſed de errore triumphem, & cuicumque, qui me veritatem docuerit, libenter dicam, quod Sanctus Hieronymus dixit ad Orthodoxum ex perſonâ Luciferiani ad meliorem frugem redacti: *Non ſolùm te viciſſe exiſtimes, vicimus utrique, uterque noſtrum palmam refert tu mei, & ego erroris. Utinamque mihi ſic ſemper diſputare contingat, ut ad meliora proficiens, deſeram quod male tenebam*; Sanctus Hieronymus in libro adverſus Luciferianos in fine.

46 Cùm ingenui ſit fateri per quos profecerim, libenter proferam nomina eorum, quibus me debitorem eſſe celare non debeo. Recentiorum autem, qui ſeſe oſtenderunt minus benignos veræ ſententiæ de Expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, contentus argumenta ſolvere nominibus parco, ne videar velle Hiſpanam pietatem in eos concitare. Cùm pro certo habeam, neminem intra Hiſpaniam (neque fortaſsè extra) negare illam Expeditionem, quia de illâ dubitet, ſed tantum exercendi ingenii gratiâ, ſive ad ſummum deſiderio aſſequendi laudem novitatis, ſtudioque habendi aliquem locum inter Criticos; ſeu potiùs (quod de Catholicis viris firmiùs crediderim) ut pluribus detur occaſio ſolidiùs confirmandi eamdem Expeditionem terræ, Cœloque glorioſiſſimam, debellandique hæreticos, qui eiſdem telis oppugnant Cathedram Romanam Sancti Petri, quibus impetitur Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, ut ſapienter animadvertit vir clariſſimus Pater Franciſcus à Sancto Auguſtino Macedo in doctiſſimo opere, cui titulus *Aſſertor Romanus.*

Aliorum

47 Aliorum errata, quorum propalatio nihilo reddit meliorem cauſam noſtram alto ſilentio premimus, quia *erraſſe humanum eſt*, (ut ait D.Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium, de optimo genere interpretandi) ut ſæpius nos docet experientia, inhumanum autem eſt inſultare humana patientibus. Ego tamen meæ humanæ conditionis non immemor, hanc ad Lectorem allocutionem claudo, ipſum monendo verbis D. Auguſtini Epiſt. 73. alias 15. cap. 2. ad Sanctum Hieronymum:

> *Lædes me ſi mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis, vel dictis meis. Nam ſi ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non ſunt, te magis lædis, quàm me.*

EXPE-

Digitized by Google

# EXPEDITIO HISPANICA S. JACOBI ZEBEDÆI ASSERTA, & EX S. PAULO APOSTOLO CONFIRMATA.

## PARS PRIMA.

### *Asseritur, Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi eſſe honorificam.*

48 NIHIL hucuſque probatione minus indiguit, quàm id, quòd primâ hac noſtræ diſſertationis parte probare intendimus. Nam inter omnes conveniebat, fuiſſe honorificam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; & hæc erat una, & præcipua diſſidii cauſa; decertantibus Hiſpanis pro ſingulari hac patriæ ſuæ gloria; & impugnantibus aliquot exteris eandem expeditionem, vel quia hoc decus nobis invidebant; vel potiùs, quia ſuis provinciis aſſerere volebant maximum illum honorem, quem ex antiquiore obedientia legi Euangelicæ, derivari in ſuos non ignorabant. Nunc verò longè aliter res ſe habet; quando pauci aliquot intra fines Hiſpaniæ oſtendunt ſe in exterorum ſententiam ire, affectantes ſibi de ſeveriori critice blandiri: qui, ne videantur patriæ felicitati velle

retrahere, negant quidpiam noſtra intereſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ullique honori illam eſſe, parvique faciendum venerit ne Sanctus Jacobus in Hiſpaniam, an ſecius. Non animadvertentes ſe maximam injuriam irrogare graviſſimis viris, qui pro alterutra partium anteà ſcripſere. Quod certè hi non feciſſent, niſi exiſtimarent rem eſſe maximi momenti. Neque enim tempus inſumpſiſſent in diſcutienda quæſtione ſtocci facienda; ſimilique illis, quas irridet Seneca epiſtola 88. & Gellius libro 14. cap. 6. Sed mos eſt eorum, qui volunt laudatiſſima aliorum placita oppugnare, ut à ſe invidiam amoveant, illa inutilitatis arguere, & ad vitandarum quæſtionum numerum amandare. Hoc fecit Deſiderius Eraſmus Roterodamenſis imprudentium criticorum, peſſimæ ſobolis, peſſimus Pater, qui ut hæretico more in Theologos Scholaſticos inveheretur, retulit inter nugas, & impietates graviſſimas quæſtiones, ut videre eſt in illius Scholiis in librum Sancti Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cum de Theophilo, de quo Sanctus Hieronymus ait:

> *Theophilus Cæſareæ Paleſtinæ (quæ olim Turris Stratonis vocabatur) Epiſcopus ſub Severo Principe adverſum eos, qui decimaquartâ luna cùm Judæis Paſcha faciebant, cum cæteris Epiſcopis Synodicam valde utilem compoſuit Epiſtolam.*

49 Et nihilominus impius Scholiaſtes Eraſmus nullâ Sancti Hieronymi, nullâ Theophili, nullâ Epiſcoporum, nullâ Sacroſanctæ Synodi eum continente reverentia, irridendo ſubdit:

> *Hoc quoque reſtabat, ut de die Paſchæ quæreretur occaſio diſſidii. Hæ ſunt quæſtiones, ex quibus Paulus negat, ullum fructum gigni, niſi contentionem, & impietatem. De hujuſmodi nugis digladiamur. De contingentibus,*

Digitized by Google

*gentibus, de Conceptione Beatæ Virginis, de die Paſchæ.*

Quâ animadverſione vix dici poteſt ab homine Chriſtiano, quid à pietate alienius, vel à viro docto quidpiam ineptius.

50 Scio noſtri ævi, Luſitanos longè abeſſe à ſententiis Eraſmi, cujus conſuetudo olim doctiſſimos viros afflavit, quorum mentes non paucis erroribus infecit. Nocuit certè clariſſimo Hiſpano Joanni Ludovico Vives, de quo magni nominis Criticus Melchior Canus ex Ordine Prædicatorum Epiſcopus Canarienſis libro 10. de Locis Theologicis cap. ait:

*Plus ille nimium interdum ſibi indulget, dum corruptas diſciplinas perſequitur. Nec novitios ſolùm errores, qui vel irrepſerunt, vel invaſerunt coarguere, ſed antiquorum recepta placita convellere pertentat, maximo quidem ſemper verborum ambitu, ſed vi quandoque argumentorum minima.*

51 Nocuit Eraſmi conſuetudo eruditiſſimo cuidam Luſitano, (cujus nomini parco) qui coactus eſt aliquot errores ejurare apud violatæ Religionis Judices. Scio, inquam, noſtros maximè abhorrere à temeritate Eraſmi; ſed omnes nos monet Apoſtolus Sanctus Paulus ad Roman. 12. 3. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Quibus verbis Sanctus Paulus juxta explicationem Cornelii Alapide prohibet ne quis, *ultra ſui talenti menſuram* (verba ſunt Patris Cornelii) *ſeſe extendat, & alieno talento, officioque ſe ingerat*, v. g. *ut Grammaticus judicium ſibi arroget de rebus Theologicis, ut plebeius de rebus Sacris decernere velit.*

52 Ut igitur apertè cognoſcatur expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi utilitas, ſtatim in limine hujus diſſertationis exponere decrevi, quantum honoris ex illa

acceſſerit Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Eccleſiæ Militanti, Sancto Jacobo, Sancto Paulo, Eccleſiæ Triumphanti, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, & Supremo Imperatori Chriſto Domino Aſſertori noſtro, quod duplici Sectione præſtabitur, in quarum prima videbimus expeditionem illam fuiſſe honorificam terræ; in altera verò fuiſſe honorificam Cœlo.

## SECTIO I.

### *Aſſeritur Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe honorificam terræ.*

53 CUm mortalibus inſitum ſit pro honore decertare, laborareque ne de illo ſibi minimum quidpiam detrahatur, hac Sectione ſuſcepi expendendum, quantum ad honorem totius terræ contulerit expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, idque triplici Aſſertione explicabimus, quarum prima adſtruitur expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe honorificam Luſitaniæ. In ſecunda fuiſſe honorificam toti Hiſpaniæ. In tertia fuiſſe honorificam univerſæ Eccleſiæ in terris militanti.

## ASSERTIO I.

### *Expeditio Hiſpanica D. Jacobi eſt honorifica Luſitaniæ.*

54 NOn uno, ſed triplici titulo glorioſum eſt Luſitaniæ, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam. Quia ſcilicet Luſitaniæ Patronus eſt. Quia Luſitaniæ Magiſter eſſe non potuit, niſi in Hiſpaniam veniſſet. Et

Digitized by Google

Et denique, quia Lusitanam Ecclesiam fundare nequivit, si nunquam in Hispaniam accessit.

55 Sanctum Jacobum Patronum esse Lusitaniæ, nemo hucusque nobis negavit; idque disertis verbis testatur Pater Antonius Macedo Societatis Jesu, olim mihi amicitiæ fœdere conjunctus, & Germanus Frater Magni illius Francisci Macedo Ordinis Minorum, cujus eruditio extitit insigne Lusitaniæ ornamentum, ut testis est Hispania, Gallia, Anglia, & Italia. Pater Antonius Macedo à scriptis voluminibus celebris, qui in opere de Divis Tutelaribus Orbis Christiani, titulo *Lusitania* pag. 248. hæc ait: *Secundum à Deipara locum tenet Sanctus Jacobus Maior Apostolus: causæ patrocinii fuerunt: quia is Hispaniæ universæ, cujus pars censetur Lusitania, primarius extitit Patronus: item quia innumera illius precibus à Deo beneficia obtinuerunt Lusitani, vigente præsertim ante actis sæculis contra Sarracenos bello: præterea, quia prima Christianæ Fidei rudimenta didicere à Sancto Jacobo Hispanorum Apostolo, & Magistro: rationi igitur, ac Religioni consentaneum erat, ut quem primum habuerunt Fidei Magistrum, eumdem sibi Patronum asciscerent. Nec obscura præbuit sui patrocinii documenta Jacobus, in ipsis statim surgentis Regni Lusitanici incunabulis. Die 25. Julii sibi dicata anno 1139. Alphonsus tum primum Lusitaniæ Rex à militibus salutatus, innumerabiles Maurorum copias, nimirum sexcenta millia peditum, equitumque ab Imperatore Ismario in Campum Orichium inductas, divina magis, quàm humana virtute (nam undecim tantum bellatorum millia sub signis habebat) acie superavit. Apparuit Lusitanis pugnantibus Sanctus Jacobus equo generoso vectus, aureis instructus armis, rubra cruce distinctis, evaginatum fulminis more visus à multis rotare gladium, & magnam edere Barbarorum stragem, seque* Boanergem *id est* Filium Tonitrui *in Christianorum favorem representare: ejus ope cæsi ad internecionem hostes; plenum cadaveribus campum, & latè stagnantem sanguine reliquerunt.* *Iterum*

56 *Iterum Alphonſo Secundo Rege Luſitaniæ, duplex Frizonum, & aliarum gentium Borealium claſſis, quæ ad expeditionem Sacram, Hieroſolymas tendebat, divini adſpirante ſpiritus aura, ad portum Ulyſſiponis appulit, ibique vectores, dum commodam navigandi occaſionem operiuntur, conjunxere cum incolis vires, animoſque ad Salaciam oppugnandam, magni quodam nominis in provincia Tranſtagana urbem, eam totis viribus aggreſſi, tandem expugnarunt; pulſiſque inde Sarracenis, valido Chriſtianorum militum præſidio munierunt. Hujuſmodi expeditionem ſacram fecit belli cauſa; acceſſit Ulyſſiponenſis Epiſcopi præſentia, à quo ea eſt confecta, & conſecrata, ut nonnulli Authores ſcribunt. Viſus præterea Cælo delapſus Jacobus humana ſpecie auguſtior, radiantibus indutus armis, Luſitanis pugnantibus opem ferre, iiſque animos addere, ut acriùs oppugnarent urbem, eamque in ſuam redegerent poteſtatem. Nec, niſi præſenti illius ope, tantum oppidum capi potuit; cum centum Barbarorum millia, quatuor auſpiciis Regum, ſuppetiàs obſeſſis venerint; quibus cum acie pugnatum anceps prælium fuit: ſed haud dubia noſtrorum victoria: nullus Regum vivus evaſit: hoſtium triginta millia trucidata: oppidum victoriam ſecutum, & à noſtris inceſſum, & permunitum. Tam illuſtris victoriæ memoriam Jacobi patrocinium obtinuit, & illius præſentia decoravit.* De Alcacere, ope Sancti Jacobi expugnato, meminit etiam Cæſarius in Dialogis miraculorum diſtinct. 8. cap. 66. ubi ait: *Hæc mihi relata ſunt ab iis, qui certamini interfuerunt, & ex ore Sarracenorum, quæ dicta ſunt, audierunt.*

57 Accedit, Sanctum Jacobum non ſolùm eſſe Protectorem totius Luſitaniæ, ſed etiam Luſitani Imperii Aſiatici, ut docet idem Pater Macedo eodem volumine, titulo *Indiæ Orientalis Patroni*, pag. 206. ibi:

> *Sanctus Jacobus Apoſtolus* Maior *cognomine in India Orientali Luſitanorum in prœliis olim Patronus fuit, quemadmodum & in ipſa Luſitania, idque paſſim tradunt Hiſtorici, qui de rebus Indicis Annales texuerunt.*

Præte-

Digitized by Google

58 Prætereo Sanctum Jacobum etiam esse Patronum singularem civitatis Conimbricensis, ex quo ipse Apostolus juvit Ferdinandum Regem Legionensium, qui illius ope in suam redegit ditionem Conimbricam, tunc sub Maurorum jugo gementem, illiusque arcem firmissimam, post longam obsidionem, tandem expugnavit, ut scribit idem Macedo pag. 254. nam Rex Ferdinandus (ut scribit Rodericus Toletanus lib. 6. de Rebus Hispaniæ cap. 11.) *Beati Apostoli Oraculo confortatus, contra Conimbriam exercitum congregavit*: Et, ut idem Author tradit, Divus Jacobus armorum insignibus decoratus, visus est obsidentibus Conimbricam subvenire. Adeo antiquum est Apostoli in Conimbricam (nunc Lusitaniæ Athenas) patrocinium; quod renovatum, & confirmatum sæculo decimosexto, regnante Sebastiano, studio, & cura clarissimi Antistitis Conimbricensis Joannis Soarii ex Sacro Ordine Eremitarum Sancti Augustini.

59 Cùm igitur Sanctus Jacobus sit Patronus Lusitaniæ, quidquid illi potest esse glorioſum, Lusitaniæ etiam est honorificum. Glorioſissimum autem est Apostolo in Hispaniam venisse, ut suo loco videbimus: ergo id etiam est ingens decus Lusitaniæ, cujus est Patronus. Quod utique asserendum esset, etiamsi Lusitania extra Hispaniæ fines sita fuisset, dummodo Sanctum Jacobum haberet Patronum.

60 Ut hoc clariùs intelligatur, sciendum est ex Sancto Isidoro lib. 10. Etymol. V. *Patronus*, quod *Patroni à Patribus dicti sunt, quod hujusmodi affectum clientibus exhibeant, & quasi Patres, illos regant.* Hac de causa M. Cato relatus ab Aulo Gellio Noctium Atticarum lib. 5. cap. 13. dixit, *Patrem primum, deinde Patronum proximum nomen habere.* Unde meritò Tyndarus ille Plautinus in Captivis Act. 2. scena 3. vers. 84. utrumque nomen Philocrati Domino suo indidit:

*Tu hoc age, tu mihi heres nunc es, tu Patronus, tu Pater.*

61 Si ergo D. Jacobus eſt Luſitaniæ Patronus, eſt quaſi illius Pater, ac proinde quod illi gloriæ acceſſerit, redundat in gloriam Luſitaniæ, cujus eſt Patronus, & quaſi Pater, nam ut ait Sapientiſſimus Regum Salomon Proverb. cap. 17. v. 6. *Gloria filiorum Pater eorum.* Cujus rationem affert in hunc locum præſtantiſſimus Proverbiorum Salomonis interpres Ferdinandus Quirinus de Salazar è Societate Jeſu, *quia* (inquit) *eorum ornamenta, & ſtemmata vicißim ad filios deſcendunt.* Et clariùs Eccleſiaſticus cap. 3. v. 13. *Gloria hominis ex honore Patris ſui, & dedecus filii Pater ſine honore.*

62 Cùm igitur veniſſe in Hiſpaniam ſit ſingulare ornamentum Sancti Jacobi, (ut infra videbimus) neceſſe eſt, ut hoc etiam deſcendat in Luſitaniam, cujus eſt Patronus, & quaſi Pater.

63 Alter titulus, quo honorificum eſt Luſitaniæ, Sanctum Jacobum in Hiſpania prædicaſſe, eſt, quia niſi ipſe in Hiſpania prædicaſſet, non accepiſſet Luſitania tam citò lumen Chriſtianæ Religionis; nam licèt dicatur, Sanctum Petrum, & Sanctum Paulum veniſſe in Hiſpaniam, ut plures volunt, imò & in Luſitaniam, ut tamquam probabile ſcribit Ludovicus Marinus de Azevedo in opere de Fundatione Urbis Ulyſſiponenſis lib. 3. cap. 22. de quo nunc non diſputamus, tamen neuter ex his duobus Apoſtolis potuit veniſſe in Hiſpaniam ante Sanctum Jacobum; nam Sanctus Paulus nondum venerat in Hiſpaniam anno æræ vulgaris quinquageſimo ſeptimo, vel octavo, quo ſcripſit Epiſtolam ad Romanos, cujus capite 15. verſ. 24. ait: *Cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero*; & verſ. 28. *per vos proficiſcar in Hiſpaniam.* Viginti omnino annis, poſtquam Sanctus Jacobus ſcribitur prædicaſſe in Hiſpania; anno videlicet trigeſimo ſeptimo æræ vulgaris; Sanctus verò Petrus

Digitized by Google

trus non potuit prædicare in Hiſpania, antequam conſtitueret Romæ Cathedram, quod accidit anno æræ vulgaris quadrageſimo quinto inſequente martyrium Sancti Jacobi, & elapſis, ut minimùm, ſeptem annis, ex quo Sanctus Jacobus cœperat prædicare in Hiſpania. Et ut ſicuti caruiſſe luce Euangelii per ſeptem annos eſt magna infelicitas, & longè maior jacuiſſe in tenebris per viginti annos, ita maximo honori ducendum eſt, cognoviſſe Chriſtum priuſquam elaberentur viginti anni, vel ut minimum, ſeptem.

64 Imò etiam ſi Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus prædicaſſent in Luſitania eodem anno trigeſimo ſeptimo, & non prædicaſſet Sanctus Jacobus, maximè dolendum eſſet privari doctrina illius Apoſtoli, qui Chriſti fuit conſanguineus, unuſque è tribus ipſi maximè dilectis. E' contra verò, maximi faciendum eſt Luſitaniæ fuiſſe edoctam Euangelium à Sancto Jacobo, quem Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Homilia 36. in Act. Apoſtolor. vocat ſummum Apoſtolum, ait enim de Sanctis Petro, & Joanne loquens: *Vides quòd hi tres ſummi erant, maximè autem Petrus, & Jacobus*, qui fuit unus, ut ita dicam, è Chriſti Triumviris, qui interfuerunt ejus Transfigurationi in monte Thabor, & orationi ultimæ in Horto paulò ante mortem: à Sancto Jacobo, qui ardentiſſimo flagravit zelo divini honoris: Qui Beatiſſimæ Virgini Mariæ Apoſtolorum Reginæ, & Magiſtræ cariſſimus fuit: Qui omnium Apoſtolorum primus mortem pro Chriſto ſuſtinuit.

65 Honorificum eſt Scholæ Thomiſticæ habere Magiſtrum Sanctum Thomam Doctorem Angelicum; Scholæ Minoriticæ habere Magiſtrum Joannem Duns Scotum Doctorem ſubtilem. Honorificum eſt aliis Scholis ſuos habuiſſe Coriphæos graviſſimos, & ſanctiſſimos viros; & non erit honorificum Luſitaniæ habuiſſe Magiſtrum

Sanctum Jacobum, unum ex tribus præcipuis Chriſti Apoſtolis? Gloriantur Academici, & Peripatetici (etiam Chriſtiani) habuiſſe Magiſtros, illi Platonem, iſti Ariſtotelem (ut præteream Epicureos, & Chartheſianos, qui ſe jactant diſcipulos Epicuri, & Renati Deſcartes, cujus opera Philoſophica, & quædam alia ſunt prohibita à Sede Apoſtolica donec corrigantur) & non gloriabitur Luſitania de Magiſtro ſuo Jacobo Maiore?

66 Et quod caput eſt: Paulus Apoſtolus (verba ſunt Sancti Hieronymi ad S. Paulinum ſcribentis) *ad pedes Gamalielis legem Moyſi, & Prophetas didiciſſe ſe GLORIATUR.* Et non honori ducet, non gloriabitur Luſitania didiciſſe Euangelium à Sancto Jacobo Apoſtolo? Gloriatur D. Paulus didiciſſe à Gamaliele, *qui*, ut teſtatur Sanctus Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 5. verſ. 34. *erat legis Doctor, honorabilis univerſæ plebi*; & non gloriabitur Luſitania didiciſſe à Sancto Jacobo, qui honorabilis fuit, & ſingulariter honoratus à Chriſto?

67 Deinde juxta Sanctum Ambroſium lib. 2. de Virginibus, *Primus diſcendi ardor nobilitas eſt Magiſtri*: Quàm honorificum ergo Luſitaniæ eſt, eum habuiſſe Magiſtrum, qui maxima præfulſit nobilitate; ortus enim fuit generosâ ex ſtirpe David, quippe qui erat Chriſti Domini conſanguineus, quod eſt ſupremum altiſſimæ nobilitatis culmen. Sanctum Jacobum autem fuiſſe Chriſti conſanguineum, docent non ſolùm Theophylatus, aliique Græci, ſed ex Latinis Beatus Albertus Magnus, in Sancti Matthæi cap. 20. Sanctus Thomas Quodlibeto 4. quæſt. 8. articulo 4. qui de Sancto Joanne Euangeliſta (quem Euangelium vocat fratrem Sancti Jacobi, & utique Germanum, quippe quibus aſſignat communem utrumque parentem) ait:

*Joannes Euangeliſta maximè fuit idoneus, & tamen quia conſan-*

Digitized by Google

*consanguineus Christi erat secundum carnem, prætulit ei Petrum in regimine Ecclesiæ.*

Hugo Cardinalis ad illa verba Christi apud Sanctum Matthæum cap. 20. v. 23. *non est meum dare vobis*, subdit, *quia consanguineis, sed quia bonis.* Ecce tria Sacri Ordinis Prædicatorum, imò totius Ecclesiæ Catholicæ lumina pro cognatione sanguinis inter Christum, & D. Jacobum. Pro eadem cognatione stat Nicolaus de Lyra in Sancti Matthæi cap. 20. grande Ordinis Minorum decus, *qui ad ista usque tempora vix parem habuerit, nedum superiorem, vel sanctitate vitæ, vel doctrina, & scriptis*; ut legimus apud Waddingum in Scriptoribus Ordinis Minorum, cùm de Nicolao. Stat Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, de quo circunfertur illud insigne Elogium:

*Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.*

Is enim apertè adstruit hanc cognationem in cap. 17. Sancti Matthæi quæst. 12. Prætereo plures alios magni nominis Recentiores; unde mirandum est, scriptum fuisse nuper à Doctissimo viro, hanc cognationem irrito conatu defendi ab Antonio Bacellar Ordinis Minorum; & magis mirandum scripsisse, quòd juxta meliorem opinionem nulla interceſſit cognatio sanguinis inter Christum, & nostrum Hispaniæ Patronum; nullo producto Authore præter recentissimum Tillemontium in notatione 3. de Beatâ Virgine, & notatione 1. de Sancto Jacobo Maiori. Et omnium maximè mirandum est citari Tillemontium in iis locis, in quibus nihil dicit contra cognationem Christi, & Sancti Jacobi, imò nec nominat Sanctum Jacobum Maiorem.

68 Non negaverim posse pro sententia nobis adversante produci aliquot Authores, in iisque Pereiram in Prologomenis in Euangelium Sancti Joannis, disput. 3. ubi negat, Sanctum Joannem Euangelistam (qui certè fuit

Sancti Jacobi frater Germanus) fuiſſe Chriſti conſanguineum ; ſed Pereiræ egregiè reſpondet Ludovicus Tena libro 3. Iſagoge Sacræ Scripturæ difficultate 8. ſectione 2. fol. 275. col. 1. ubi poſt exſufflatam rationem Pereiræ, concludit:

> *Nullo ergo firmo fundamento Pereira impugnat ſententiam affirmantium, Joannem Euangeliſtam fuiſſe cognatum Chriſti ſecundum carnem.*

69 Ego autem libentiùs amplexus ſum ſententiam de cognatione inter Chriſtum Dominum, & Sanctum Jacobum, quia licèt non poſſit probari ex Sacra Scriptura, tamen apertè deducitur ex antiquis Patribus, ſaltem cognatio exiſtimata, quæ ſatis eſt, ne ideo ſuppoſitionis, vel interpolationis arguatur primum Concilium Bracharenſe, (ex quo infertur Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam) quia in ipſo vocatur *Sanctus Jacobus Domini conſanguineus.* Et quia illa cognatio ſecundum ſanguinem egregiè explicata fuit à ſapientiſſimo, eruditiſſimoque viro Patre D. Antonio Ardizzono Clerico Regulari, hujus Domus Sanctæ Mariæ de Providentia Fundatore, in Sermone inſcripto: *Declaraçaõ Myſterioſa da Arvore Real de Jeſu Chriſto*, numero 48. & 52.

70 Præterea jam ſuperiùs vidimus gloriam Parentum in filios redundare, unde honorificentiſſimum eſt filiis clariſſimos habuiſſe Parentes. Deinde certum eſt, eos Magiſtros, qui homines docuerunt Euangelium, eſſe eorum Parentes juxta Oracula Divi Pauli 1. Corinth. 4. verſ. 15. *in Chriſto Jeſu per Euangelium ego vos genui*; & ad Philemonem verſu 10. *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo.* Quomodo ergo non erit honorificum Luſitaniæ habere Magiſtrum, hoc eſt Parentem per Euangelium, Sanctum Jacobum Maiorem, virum inter Chriſti Apoſtolos clariſſimum?

Hæc

71 Hæc dicta sunto adversus eos, qui asserunt nihil nostra interesse fuerit D. Jacobus Apostolus Magister, vel non fuerit; quorum sententia, quantum à veritate recedat, nemo non videt.

72 Postremus titulus, ex quo maximè honorifica est Lusitaniæ expeditio Hispanica Sancti Jacobi, est fundatio Lusitanæ Ecclesiæ, quæ ad illam expeditionem suam refert antiquitatem; ab illaque repetit originem Hispaniæ Primatus Ecclesiæ Bracharensis; ut pluribus luculenter demonstrant, præter alios, clarissimi viri Rodericus à Cunha, & Sebastianus Cæsar; ille in tractatu de Primatu Bracharensis Ecclesiæ in universa Hispaniâ, maximè cap. 11. 12. & 13. Hic verò in Relectione de Ecclesiastica Hierarchia parte 1. disp. 4. §. 5. per totum. Judicent ergo cordati, & prudentes viri, an sit honorificus Lusitaniæ totius Hispaniæ Primatus, quem Regalis Academia Historiæ Lusitanæ defendendum statuit, ut honorificentissimum Lusitaniæ, cui tamen longè honorificentior est quocumque Primatu expeditio Hispanica Sancti Jacobi, ut desertè professa est nuper Ecclesia Hispalensis in Libello Supplici ad Regem Catholicum Philippum V. parte 3. §. 2. numero 20. pag. 336. ubi ait:

> *Importando mas a Hespaña una tan sobresaliente honra, y gloria ilustre de haverla santificado este grande Apostol, y Primo de Jesu Christo, con su predicacion, y sepulcro, que todo el Primado.*

73 Nolo hîc in controversiam vocare, an sit honorificentius Lusitaniæ, edoctam fuisse à Sancto Jacobo, quàm à Sancto Paulo, ne videar velle disputare de meritis Sanctorum, dicente Authore libri de Imitatione Christi lib. 3. cap. 58. num. 2. nomine ipsius Christi:

> *Noli etiam inquirere, nec disputare de meritis Sanctorum, quis alio sit Sanctior, aut quis maior fuerit in Reg-*

*no Cœlorum. Talia generant ſæpe lites, & contentiones inutiles, nutriunt quoque ſuperbiam, & vanam gloriam, unde oriuntur invidiæ, & diſſentiones, dum iſte illum Sanctum, & alius alium conatur ſuperbè præferre. Talia autem velle ſcire, & inveſtigare nullum fructum afferunt, ſed magis Sanctis diſplicent; quia non ſum Deus diſſenſionis, ſed pacis; quæ pax magis in humilitate verâ, quàm in propriâ exaltatione conſiſtit.*

74 Illud tamen non dubitaverim affirmare, longè honorificentius eſſe Luſitaniæ Hiſpaniam, cujus pars eſt, fuiſſe edoctam à Sancto Jacobo, & à Sancto Paulo, quàm à ſolo Sancto Jacobo, vel à ſolo Sancto Paulo, quia maiorem lucem afferunt duo luminaria, quàm unum tantum.

75 Similiter illud conſtanter aſſevero, longè glorioſius eſſe Luſitaniæ hauſiſſe primam Euangelii lucem ante duodecimum annum à morte Chriſti, quo occiſus eſt Sanctus Jacobus, quàm poſt vigeſimumquartum à Chriſto Paſſo, hoc eſt, poſt annum 57. æræ vulgaris, quo Sanctus Paulus ſcripſit ad Romanos, ſe poſtea venturum eſſe in Hiſpaniam.

76 Ratum ergo, firmumque maneat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi eſſe omnibus titulis Luſitaniæ honorificentiſſimam.

## ASSERTIO II.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica toti Hiſpaniæ.*

77 SUpervacanea videri poteſt, & meritò, iſta aſſertio, iis, qui legerunt eruditiſſimos tractatus, qui de hoc argumento conſcripti ſunt à Doctiſſimis, graviſſimiſque viris; quorum teſtimonia mox adducam, ſed

Digitized by Google

sed omnino necessaria est nunc, ex quo scriptum nuperrimè vidimus, Prædicationem Sancti Jacobi cum modico eo fructu, qui à quibusdam asseritur, non fuisse Hispaniæ glorioſam; licèt hoc dictum abundè confutatum remaneat iis, quæ superiùs diximus, cum de Patrocinio, & Magisterio Apostoli loqueremur; non enim sola Lusitania, sed universa Hispania gloriatur de Sancto Jacobo Magistro, & Patrono suo. Magistrum agnoscit in Hymno ipsius Festi ad Vesperas, ubi canit:

*Tu cæca nox, atque impia*
*Nos cum teneret vanitas*
*Lucem salutis primitus*
*Oris Iberis impetras.*

Patronum celebrat eodem Hymno, dum prosequitur:

*Tu, bella cum nos cingerent,*
*Es visus ipso in prælio,*
*Equoque & ense accerrimus*
*Mauros furentes sternere.*

Et expressiùs in Hymno ad Laudes, qui sic incipit:

*Jesu salus mortalium*
*Nobis ades, dum dicimus*
*Laudes Patrono Hispaniæ*
*Tuam canentes gloriam.*

Præterea in vindicando Magisterio Sancti Jacobi desudaverunt, & desudant plurimi, iique clarissimi viri expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi acerrimè propugnantes, quos suo loco memorabimus.

78 Unde pullulat alius, neque is contemnendus, titulus gloriæ ab adventu Sancti Jacobi in Hispaniam derivatæ, nempe tot protulisse fortissimos Duces hujus Jacobææ expeditionis assertores, quorum Apologiæ Authores suos collocant inter Literarii cœli sidera; inter quæ maximè rutilant, post Sanctum Isidorum, Eminentissi-

mus

mus Cardinalis de Aguirre, Excellentiſſimus Caſtellæ Comes-ſtabilis, Excellentiſſimus Gaſpar Ybañes de Segovia, Marchio Mondexarenſis, Doctor eximius Franciſcus Suarius Granatenſis Societatis Jeſu, Doctiſſimus Thomas Maluenda Ordinis Prædicatorum, & noviſſimè (ut nunc alios prætéream ſuo loco referendos) clariſſimus vir Joannes Ferreras Hiſpanæ Hiſtoriæ vindex, quam hucuſque undecim voluminibus illuſtravit, qui unam, & alteram edidit Diſſertationem, quibus rem glorioſiſſimè conficit. Ex quo videre eſt, Hiſpaniam novis ſcriptis pro Sancto Jacobo, indies magis in gloriæ verticem aſſurgere; iteratoque fœtu creſcere ramos aureos, quibus inſignes pietate viri ſuos de hoſtibus exornent triumphos. Nunquam enim accidit, ut quiſpiam contra hanc Jacobæam expeditionem muſſarit, quin ſtatim plures alii maximè ſtrenui pugiles, pro Sanctiſſimo Apoſtolo prodierint in arenam, ſemper victoriæ certi.

79 Patrocinium autem Sanctiſſimi Apoſtoli tanti facit Hiſpania, ut nullum alium patiatur vocari Patronum Hiſpaniæ, præter Sanctum Jacobum, & adeo ægretulit inſtitui Sanctam Tereſiam ſecundam Patronam Hiſpaniæ Authoritate Summi Pontificis Urbani VIII. ut diutiùs decertaverit pro revocatione (quam tandem obtinuit) illius Pontificii Reſcripti. Legantur hac de pugna libelli ſcripti à Petro Gonçales Guijalino, Alfonſo Rodrigues de Leon, & Franciſco Villafaña; à Joanne Gonçales Centeno, Gundiſalvo Sanches de Ulhoa, & Puga, & Franciſco de Cueva & Sylva, Advocatorum ſui ævi facilè Principe, judicio Nicolai Antonii in Bibliotheca Hiſpaniæ. Legatur diſertiſſimus, & ingenioſiſſimus Franciſcus de Quevedo, & Villegas in Opuſculo pro Patronatu Sancti Jacobi: *Pro unico ſcilicet Jacobi Apoſtoli patrocinio Hiſpaniarum, cujus partem Tereſiæ Sanctiſſimæ de Jeſu adjudicari debere*

*debere acclamatione publica quibusdam federat.* Verba sunt Nicolai Antonii in Bibliotheca Hispaniæ, cum de Francisco de Quevedo, & Villegas. Ex quo perspicitur quàm immeritò quis dixerit, quod non pauci Castellani in publicis Comitiis intenderunt, Sanctum Jacobum Zebedæi honorifico Hispaniæ Patroni titulo spoliari, eumque titulum Sanctæ Virgini Teresiæ Matri Carmelitarum Discalceatorum conferri, contra quos scripsit Franciscus Quevedo. Neque enim tentatum est in iis Regni Comitiis spoliari Sanctum Jacobum eo titulo; sed addi Sanctam Teresiam, quo remanebat quidem Sanctus Jacobus Patronus, sed non solus, non unicus, idque (ut tunc putabant) sarto, tectoque Patronatu Sancti Jacobi; ut testantur verba Bullæ Urbani VIII. ab eodem Quevedo relata: *Sine tamen præjudicio, aut innovatione, vel diminutione aliqua Patronatûs Sancti Jacobi Apostoli.*

80 Honorificam autem fuisse Hispaniæ expeditionem D. Jacobi, profitentur clarissimi Authores, Joannes Ferdinandus Velasci Comes-stabuli Castellæ, discursu 2. de Adventu Sancti Jacobi in Hispaniam pag.42. ibi:

> *Y assi el afirmar (conformando-me con ellos) la venida de S. Pedro, y S. Pablo, y Santiago a España, no solo es gloria destos Reynos, sino de los mismos Apostoles.*

Quæ verba sic transtulit Erycius Puteanus in Vindiciis Tutelaribus Hispaniæ lib.2. pag.30.

> *Itaque horum sententiam amplexi DD. Petri, & Pauli, & Jacobi in Hispaniam adventum si adseramus, non solum Regnis hisce, sed Apostolis ipsis gloriam addamus.*

D. Joannes de Salazar in Præfatione tractatus Apologetici de Adventu, & Prædicatione Sancti Jacobi in Hispaniam ait:

> *Occasion muy grande tiene nuestra España para hazer una muy gran demonstracion de resentimiento, de que en estos*

*ticmpos aya avido perſonas, que inconſideradamente an querido poner duda, y difficultad en lo que es la venida del Apoſtol Santiago el Mayor a Eſpaña, y ſu perſonal predicacion en eſtos Reynos. Pues es aſſi, que la mayor prerogativa, y de que mas ſe an preciado ſiempre eſtos Catholiciſſimos Reynos, es el aver tenido por Predicador, y Maeſtro de la fé a eſte glorioſo Apoſtol.*

Franciſcus de Padilla in Hiſtoria Eccleſiaſtica Hiſpaniæ tom. 1. centuria 1. fol. 24. ibi:

*La venida del Apoſtol Santiago a Eſpaña, y el aver predicado el Euangelio de Chriſto en ella, es coſa de que reſulta gran honra, y gloria a eſtos Reynos, y a la nacion Eſpañola.*

Venerabilis Didacus Murillo Ordinis Minorum in libro inſcripto *Fundacion Milagroſa de la Capilla Angelica, y Apoſtolica de la Madre de Dios del Pilar*, tract. 1. cap. 2. pag. 13. col. 1. loquens de Hiſpania, ait:

*Una de las coſas, que mas la enoblecen, es aver tenido un tan grande Apoſtol por primer Padre de nueſtra fé. Y aunque es grande gloria de otras Provincias*: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. *Nos otros nos gloriamos con poder dizir*, Nos ſumus Jacobi. *Nos otros ſomos hijos del Apoſtol Santiago.*

Et eodem tractatu cap. 7. pag. 51. col. 1. ibi:

*Y cierto no ſe puede negar ſino que es grande gloria de nueſtros Reynos, aver encomendado el miſmo Chriſto Redentor nueſtro ſu proteccion al Apoſtol Santiago.*

Franciſcus de Jeſu, & Xodar, Prologo Quinque diſcurſuum de Adventu, & Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpania, ſic incipit:

*A ſido la Tradicion de Eſpaña, deſde que ſe convertiò a la fé, que el primer Maeſtro, que la predicò en ella, fuè el Apoſtol Santiago, reconociendo ſiempre a eſta por la mayor de ſus glorias.*

Et

Et discursu 5. cap. 1. num. 2. pag. 168. loquens de Sancto Jacobo, ait:

> *La gloria, que se le sigue a España de tenerle por Maestro proprio, sin duda es maior, que la que el Cardenal (Baronio) quiere darle, con que la primera fundacion de su Iglesia, de la manera, que el la pone, venga ultimamente a reduzirse al Principe de los Apostoles. Porque no siendo assi proprio Apostol de España San Pedro, en la forma, que lo fue Santiago, es maior gloria tenerle a el, como le tiene, aunque en la dignidad sea menor.*

Franciscus de Quevedo & Villegas tomo 2. operum in Memoriali pro Patronatu Sancti Jacobi pag. 129. mihi, Philippum IV. alloquens, ait:

> *Quanto, Señor, se ha sentido en España, que el Cardenal Baronio niegue la venida de Santiago a ella? Quanto se ha escrito por mandado de vuestro padre, y por la HONRA de la Nacion?*

Et novissimè Ecclesia Hispalensis in Libello supplici supra citato numero 72. cujus verba illic relegi possunt, quin opus sit, ea hîc iterum describi. Neque soli Hispani testantur esse Patriæ suæ honorificum fuisse edoctam à Sancto Jacobo Apostolo. Id etiam disertè affirmat Joannes Lorinus Societatis Jesu, homo Gallus, qui scribens in Act. Apostolor. cap. 12. vers. 2. ait:

> *De Jacobi in Hispaniam adventu, atque prædicatione, duplicem Hispano scripsit idiomate discursum Joannes Velascus Castellæ Comes-stabilis, in omni scientiarum genere, ut ipsemet sum expertus, non mediocriter versatus. In eo nititur ad objecta respondere,* & Hispaniæ decus adeo magnum, *multis argumentis vindicare.*

De hoc Comes-stabilis opere meminit idem Lorinus in Psalmum 18. versu 5. ubi loquens de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, subdit:

*Quem contentione magna vendicat Joannes Velaſcus Caſtellæ Comes-ſtabilis duobus, quos vocat diſcurſibus Hiſpanicè ſcriptis.*

81 Conſequenter ad illud *vendicat* Lorini, locutus eſt Ericius Puteanus, qui transferens in Latinum ſermonem illos duos diſcurſus Comes-ſtabilis, inſcripſit opus: *Hiſpaniarum vindiciæ tutelares in duos libros diviſæ:* Quæ obiter adnotaſſe volui, quia non defuit, qui diceret, quod Lorinus dum dicit: *Nititur ad objecta reſpondere*, non dicit *probat*, aut *ſatisfacit*, ſed *nititur*, quod eſt quid longè diverſum? Nam dum Lorinus dicit *vendicat*, plus fortaſsè dicit, quàm ſi diceret *probat*, vel *ſatisfacit*, quo advoco illud Ciceronis lib. 2. de Inventione: *Vindicatio eſt per quam vis, & injuria, & omne quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur.* Ciceroni adjungo Voſſium in Etymolog. V. Vendico. Ubi ait: *Hæc vox accipitur de actione, qua vim, & injuriam propulſamus adverſus eos, qui nobis res noſtras, aut jus in rebus ereptum eunt.* Unde Lorinus, qui dixit *nititur*, cùm dixiſſet *vendicat*, noluit dicere Comitem-ſtabilem niſum fuiſſe irrito conatu, ſed quidquid voluerit intelligi Lorinus ex ſuo illo *nititur*, nil certè derogat Hiſpanorum ſententiæ. Neque tanti fieri debet authoritas Lorini hominis Galli ab aſſerentibus prædicationem Divi Pauli in Hiſpania, cùm ipſe in Act. Apoſtolor. cap. 17. verſ. 34. dicat:

*Pauli profectio in Hiſpaniam non eſt omnino certa, licèt eam non improbabiliter oſtendere conentur Pererius, Toletus, Salmeron, Baronius, Andreas Richlicius.*

Non enim fatebuntur per illud Lorini *conentur* derogari ſententiæ de prædicatione Sancti Pauli in Hiſpania: ergo neque dicere poſſunt per illud *nititur* Lorini derogari ſententiæ de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpania. Cùm fortaſsè *conari* minus ſit, quàm *niti*, juxta illud Ciceronis de

de Oratore: *Vides ne Demoſthenem multa perficere, nos multa conari; illum poſſe, nos velle.* Neque ulteriùs immorandum in premendis ſignificationibus verborum Lorini; ſed ſicuti ipſe (uti Gallus, ad quem nihil attinebat Hiſpania) dixit ſuper citatum Davidis locum: *Quidquid ſit de adventu in Hiſpaniam.* Sic nos omnes dicamus, quidquid ſit de ſignificatione verborum Lorini; hæc enim, ut hominis exteri, nihil derogare poſſunt honori, & gloriæ Hiſpaniæ.

82 Neque dici poteſt non eſſe honorificam Hiſpaniæ expeditionem Divi Jacobi eo ſucceſſu, quo ab illius aſſertoribus narratur: dicunt enim, Apoſtolum paucos convertiſſe, unde coactus fuerit ingemiſcere ad ripam Iberi fluminis, ibique Deiparam, cùm adhuc viveret, illi apparuiſſe, eumque fuiſſe conſolatam ſpe uberioris fructus in ſequentibus temporibus.

83 Non inquam, id dici poteſt, nam imprimis non omnes aſſerunt, paucos fuiſſe ad fidem converſos prædicatione Apoſtoli; nam plures ab ipſo converſos fuiſſe affirmant, præter Comitem-ſtabilem Caſtellæ, & Calixtum II. ab ipſo relatum diſcurſu 1. pag. 9. Ferdinandus Oxea Ordinis Prædicatorum in Hiſtoria Sancti Jacobi cap. 6. & 7. Maurus Caſtella Ferrer in Hiſtoria Sancti Jacobi lib 1. cap. 17. & ſequentibus, & præcipuè cap. 24. Venerabilis Didacus Murillo in libro inſcripto *Fundacion Milagroſa de la Capilla Angelica &c.* tract. 1. cap. 8. Copioſum collegiſſe fructum ex Hiſpania Sanctum Jacobum ſcribit Pater Hieronymus Pardo ex Clericis Regularibus Minoribus in libro, cui titulus *Excelencias del Glorioſo Apoſtol Santiago*, parte 2. lib. 3. cap. 8. Plurimos etiam converſos fuiſſe in Hiſpania à Sancto Jacobo probat Pater Philippus de la Gandara Auguſtinianus in libro inſcripto *Palmas, y Triunfos Eccleſiaſticos de Galicia*, parte 1. lib. 1. cap. 9. §. *Aora veremos*, pag. 41. Et Venerabilis Maria à Jeſu Abbatiſſa

batiſſa Monaſterii Conceptioni dicati in Oppido Agreda aſſerit, fuiſſe in Hiſpania immenſum fructum prædicationis Sancti Jacobi; oppoſitumque affirmari, eſſe errorem. Do illius verba ex opere inſcripto *Myſtica Ciudad de Dios*, parte 3. lib. 7. cap. 16. ubi loquens de Sancto Jacobo, ait:

> *El fructo, que hizo con la predicacion fue immenſo reſpeto del tiempo, que eſtuvo en Eſpaña: y ha ſido error dezir, ò penſar, que convertiò muy pocos; porque en todas partes, ò lugares, que anduvo dexò plantada la fé, y para ello ordenò tantos Obiſpos en eſte Reyno, para el govierno de los hijos, que havia engendrado en Chriſto.*

84 Hujus ſententiæ jam dudum Author fuit Walfridus Strabo, qui dixit, Sanctum Jacobum convertiſſe Hiſpanas Gentes, Barbara Idololatrarum agmina, ut videre eſt in illius Poemate de duodecim Apoſtolis, ubi de Sancto Jacobo loquens, ait:

> *Primitus Hiſpanas convertit dogmate gentes.*
> *Barbara divinis convertens* agmina *dictis,*
> *Qui priſcos dudum ritus, & lurida fana*
> *Dæmonis horrendi decepta fraude colebant.*

Et Walfrido antiquior S. Notkerus, qui in ſuo Martyrologio ad diem 25. Julii de Sancti Jacobi prædicatione in Hiſpania loquens, ait:

> *Ejus corporali præſentia, & doctrina, atque ſignorum efficacia ibidem multi populi ad Chriſti fidem converſi referuntur.*

Quo jure igitur dici poteſt, ſolum Excellentiſſimum Caſtellæ Comitem-ſtabilem aſſerere quamplurimos Hiſpanorum à Sancto Apoſtolo ad Fidem fuiſſe converſos, idque omnes alios negare? Certè id non negat Calixtus II. non Caſtella Ferrer, non Murillus, non Venerabilis Maria à Jeſu, non Walfridus, non S. Notkerus: ergo negari non poteſt fuiſſe Hiſpaniæ honorificentiſſimam expedi-

Digitized by Google

peditionem Divi Jacobi, ex quâ ipſe uberrimos collegit fructus.

85 Deinde etiamſi Apoſtolus convertiſſet pauciſſimos, vel etiam nullum, adhuc illius adventus fuiſſet Hiſpaniæ valdè honorificus; beatamque ſe poſſet Hiſpania prædicare ex tanti hoſpitis adventu; illuſtrius accepit decus Hiſpania ex adventu Sancti Jacobi, quàm accepiſſet ex adventu omnium Apoſtolorum ſimul, quia ex adventu Jacobi orta eſt Hiſpaniæ ſumma illa felicitas excipiendi ad Iberi ripam Auguſtiſſimam Virginem Mariam adhuc viventem; quæ excedit gratiâ, & gloriâ, non ſolùm omnes Apoſtolos ſimul, ſed omnes creaturas electas, ſive Angelos, ſive homines, ut inter primos docuit Paulus Areſius noſter, hanc ſententiam ſpargens, & ſcriptis defendens, ſicut ſcribit Paulus Sfondratus etiam noſter in illius vita, & ex ipſo Joſephus Silos elegantiſſimus noſtri Ordinis Hiſtoricus. Cùm igitur Sanctiſſima Dei Mater ſuperet gratiâ, & gloriâ omnes Beatos ſimul ſumptos, ut videre eſt apud Magnum Suarium in tertiam partem diſp. 18. ſect. 4. §. *Dico ſecundo*; maior gloriæ cumulus accedit Hiſpaniæ ex Mariano adventu, quàm ex omnium Apoſtolorum acceſſu in Hiſpaniam. Si autem Hiſpania adinſtar Sanctæ Eliſabethæ interrogaret: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Reſponderi illi poſſet: *ex adventu Jacobi in Hiſpaniam.* Sit honorificus Hiſpaniæ adventus Sancti Petri Principis Apoſtolorum, adventus Sancti Pauli Doctoris Gentium. Sed longè honorificentior eſt adventus Sancti Jacobi, qui in cauſa fuit, ut Beatiſſima Virgo præſens honoraret Hiſpaniam.

86 Hinc effectum eſt, ut Hiſpania ante omnes provincias ſe dederit cultui Magnæ Matris, unde in has terras ſumma gloria redundat, ut obſervat Venerabilis Maria à Jeſu loco citato numero 359. ibi:

*Eſta*

*Esta excelencia, y maravilla es la que ſin contradicion engrandece Eſpaña, ſobre quanto de ella ſe puede predicar: pues ganò la palma a todas las Naciones, y Reynos del Orbe en la veneracion, culto, y devocion publica de la Gran Reyna, y Señora del Cielo Maria Santiſſima; y viviendo en carne mortal, ſe ſeñalò con ella en adorarla, y invocarla mas que otras Naciones lo an hecho, deſpues que muriò, y ſubiò a los Cielos para no bolver al mundo.*

87 Hinc ortum habuit Patrocinium Virginis Mariæ in Hiſpaniam, ex quo ſumma felicitas provenit in hæc Regna, ut eruditè probat Doctiſſimus Pater Fr. Antonius de Arbiol juſto volumine inſcripto: *Eſpaña feliz por la milagroſa venida de la Reyna de los Angeles Maria Santiſſima, viviendo aun en carne mortal, a la dichoſa Ciudad de Caragoza.* Unde negari non poteſt maximè fuiſſe honorificam Hiſpaniæ expeditionem Sancti Jacobi, ex quâ tot glorioſiſſima decora in Hiſpaniam provenere.

## ASSERTIO III.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi honorifica eſt Eccleſiæ Militanti.*

88 CUm negari non poſſit honorifica eſſe Eccleſiæ Militanti omnia ea, quibus illius dogmata confirmantur, & quibus illius hoſtes revincuntur; neceſſe eſt, ut omnes Catholici fateantur, eſſe maximè honoricam Eccleſiæ Militanti Sancti Jacobi expeditionem Hiſpanicam, quâ aliquot illius dogmata confirmantur, pluresque hæreticorum errores revincuntur.

89 Quatuor Eccleſiæ dogmata, inter alia, confirmantur expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; primum eſt colendas eſſe Sacras imagines: ſecundum dicanda eſſe Deo

Deo Templa : Tertium invocandam esse Sanctissimam Virginem Mariam : Quartum venerandam esse eandem Beatissimam Dei Parentem, quæ sola cunctas hæreses interemit in universo mundo.

90 Confirmatur autem primum ex istis dogmatis nempè, colendas esse Sacras imagines, expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi ; quia hic Sanctissimus Apostolus Cæsaraugustæ in Regno Aragoniæ coluit imaginem Sanctissimæ Virginis Mariæ ab Angelis adductam , columnæque impositam , ut inferiùs latiùs ostendemus, quæ ab eo tempore summâ Christianorum undique confluentium veneratione colitur ; facem prælucente cunctis eodem Sanctissimo Apostolo ; quod non accidisset, nisi Sanctus Jacobus in Hispaniam veniret.

91 Hoc autem facto jugulantur hæreses, non solùm Iconoclastarum, qui Sacras imagines frangebant, sed etiam Iconomachorum, qui olim ipsis cultum denegabant. Cujus erroris lues per Galliam grassabatur initio noni sæculi, ut testatur Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Jona Aurelianensi ; quos omnes æmulati sunt sæculo sexto decimo Lutherani aliquot, & Calviniste omnes sequentes octogesimum septimum Magistri sui errorem, juxta enumerationem Jacobi Gualterii in Tabulâ Chronograficâ statûs Ecclesiæ Catholicæ sæculo XVI. pag. 788. mihi.

92 Secundum dogma Ecclesiæ , quod confirmatur expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi est, dicanda esse Deo Templa ; nam ex traditione, aliisque documentis constat, Sanctum Jacobum in Hispaniâ aliquot domos sacrasse Deo, ut Apostoli reliqui facere consuevere in provinciis sibi sorte datis. De quo Apostolorum more *fidem facit* Petrus Venerabilis in Epistolâ contra Petrobusianos Hæreticos , cujus verba inferiùs adducemus. Quo evertitur

error Manichæorum, Petrobuſianorum, Albigenſium, Waldenſium, Wicleffiſtarum, Taboritarum, & Anabaptiſtarum Tranſylvanorum, qui uſum Templorum oderunt, ut videre eſt apud Cardinalem Bellarminum tom. 1. controverſia 7. lib. 3. cap. 1.

93 Tertium dogma Eccleſiæ, quod confirmatur expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi eſt, Beatiſſimam Virginem eſſe invocandam; communiter enim dicitur ab Aſſertoribus illius expeditionis, Sanctum Jacobum invocaſſe Sanctiſſimam Virginem ad ripam fluminis Iberi, quo Apoſtoli facto refellitur error Joannis Calvini aſſerentis apud Bellarminum tom. 1. controverſia 7. lib. 1. cap. 15. illicitum eſſe invocare alium præter Chriſtum unicum mediatorem, & interceſſorem noſtrum, quo damnatur à Calvino invocatio Virginis Mariæ.

94 Quartum Eccleſiæ dogma, quod expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi confirmatur eſt, Sanctiſſimam Virginem Mariam eſſe colendam; Divus enim Jacobus ad ripam fluminis Iberi religioſiſſimum ipſi Auguſtæ Virgini cultum exhibuiſſe narratur, quo exploditur error Leonis Iſaurici, Conſtantini Copronymi, Wicleffiſtarum, Calvini, & Centuriatorum Magdeburgenſium, reprobantium cultum Sanctiſſimæ Virgini delatum, quos noviſſimè impugnavit Doctiſſimus Pater Dominicus Viva Societatis Jeſu, mihi olim, dum Neapoli commoraremur, amicitiæ neceſſitudine conjunctus, in Damnatarum Theſium Theologica Trutina parte 3. ad propoſitionem 26. ex proſcriptis ab Alexandro VIII.

95 Cùm igitur expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi à conſtanti traditione aſſertâ confirmentur, præter alia, hæc quatuor Sanctiſſima Eccleſiæ dogmata, perſpicuè cernitur, illam expeditionem eſſe Eccleſiæ Militanti honorificam; ſimulque terrificam hoſtibus Eccleſiæ, qui per

per ſummam impudentiam detrahunt Eccleſiaſticis Traditionibus, qui cultum Sacrarum imaginum reprehendunt, qui Templa Deo dicari fugillant, qui Sanctiſſimæ Virginis invocationem damnant, qui Reginæ Apoſtolorum religioſum cultum contemnunt.

96 Unde mirum non eſt, adeo placere Hæreticis noſtri temporis ſententiam negantem adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, adverſus quem nemo prius muſſare auſus eſt, quam Lutherana, Calvinianaque lues Orbem polluerit, indicto Sacris imaginibus, & Templis, Sanctiſſimæque Virgini impiiſſimo bello. Quidni negent traditionem Hiſtoricam, qui Traditiones Eccleſiaſticas, Apoſtolicas, & Divinas cenſent reſpuendas? Agnoſcunt Hæretici, ſe expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi oppugnari, ideo nobis ſuccenſent, quod illam propugnemus. Vellent Hæretici, ut omnes Catholici, deſerta Hiſpaniarum Traditione Eccleſiarum, contemptiſque antiquorum ſcriptis, negaremus expeditiones Hiſpanicas Sanctorum Apoſtolorum Jacobi, & Pauli, ideo nobis objiciunt, quod pro illis decertemus, ut videre eſt apud Joannem Botſaccum Hæreticum Germanum, in Moralibus Gedanenſibus V. Jacobus Zebedæi filius, ubi ait:

*An hic fuerit in Hiſpaniâ diſputant inter ſe Pontificii.*

Et verbo Paulus §. 7. in fine:

*An aliquando in Hiſpaniam iverit, litigant inter ſe Pontificii, quibuſdam affirmantibus, quibuſdam negantibus, Juſtinian. fol. 64. diſput. 3. de Apoſtolatu: Caſpar Sanct. tract. Comment. in Acta Apoſtolor. annex. Non levis diſſenſio: ut fruſtra nobis pars adverſa diſſentiones opprobret, quibus ipſa penitùs immerſa eſt.*

97 Ex hujus Heterodoxi verbis facilè intelligent Orthodoxi, quàm proni illi ſint ad arripiendam anſam confirmandi errores, ſententiaſque ſuorum, ex factis, dictiſ-

dictiſque noſtris; quàmque periculoſum ſit à maiorum ſententiis diſcedere. Ideo omni diligentiâ cavendæ ſunt novitates, quæ licèt videantur ingenii lumina, plerumque ſunt parvæ ſcintillæ, quæ ſi contemnantur, magnum poſtea ſuſcitabunt incendium.

## SECTIO II.

### *Aſſeritur, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe honorificam Cœlo.*

98 NOn minus cordi eſt Cœlo honor, quam terræ; noſque magis laborare debemus pro honore Cœli, quàm pro terræ honore; hinc poſtquam oſtendimus Sectione I. expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe honorificam terræ, accingimur ad oſtendendum fuiſſe honorificam Cœlo, quod quinque Aſſertionibus explicabimus, probantes unâ, expeditionem illam fuiſſe honorificam ipſi Apoſtolo; alterâ, fuiſſe honorificam Doctori Gentium Sancto Paulo; tertiâ, fuiſſe honorificam toti Eccleſiæ Triumphanti; quartâ, fuiſſe honorificam Auguſtiſſimæ Cœli Reginæ; quintâ denique, fuiſſe honorificam Supremo Imperatori Chriſto Domino.

## ASSERTIO IV.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica ipſi Apoſtolo.*

99 SUpervacaneum videri poterit immorari in hâc Aſſertione probandâ, ſi attendimus, quæ dicta ſunt à nuperrimo impugnatore expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi aſſerente, quod *ingens gloria, & decus perilluſtre*

*tre Sancti Jacobi esset prædicasse Euangelium in Hispaniâ provinciâ valdè amplâ Catholicissimâ, nobilissimâ, celeberrimâ.* Cùm tamen quispiam suspicari posset his obesse ea, quæ alibi ex aliis refert, nempè: *Sanctum Apostolum Jacobum cum Beatissima Virgine, quando ei Cæsaraugustæ in Columna apparuit, conquestum fuisse de Hispanorum duritiâ, & suæ prædicationis inefficaciâ, quippe qui inanem operam posuisset tam exiguum fructum capiens ex Hispaniæ provinciâ adeo amplâ, & quæ labruscas fecerit, dum Apostolus uvas expectaret.* Existimavi opportunum esse hoc loco honorem Magistri nostri Sancti Jacobi asserere.

100 Licèt igitur Assertores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi dissideant circa numerum victoriarum, quas ipse de vana superstitione reportaverit, affirmantibus quibusdam, pauciſſimos fuisse eos, qui ipsi prædicanti Euangelium crediderint, aliis verò dicentibus plurimos ab ipso Sanctissimo Apostolo fuisse in Christi Ovile adductos; ut cumque res se habeat (de quo nunc differere supervacaneum ducimus) illud pro certo habendum, hanc expeditionem Sancto Jacobo fuisse honorificentissimam.

101 Si plurimos (ut quidam aiunt) superato errore devicit in Hispaniâ Euangelicus ille Dux, confecta res est. Quid enim glorioſius illi potuit accidere, quàm spoliis Occidentis onustum, in patriam remeasse martyrii laureâ coronandum?

102 Si verò (ut alii scribunt) paucos Christo adjunxit, cùm per hos toti Hispaniæ lux Euangelii affulserit, utilissimum sanè laborem impendit, ut ait Antonius Possevinus è Societate Jesu, homo Italus, laboribus pro Ecclesiâ susceptis, & libris pro Orthodoxâ doctrinâ conscriptis celeberrimus, in Bibliothecâ selectâ tom. 1. lib. 4. cap. 2. ibi:

*Cùm Sanctus Jacobus Apostolus octo solùm animas in Gallæcia*

*læcia Chriſto Domino adjunxiſſet, utiliſſimum tamen laborem impendit; per illos enim denique Gallæcia, magnaque pars Hiſpaniæ converſa eſt.*

103 Imò etiam, ſi nullum convertiſſet in Hiſpaniâ, dummodo ibi Euangelium prædicaſſet, magnam gloriam conſecutus eſſet. Hujus ſententiæ fidejuſſorem habeo Sanctum Joannem Chryſoſtomum, qui nomine omnium Euangelii Prædicatorum homilia 12. in Joannem, ait:

*Nunquid fruſtra currimus, fruſtra laboramus? Nunquid ſupra petram ſemen jacimus? Nunquid ſecus viam? an inter ſpinas latent ſemina cadentia? Contendimus enim, & maiorem in modum formidamus, ne agricultura nobis ſterilis evadat. Neque hoc dico quod vereor, ne in laboris hujus mercede capiam detrimentum: non enim eâdem conditione, qua agricolæ poſt annuos ſudores, & miſeram illam, laboriоſamque vitam, ſi terra aliquando pro operis in ſe impenſis non reſpondeat, nemo alius ejus damnum inſtaurare poteſt, ſed pudibundus, triſtiſque ab arca domum ad uxorem, & filios revertitur, & quem longi laboris mercedem petat, habet neminem: in nobis autem nihil hujuſmodi uſu venit, ſed licèt culta terra nullum afferat fructum, & ejus, & noſter dominus vana nos ſpe dimiſſos non fruſtratur, ſed remunerat. Unuſquiſque enim, inquit, propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem, non ſecundum rerum eventum.*

104 Pluribus Sanctorum Patrum teſtimoniis poſſemus noſtram Aſſertionem comprobare, ſed dum brevitati conſulimus, ea omittimus; veruntamen non eſt prætereundus maximus illius Patronus, Sanctiſſimus Pater, Magnus Auguſtinus, qui libro 1. contra Creſconium cap. 5. ait:

*Nullo modo aſſertorem Chriſtianæ pacis, & unitatis infructuoſam, & inanem arbitreris inſtantiam, quamvis enim,*

*enim, si cui diligentia medicinæ hujus impensa non prodest, sufficit ad rationem reddendam Deo, quod non cessavit impendi, sicuti enim malignus suasor peccati, etiam si non persuaserit, meritò pœnam deceptoris incurrit: ita fidelis justitiæ prædicator, etiam si ab hominibus respuatur, absit, ut apud Deum sui officii mercede fraudetur. Res enim certa sit ad incertum. Incertum autem dico non præmium facientis, sed animum audientis. Incertum est enim nobis utrum assensurus sit cui veritas prædicatur, sed certum est etiam talibus veritatem prædicare oportere, & certum est fideliter eam prædicantes dignam retributionem manere, sive suscipiantur, sive spernantur, sive etiam propterea quælibet temporaliter adversa patiantur.*

105 Licèt igitur Hispania nullum Cultori suo Sancto Jacobo attulerit fructum; (quod negamus) licèt omnes Hispani ipsum respuerint, (quod nemo dicit) nunquam dici potest, ipsum à Deo fuisse frustratum, ipsum apud Deum sui officii mercede fuisse fraudatum; sed tenemur dicere, ipsum accepisse propriam mercedem secundum proprium laborem; cùm autem necesse fuerit plurimos, eosque maximos exantlari labores in peragrandâ Hispanâ, vastissimâ provinciâ, proculdubio tenendum est, ipsum accepisse uberrimam mercedem, sibi longè honorificentissimam.

106 Deinde sive paucos, sive multos illustraverit in Hispaniâ, dummodo in illâ prædicaverit, semper dicendus est Apostolus Hispaniæ, cum lucem Euangelii in ipsam invexerit, unde obtinuit titulum, ex quo specialiori cultu ab Hispanis honoraretur, juxta doctrinam eruditissimi Theophili Raynaudi Societatis Jesu, hominis natione Galli, an Itali, ut ait Nathanael Sotuellus, sed certè viri præstanti ingenio, & acerrimo judicio, Opusculo de Titulis cultus Sanctorum specialis puncto 3. ubi ait:

*Quam-*

*Quamvis autem Eccleſia ob communionem Sanctorum, ubi vis terrarum agnoſcere debeat præclara in ipſam Sanctorum merita ubicumque locorum habitaverint: tamen non eſt dubium, quin oræ illæ, ac gentes, quibus immediatè commodavit labor Sanctorum, debeant ſpecialius erga ipſos affici, & affectum ſuum cultu ſpecialiori teſtari. Sic unaquæque natio ſuos ſortita eſt Apoſtolos, quorum in ipſam merita, omnem ſuperant æſtimationem. Quantum enim fuit, traduci à mutis ſimulacris, ad ſerviendum Deo vivo, & vero, & è tenebris in lucem ſanctam, ab exorto denique juſtitiæ ſole derivatam vocari? Fecit hoc apud Hiſpanos. SANCTUS JACOBUS.*

Et infra ſubdit idem eruditiſſimus Author:

*Qui igitur hoc modo ſe prodidere gentis alicujus Apoſtolos, deque eâ per Euangelii ſeminationem, ac culturam ſoli illius, optimè ſunt meriti, peculiarem eorum, quibus commodarunt, affectum, ac venerationem ſibi meritiſſimò depoſcunt; eſtque id maximè legitimum cultûs ſpecialis fundamentum; cùm non poſſit quis melius mereri de alio, quàm eum veluti oculando, & fidei, ſine quâ placere Deo impoſſibile eſt, luce ſub obſcurâ perfundendo.*

107 Ex dictis colligitur, honorificum fuiſſe Sancto Jacobo docuiſſe Hiſpanos, ſive plures, ſive pauciores habuerit in Hiſpaniâ diſcipulos, nam cùm fuerit Apoſtolus Hiſpaniæ, ſibi devinxit hanc ampliſſimam provinciam in Fide perſeverantem, à qua ſpecialiùs coleretur, cùm cœteræ provinciæ, quibus in Oriente dicitur prædicaſſe, jam dudum à vero Dei, Divorumque cultu defecerint errorum, & ſuperſtitionum fluctibus ſubmerſæ.

108 Prætereo maximè glorioſum eſſe Sancto Jacobo tot habuiſſe ſuæ expeditionis Hiſpaniæ Sanctiſſimos Aſſertores, validiſſimoſque propugnatores, ut nunquam ea à quopiam in dubium revocata fuerit, quin pro eâ aſſerendâ

ſerendâ plures prodierint Scriptores. Unde, vel ipſi hujus expeditionis adverſarii Sancto Jacobo militant, illorum enim ſcriptiones nihil aliud ſunt, quàm claſſica, quæ piorum provocant phalanges ad pugnandum pro Sanctiſſimo Euangelicæ Militiæ Ductore; omnes enim hujus expeditionis oppugnatores experti ſunt, quod Cardinalis Baronius expertus eſt, vel ipſo teſtante Spondano ad annum Chriſti 44. num.4. ubi ait:

*Adverſus Baronium conſurrexit pro ſuarum Eccleſiarum traditione univerſa Hiſpania, multis eâ de re à quocumque hominum genere editis ſcriptis.*

109 Quàm glorioſum eſt Sancto Jacobo, quòd ipſius expeditionem Hiſpanicam adverſus Baronii dubitationem aſſeruerit Excellentiſſimus Joannes de Velaſco Caſtellæ Comes-ſtabuli? Quod hujus librum typis mandari juſſerint omnes Ordines Caſtellani Regni, cum ad Comitia omnes conveniſſent? Quàm glorioſum eſt Sancto Jacobo, Philippum III. inter Reges Catholicos maximè à probitate laudatum, imperaſſe, ut iſta expeditio iterum propugnaretur ab eruditiſſimo Carmelitano Fratre Franciſco de Jeſu Xodar, quod ille egregiè præſtitit, eruditiſſimo volumine? Quàm glorioſum eſt Sancto Jacobo, ut poſt acerrimam diſcuſſionem, hujuſmodi expeditio reſtitueretur Breviario Romano juſſu Doctiſſimi Pontificis Urbani VIII?

## ASSERTIO V.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica Sancto Paulo Apoſtolo.*

110 FAcilimè aſſenſum præſtabit huic Aſſertioni quiſquis perpenderit non fuiſſe minus glorio-

ſum Sancto Paulo prædicare in Hiſpaniâ poſt Sanctum Jacobum, quàm Sancto Jacobo prædicare in eâdem provinciâ ante Sanctum Paulum. Neque enim minus honorificum fuit Apoſtolis prædicaſſe poſt Prophetas, quàm fuit Prophetis prædicaſſe ante Apoſtolos, juxta illud Joannis 4. 38. *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. In hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis;* in quem locum Sanctus Auguſtinus tract. 15. in Joannem, ait: *Diſpares temporis labores habuerunt: ſed gaudio pariter perfruentur, mercedem ſimul accepturi, vitam æternam.* Et ſicut honorificum fuit Prophetis ſeminare, ita honorificum fuit Apoſtolis metere: ergo ſicut honorificum fuit Sancto Jacobo ſeminare fidem in Hiſpaniâ, prædicando priùs, ut ſupra vidimus, ita honorificum fuit Sancto Paulo metere, confirmando poſteriùs.

111 Idem oſtenditur aliâ metaphorâ, etiam ductâ ab Agriculturâ, quâ uſus eſt Sanctus Paulus 1. Corinth. 3. 8. ubi ait: *Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipit ſecundum ſuum laborem.* In quem locum Angelicus Doctor Sanctus Thomas ait:

> *Unum ſunt ex conditione naturæ, & miniſterii ratione, quare ſcilicet non poteſt unus alteri præferri, niſi ſecundum donum Dei, & ita quantum in ſe ipſis unum ſunt. Et quia conſequenter in intentione miniſtrandi Deo unum ſunt per concordiam voluntatis, ideo ſtultum eſt de his, qui unum ſunt, diſſentire.*

Ergo Sanctus Jacobus, qui plantavit fidem in Hiſpaniâ, & Sanctus Paulus, qui fidem in eâdem provinciâ rigavit, unum ſunt in gloriâ, & honore; ſed magna fuit gloria Sancto Jacobo plantaſſe fidem in Hiſpaniâ: ergo magna

etiam

Digitized by

etiam gloria fuit Sancto Paulo rigasse fidem in eâdem Hispaniâ. Neque de hoc debet esse disceptatio, juxta Guillielmum Estium, hunc Apostoli textum exponentem; ait enim: *Cum ergo sint unum: non vos debetis propter eos dividi in factiones.*

112 Hanc utriusque Apostoli unitatem, vel saltem unionem egregiè confirmat id, quod docet; & latè prosequitur Doctissimus Pater Hieronymus Pardo Præpositus Provincialis Clericorum Regularium Minorum in libro inscripto: *Excelencias, y Primasias del Glorioso Apostol Santiago*, parte 2. libro 3. cap. 17. nempe, unum fuisse utriusque Sancti Apostolatum, unam futuram esse in extremo Judicio utriusque sedem; & utrumque Apostolum repræsentatum fuisse in uno, eodemque fundamento novæ Civitatis Hierusalem; & utrumque repræsentari in uno, eodemque lapide, scilicet Saphyro. Quod deinde cap. 18. confirmat ex maximâ similitudine inter Sanctum Jacobum, & Sanctum Paulum, quam fusiùs expendit loco citato videndam.

113 Sed quia hæc, & similia videntur pertinere potiùs ad Oratoriam exornationem, quàm ad severam argumentandi methodum, aliud produco, quod negare non possint vel morosiores Critici. Nempe nisi Sanctus Jacobus prædicasset in Hispaniâ ante Sanctum Paulum, nimis serò venisset Sanctus Paulus in hanc provinciam, non venit enim ante annum sexagesimum tertium æræ vulgaris, quo exiit à primis vinculis Romanis, ut est indubitatum apud omnes Interpretes Actuum Apostolorum, omnesque Authores, qui hanc quæstionem pro dignitate agitaverunt. Maximèque alienum esset à charitate ejusdem Apostoli tandiù distulisse conversionem provinciæ sibi commissæ, nisi ipsa jam antea à Divo Jacobo accepisset lucem Euangelii. Unde multò meliùs consulitur gloriæ,

& honori Sancti Pauli afferendo, Sanctum Jacobum prius prædicaviſſe in Hiſpaniâ, quàm negando, Sanctum Jacobum Hiſpaniæ invexiſſe fidem Chriſti; nam qui dicimus, Sanctum Jacobum ante veniſſe in Hiſpaniam, liberamus Sanctum Paulum ſuſpicione tarditatis, dicimuſque tandiù diſtuliſſe venire in Hiſpaniam, quia in eam non venit, ut in ipsâ primo plantaret vineam Chriſti, ſed ut videret, an floruiſſet vinea prius plantata, juxta illud Canticor. 6. verſ. 10. *Deſcendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inſpicerem, ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala Punica.* Quem locum adaptat Cornelius Alapide Sancto Paulo docenti eos, qui jam audierant verbum Dei, & quibus jam prædicatum erat de Chriſto.

114 Qui autem negant adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, coguntur dicere, Sanctum Paulum per plures annos Hiſpaniam in altiſſimis infidelitatis tenebris reliquiſſe, cùm aliis in locis prædicaſſet, non ſolùm ſemel, ſed iterum, & tertiò, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum; quod credi non debet de Sancto Paulo, qui zelo animarum maximè flagrabat. Unde valdè honorifica eſt Doctori Gentium expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi.

115 Prætereo ea, quæ de tribus ſolibus in Hiſpaniâ apparentibus, & in unum coeuntibus dicuntur ab Authoribus Hiſpanis, aptanturque tribus Apoſtolis in Hiſpaniâ prædicantibus, nempe Sancto Jacobo, Sancto Petro, & Sancto Paulo; unde maior cujuslibet eſt gloria tres, quàm duos in unum conflatos fuiſſe ſoles. Niſi autem Sanctus Jacobus veniſſet in Hiſpaniam, non fulſiſſet Sanctus Paulus ſplendore triplicis ſolis, ſed tantum luce unius, vel ad ſummum duorum, nempe ſui ipſius, & Sancti Petri.

116 Poſtremò cedit in gloriam Sancti Pauli prædicaviſſe Sanctum Jacobum in Hiſpaniâ, quia ejus prædicatione eliditur illud argumentum, quod contra prædicationem

Digitized by Google

cationem Sancti Pauli in Hiſpaniâ conficit Hiſpaniæ non nimis favens Guillielmus Eſtius in Epiſtol. ad Romanos cap. 15. verſ. 28. ubi ait:

> *Sane quid magnum fuerit in Hiſpaniâ Paulum fuiſſe, ſi nulla in eâ Chriſtianæ fidei veſtigia reliquit?*

Nam huic argumento nos poſſumus reſpondere, etiam D. Jacobum in Hiſpaniâ pauca veſtigia fidei reliquiſſe, & tamen prædicavit in Hiſpaniâ, quod reſpondere non poſſunt negantes expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; unde nos magis conſulimus honori Divi Pauli, quàm adverſarii. Et manifeſtè conſtat, expeditiones Hiſpanicas duplicis hujus Apoſtoli ſe mutuò confirmare, & qui unam aſſerit, alteram negare non poſſe, nam æque confirmatur ſententia aſſerentium, Divum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ ab expeditione Sancti Jacobi; atque confirmatur expeditione Hiſpanicâ Sancti Pauli, expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, quod hoc Opuſculo oſtendendum ſuſcepimus.

## ASSERTIO VI.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica Eccleſiæ Triumphanti.*

117 SUpervacanea videri poterit hujus Aſſertionis probatio, ex quo oſtendimus, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi honorificam eſſe Eccleſiæ Militanti, nam cum ex utrâque conſtituatur una Eccleſia, ut docet Divus Auguſtinus enarratione in Pſal. 149. 5. ibi:

> *Ipſa nos genuit, ipſa eſt Eccleſia Sanctorum, ipſa nos nutrivit, ex parte peregrinâ, ex magnâ parte immaneus in Cœlo. Et parte, quâ immanet in Cœlo, beatitudo Angelorum*

*gelorum eſt : ex parte, quâ peregrinatur in hoc ſæculo, ſpes eſt juſtorum.*

Quidquid eſt honorificum uni parti, eſt etiam honorificum alteri, juxta illud ejuſdem Auguſtini lib. 10. de Civitate Dei cap. 7. de Angelis loquentis:

*Cum ipſis enim ſumus una Civitas Dei, cui dicitur in Pſalmo* : Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei: *cujus pars in nobis peregrinatur, in illis opitulatur.*

Tamen maioris diſtinctionis gratiâ, hanc materiam volui dividere.

118 Certum igitur eſt, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi honorificam eſſe Eccleſiæ Triumphanti, non ſolùm, quia jam in illâ triumphat Sanctus Jacobus, de quo jam diximus à numero *99.* ſed aliis etiam titulis.

119 Primus eſt, quia Sanctus Jacobus licèt unum tantum hominem convertiſſet in Hiſpaniâ, maximum tamen gaudium attuliſſet Angelis Dei in Cœlo, juxta illud Chriſti apud Sanctum Lucam cap. 15. 7. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.* Unde vel unicus Hiſpanus à Sancto Jacobo converſus occaſio fuit honoris, & gloriæ Eccleſiæ Triumphanti.

120 Alter titulus eſt, quia unicuique provinciæ, unicuique regno, unicuique civitati datus eſt à Deo Angelus Cuſtos, ut ex Sanctis Patribus probat Doctor eximius Magnus Suarius, libro *6.* de Angelis cap. 17. à numero 22. ergo ſuos peculiares Angelos habent provinciæ, regna, & urbes Hiſpaniæ, quibus non potuit non maximè placere, quod Sanctus Jacobus laboraverit in adducendis ad Chriſtum provinciis, regnis, & civitatibus, quibus ipſi Angeli præpoſiti erant; nam in hoc negotio cooperabatur

rabatur in Hiſpaniâ miniſterio Angelorum, ipſe Apoſtolus, cui idem erat eſſe Apoſtolum Hiſpaniæ, atque eſſe Angelum Hiſpaniæ.

121 Apoſtoli ſunt illi Angeli veloces, quos prædixit Iſaias cap. 18. verſ. 2. Sed velocior Angelus inter omnes fuit Sanctus Jacobus, qui ut velocius cucurrit ad martyrium, velocius exiit ad prædicationem in Hiſpaniâ, provinciâ ſibi demandatâ; citiùs illi attulit lucem Euangelii, citiùs venit in auxilium Cuſtodum regnorum, civitatumque Hiſpaniæ, ex quibus quiſque, adveniente Jacobo in eam civitatem, ſive provinciam, cujus erat Cuſtos, dicere poterat, quod olim Angelus ſibi gratulans ad Danielem (cap. 10. verſ. 13.) *Unus de principibus primis venit in adjutorium meum*; nam ſicuti *Principes ſunt Apoſtoli* (ut ait Sanctus Auguſtinus enarratione in Pſalm. 67. n. 34.) ſic certè Sanctus Jacobus, qui fuit unus ex primis Apoſtolis, ut conſtat ex Euangelio Sancti Matthæi cap. 4. verſ. 22. fuit etiam unus ex principibus primis. Unde honorificum eſt Angelis Cuſtodibus provinciarum, & civitatum Hiſpaniæ in Eccleſiâ Triumphante commorantibus, Jacobum in illis provinciis prædicaſſe, eoſque adjuvaſſe in negotio liberandi clientes ſuos à captivitate principum tenebrarum, per lucem Euangelii.

122 Tertius titulus eſt, quia expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, etiam ſi nullus converteretur prædicatione Apoſtoli, adhuc eſſet opus bonum, & laudabile ex dictis ſupra numero 103. Et Apoſtolus bene ageret ad Hiſpaniam prædicationis causâ accedendo; proindeque gaudium afferret Angelis, juxta doctrinam expreſſam in libro Soliloquiorum (qui ſub nomine Sancti Auguſtini circumfertur, extatque in Appendice tomi 6. operum Sancti Auguſtini editionis Monachorum Sancti Benedicti Congregationis Sancti Mauri) cap. 27. ubi dicitur: *Quoties bene agimus*

*agimus gaudent Angeli, & triſtantur dæmones.* Utrumque autem eſt honorificum Eccleſiæ Triumphanti.

123 Quartus titulus, ex quo honorifica fuit Eccleſiæ Militanti expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt, quia occaſionem præbuit Angelis laudandi Reginam ſuam, Sanctiſſimam Dei Parentem, & ipſi obſequia præſtandi, cùm venit in Hiſpaniam inviſura Sanctum Jacobum; afferendique Columnam, cui ex illo tempore ſuperſtat Virginea imago Angelicâ formata manu; & ædificandi Cæſarauguſtanum ſacellum, Deo dicatum, nomineque Sanctæ Mariæ inſignitum. Quæ omnia obſequia Sanctiſſimæ Virgini ab Angelis præſtita, & cedunt in maximum honorem Eccleſiæ Triumphantis, & conſequuta ſunt ad expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; unde hæc dicenda eſt Eccleſiæ Triumphanti honorificentiſſima.

## ASSERTIO VII.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi fuit honorifica Sanctiſſimæ Virgini Mariæ.*

124 EXpeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non uno ex capite ceſſit in honorem Auguſtiſſimæ Virginis. Omnes hujus honoris titulos recenſere longum eſſet: paucos ſeligo explicandos.

125 Primus, ſplendidiſſimuſque ſeſe objicit titulus, nempe Beatam Virginem eſſe Matrem Chriſti, qui à Sancto Jacobo prædicatus eſt in Hiſpaniâ, licèt unus tantum, vel nullus fuiſſet Hiſpanus, qui ipſi crederet prædicanti; nam ad gloriam Chriſti ſatis erat admirabile, illius nomen fuiſſe prædicatum, indeque ſumma gloria in Virginem Dei Matrem redundat ex Sancti Jacobi Hiſpanicâ expeditione; nam ſicuti mulier illa de turbâ audiens Chriſtum prædi-

prædicantem, prodiit in laudes Matris Christi, extulitque vocem, & dixit Domino: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*; sic Ecclesia Catholica, cujus illa mulier typum gessit, (ut docet Venerabilis Beda lib.4. cap.49. in Lucæ 11.) laudat Sanctissimam Matrem, audiens Christum prædicari.

126 Secundus est, quia Beata Virgo fuit Magistra Apostolorum, ut significat clarissimum Augustiniani Cœli sidus Sanctus Thomas de Villanovâ Sermone 3. de Assumptione, ubi ait:

> *Mariæ, propter singularem, & excellentem eruditionem, cœlestis Magister ad Patrem, unde venerat, rediturus, Scholam, & Cathedram suam reliquit; non quidem ut oves suas regeret sicut Petrus, sed ut discipulos suos cœlesti sapientiâ, quam ab initio didicerat, erudiret; quoniam & propter ingenii vivacitatem, & diuturnioris Scholæ assiduitatem, cæteris omnibus condiscipulis sapientior, & doctior habebatur. Quam quidem Scholam duodecim annis, ut fertur, rexit, ac tenuit, Apostolorum omnium, & Discipulorum Christi, Ecclesiarumque Magistra: unde, & cunctas hæreses solam interemisse in Ecclesiâ Dei, meritò decantatur.*

127 Cùm igitur Sanctus Jacobus, quatenus unus ex Apostolis, fuerit discipulus Virginis Mariæ, quid aliud erat prædicare Sanctum Jacobum in Hispaniâ, quàm propagare etiam ibidem doctrinam à tantâ Magistrâ acceptam; ex quo non poterat non redundare honor, & gloria in Sanctissimam Virginem; honor enim Magistrorum est non minimus doctrinam suam per Orbem diffundi.

128 Tertius titulus est, quia Beatissima Virgo non solùm fuit Magistra, sed etiam *Apostolorum Præconium*, ut eam vocat Sanctus Ephræm Syrus in Sermone de Laudi-

bus Virginis. Quia Apoſtoli prædicantes Chriſtum, filium Mariæ prædicabant, & Mariam Matrem Chriſti, ut teſtatur Philippus Abbas Bonæ Spei (Canonicus Regularis Ordinis Præmonſtratenſis inſtituti à Sancto Norberto, divinitùs acceptâ per viſum Regulâ à Sancto Auguſtino) in Cantica lib. 6. cap. 9. dicens:

> *Apoſtoli Chriſtum natum de Virgine intellectu linceo pernitentes: idemque beneficium non Judæis, non Gentibus invidentes, non ſolum Filium, ſed & Matrem beatiſſimam adſtruxerunt, cujuſmodi viſione, & ipſi ſuo modulo beatitudinem meruerunt.*

129 Succinit Sapientiſſimus Idiota, ſub cujus nomine humilitatis causâ latere voluit Raymundus Jordanus, qui parte 4. cap. 8. num. 2. ſe communem fratrum vitam profiteri ſcribit, & ſe Sancti Auguſtini filium profitetur. Verba illius profero ex contemplatione Virginis cap. 5. ubi Virginem alloquens, ait:

> *In prædicatione Apoſtolorum in omnem terram exivit ſonus tui Sanctiſſimi nominis, & manifeſtum toti mundo factum eſt.*

Ergo Sanctus Jacobus Apoſtolus prædicans in Hiſpaniâ Chriſtum filium Mariæ, prædicavit etiam Mariam Matrem Chriſti; quod non potuit eſſe niſi valdè honorificum Sanctiſſimæ Virgini Deiparæ.

130 Et licèt Sanctiſſima Virgo omnium Apoſtolorum præconio laudata fuerit titulo Matris Chriſti, tamen credi poteſt etiam ſpecialiùs celebratam fuiſſe à Sancto Jacobo, cui, ut nominato tertio loco in Apoſtolorum ſerie Matthæi 10. 3. Lucæ 6. 14. & Act. 2. 13. tribui ſolet tertius articulus Symboli Apoſtolorum, nempe *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine.* Unde Sancti Jacobi præcipuè prædicatio in Hiſpaniâ honorifica fuit Sanctiſſimæ Virgini, cujus nomen, & merita Hiſ-

paniæ

paniæ primus omnium annuntiavit; primus omnium in Cœlum evexit.

131 Quartus titulus, ex quo redditur honorifica Sanctissimæ Virgini Mariæ expeditio Hispanica Sancti Jacobi, est cognatio; Sanctus enim Jacobus fuit Beatissimæ Virginis consanguineus, ut videre est apud Christophorum à Castro Societatis Jesu in Historiâ Deiparæ cap. 1. Cornelium à Lapide in Euangelium Sancti Lucæ cap. 3. & alios. Pulchra autem facinora consanguineorum honori sunt aliis consanguineis, ut certum est: ergo expeditio Hispanica, cum fuerit egregium facinus Sancti Jacobi, non potuit non cedere in illustrem honorem Sanctissimæ Virginis Sancti Jacobi consanguineæ.

132 Ad ostendendam etiam istam gloriæ, & honoris communicationem inter consanguineos Virginem Mariam, & Sanctum Jacobum, faciunt ea, quæ scripsit Beatus Amadæus Ordinis Minorum, Lusitanus ex clarissimâ gente Sylvia, raptu octavo, dicta à Sancto Jacobo jam cœlite ad Sanctum Joannem Baptistam, aliosque cœlites consanguineos Virginis, ipsâ in Cœlum ascendente, nempe:

> *Ecce genus nostrum, & caro nostra: ecce Regina, & Domina nostra. Quæ scandit super æthera in æternum regnatura. Ipsa est gloria nostra.*

133 Quintus titulus, ex quo fuit honorifica Beatæ Mariæ expeditio Hispanica Sancti Jacobi, est illius studium in ipsam Beatam Virginem, & Beatæ Virginis amor in Sanctum Jacobum. Utriusque producam idoneos testes. De studio Jacobi in Beatam Virginem, & de singulari amore Beatæ Virginis in Sanctum Jacobum, luculentum edidit testimonium Venerabilis Mater Maria à Jesu in Mysticâ Civitate Dei, tomo 3. lib. 7. cap. 16. num. 320.

134 Cùm autem omnia sese mutuò diligentium sint utrique communia, gloria Jacobi diligentis Mariam, erat

gloria Mariæ; quia verò expeditio Hiſpanica fuit honorifica Jacobo, ut ſupra vidimus, neceſſe eſt fuiſſe etiam honorificam Mariæ, quæ & diligebat Sanctiſſimum Jacobum, & viciſſim ab illo impensè diligebatur.

135 Sextus titulus, ex quo expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi fuit honorifica Sanctiſſimæ Virgini Mariæ, eſt quia ipſa adhuc vivens Sanctum Jacobum Hiſpanias peragrantem, & plurimis liberavit periculis, & Angelorum centuriâ datâ ad ipſius cuſtodiam, ut legitur in opere inſcripto: *Myſtica Ciudad de Dios*, parte 3. lib. 7. cap. 16. num. 325. & 326. direxit illius peregrinationem ex Granatenſi ſolo in alias Hiſpaniæ provincias, expreſsèque in noſtram Luſitaniam.

136 Septimus titulus, ex quo expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt honorifica Sanctiſſimæ Virgini, eſt quia ipſa apparuit in Hiſpaniâ adhuc inter mortales degens, & miniſterio Angelorum ducta eſt in Hiſpaniam, ubi inviſit Sanctum Jacobum prope Cæſarauguſtam ad ripam fluminis Iberi orantem, afferentibus Angelis etiam Sanctiſſimæ Virginis Imaginem, & lapideam columnam, cui ſuperimponeretur, eo loco, quo etiam nunc cernitur, & colitur titulo Imaginis Sanctæ Mariæ de Columnâ, vulgò *del Pilar*.

137 Octavus titulus, ex quo expeditio Hiſpanica fuit honorificentiſſima Beatæ Virgini, eſt quia Sanctus Jacobus eodem in loco erexit, adjuvantibus Angelis, ſacellum in honorem Dei, titulo Sanctæ Mariæ, quod ab eo tempore durat, ad idque confluunt ſummâ pietate fideles, Auguſtiſſimam Virginem oraturi. Ex quo derivatum eſt in univerſam Hiſpaniam vehemens ſtudium erga Mariam Sanctiſſimam, quæ jam ab initio illius expeditionis cœperat dici Beata à generationibus Hiſpanis, juxta illud Virginei Cantici: *Ex hoc Beatam me dicent omnes generatio-*

*nerationes, id est, omnes gentes, scilicet Judæorum, & Gentilium,* ut explicat Hugo de Sancto Charo, primus ex clarissimo Prædicatorum Ordine Cardinalis, cui subjungit Cornelius à Lapide: *Prophetat hîc Virgo se ab omnibus sæculis Beatam prædicandam, celebrandam, & invocandam. Prophetiæ hujus veritas ex eventu clara est. Vidimus enim Beatam Virginem ab omnibus nationibus, & sæculis tot SACELLIS, TEMPLIS, Festis, Congregationibus, Religionibus, Votis, Supplicationibus, Litaniis &c. coli, & celebrari.* Quæ omnia, saltem in Hispaniâ, ortum habuere à Sancti Jacobi expeditione Hispanicâ, quæ proinde fuit Augustissimæ Virgini honorificentissima.

## ASSERTIO VIII.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi fuit honorifica Supremo Imperatori Christo Domino.*

138 ETsi omnes expeditiones Apostolorum, qui fuerunt tamquam Legati illius exercitûs, cujus Christus fuit Supremus Imperator, & quo regnum peccati expugnavit, fuerint honorificæ Christo, cùm vel militum facta cedant in gloriam Imperatoris, tamen expeditio Hispanica specialioribus titulis honorifica fuit Christo Domino; hinc præteriens capita aliis Apostolis, aliisque expeditionibus communia, solùm persequar aliquot ex iis, quæ Hispanicæ expeditioni Sancti Jacobi sunt peculiaria.

139 Primus titulus honoris ad Christum provenientis de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, est quia illâ extollitur sapientia, quâ Christus Dominus indidit Jacobo nomen Boanergis, hoc est, Filii tonitrui, quod est ipsum

ipſum appellaſſe fulgur, ut obſervant Sancti Marci Interpretes; nam Sanctus Jacobus expeditione Hiſpanicâ, quâ venit ex Oriente in Occidentem, ſe probavit fulgur, de quo dixit Chriſtus Dominus Matth. 24. 27. *Fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem*; & revertens ex Occidente in Orientem, rurſus ſe probavit fulgur, juxta illud Ezechielis 1. 14. *Ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.*

140 In Sancto Jacobo à Chriſto ad prædicandum miſſo impletum eſt illud Job 38. 35. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent: ecce adſumus?* ut eleganter exponit Venerabilis Pater Paulus Areſius ex noſtro Ordine Epiſcopus Derthonenſis lib. 4. ſymbolo 53.

141 Secundus titulus eſt quia Sanctus Jacobus ſuâ expeditione Hiſpanicâ adimplevit illam prophetiam Chriſti Domini jam à mortuis ſuſcitati, dicentis ad undecim Apoſtolos: Act. 1. 8. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Nam alii decem Apoſtoli licèt fuerint teſtes Reſurrectionis Jeſu Chriſti in Jeruſalem, Judæa, & Samaria, tamen non pervenerunt ad Hiſpaniam, quæ eſt ultimum terræ; hoc ſolum præſtitit Sanctus Jacobus, qui peragrans totam Hiſpaniam, veniens in Luſitaniam, tranſienſque in Gallæciam, teſtis fuit uſque ad ultimum terræ.

142 Neque dicas, illam Chriſti prophetiam impletam eſſe non à Sancto Jacobo, ſed à Divo Paulo, qui etiam venit in Hiſpaniam; nam licèt Divus Paulus venerit in Hiſpaniam, non conſtat, ipſum veniſſe in Luſitaniam, neque acceſſiſſe ad Gallæciam, quæ certè ſunt ultima terræ.

143 Deinde Divus Paulus non erat præſens, neque Apoſtolus, imò neque Chriſtum ſequebatur, ſed adhuc erat inter hoſtes Chriſti, cum Dominus illa prædixit, neque

neque ipse loquebatur ad Saulum, sed ad undecim Apostolos, qui erant præsentes; in quibus erat Sanctus Jacobus, qui proinde illam Christi prophetiam implevit suâ expeditione Hispanicâ, quæ ex hoc capite honorifica fuit Christo Domino.

144 Tertius titulus, ex quo honorifica fuit Christo Domino expeditio Hispanica Sancti Jacobi, est quia occasio fuit ut Rex Regum mitteret Sanctissimam Matrem suam in Hispaniam ad maiorem, & Filii, & Matris gloriam, Jacobum in Hispaniâ prædicantem invisuram, ut habetur in opere inscripto *Mystica Ciudad de Dios*, tom. 3. lib. 7. cap. 17. num. 347.

145 Quia autem expeditio Hispanica Sancti Jacobi fuit Christo glorioſissima, ideo in festo Sancti Jacobi concinunt Ecclesiæ Hispaniæ in Hymno ad Laudes:

*Jesu salus mortalium,*
*Nobis ades dum dicimus*
*Laudes Patrono Hispaniæ,*
*Tuam canentes GLORIAM.*

EXPE-

# EXPEDITIO HISPANICA S. JACOBI ZEBEDÆI ASSERTA, & EX S. PAULO APOSTOLO CONFIRMATA.

## PARS SECUNDA.

*Aſſeritur non obſtare expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi Zebedæi ea, quæ adverſus ipſam afferuntur.*

146 POſtquam primâ parte hujus Diſſertationis oſtendimus, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe valdè honorificam terræ, Cœloque; ſequitur, ut in hâc ſecundâ oſtendamus nullius roboris eſſe argumenta, quæ adverſus illam oppoſuere ipſius oppugnatores. Quæ cùm ad octo claſſes reduci poſſint, in totidem Sectiones hanc ſecundam partem dividimus.

In primâ ſolvimus argumenta deducta ex Sacrâ Scripturâ.

In ſecundâ reſpondemus argumentis deductis ab impoſſibilitate.

In tertiâ ſatisfit argumento deducto ab authoritate Summorum Pontificum.

In quartâ ſatisfit argumentis deductis ex Patribus.

In quintâ enervantur argumenta deducta ex Authoribus Hiſpanis.

In ſextâ exploduntur argumenta deducta ex ſilentio antiquorum.

In ſeptimâ rejicitur argumentum deductum ex negatione Recentiorum.

In octavâ denique ſolvitur argumentum deductum ex Miſſali, quod dicitur Gothicum.

## SECTIO I.

### *Solvuntur argumenta deducta ex Sacrâ Scripturâ.*

## ASSERTIO IX.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non repugnat Sacræ Scripturæ univerſaliter ſumptæ.*

147 CUm Sanctus Paulus in Epiſtolâ ſecundâ ad Timotheum cap. 3. verſ. 16. dixerit: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitiâ.* Inde eſt, ut ex Sacrâ Scripturâ velint Authores Eccleſiaſtici eruere ſententias, quas docent, argumenta, quibus oppugnant, animadverſiones, quibus adverſarios corripiunt, potiſſimamque eruditionem, quâ lectores inſtituunt.

148 Hâc de causâ Natalis Alexander ut fortiùs oppugnaret

pugnaret expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, non veritus est affirmare ex Sacrâ Scripturâ colligi *Sanctum Jacobum nusquam in Hispanias profectum esse*, ut ait in Historiâ Ecclesiasticâ sæculi I. dissertatione 15. propositione 2. §. *Respondeo incertum esse.* Cùm autem in illius libris (ut ipse asserit in editione Parisiensi secundâ anni 1699. in Scholio 2. ad calcem prædictæ dissertationis 15.) confixa fuerit à Censoribus Romanis hæc propositio: *Sanctus Jacobus nusquam in Hispanias profectus est*; id satis esset ad probandam nostram Assertionem, fieri enim non posse existimo, ut colligatur ex Sacrâ Scripturâ propositio, cui notam inusserunt Romani Censores, neque ut hi reprobaverint propositionem, quæ colligitur ex Sacrâ Scripturâ. Unde meo judicio non potest repugnare Sacræ Scripturæ propositio asserens, Sanctum Jacobum profectum fuisse in Hispanias, cùm censurâ Romanâ confixa sit propositio hujus contradictoria, nempe negans, Sanctum Jacobum profectum fuisse in Hispanias.

149 Nihilominus postquam ille liber, aliique Natalis Alexandri ignibus traditi fuere jussu Sanctissimi Pontificis Innocentii XI. sicuti olim factum est Ephesi, prædicante Sancto Paulo, ut habetur Act. cap. 19. vers. 19. *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Non defuit qui diceret: *Adventum Sancti Jacobi in Hispaniam repugnare Actibus Apostolorum*; & ulteriùs: *Nutat traditio de Sancto Jacobo, quia repugnat Epistolæ ad Romanos* cap. 15. *& Actibus Apostolorum; si ut fieri debet, rectè exponantur*; quin citaret locum Actuum Apostolorum, quod est valdè notandum.

150 Verumtamen, si hoc certum esset, nulla foret de hoc adventu disceptatio inter Catholicos, qui Sacram Scripturam venerantur. Non aliâ egerent probatione illum negantes; obstrueturque os loquentium de hoc

adventu ad illum affirmandum. Quod cùm hucuſque factum non ſit, dicendum eſt non repugnare Epiſtolæ ad Romanos, neque Actibus Apoſtolorum (ut infra latiùs oſtendemus Aſſertionibus 10. 11. & 12.) imò neque repugnare ulli propoſitioni certò revelatæ in Sacrâ Scripturâ.

151 Si autem afferatur aliqua propoſitio revelata in Sacrâ Scripturâ, cui dicatur repugnare expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, examinandum eſt, an illa expeditiò repugnet tali propoſitioni intellectæ in eo ſenſu, in quo communiter intelligitur ab universâ Eccleſiâ, cunctiſque illius Doctoribus; vel tantum in ſenſu, in quo intelligitur ab aliquo ſingulari Doctore. Si illa expeditio repugnat cuipiam propoſitioni revelatæ in Sacrâ Scripturâ, intellectæ in eo ſenſu, in quo accipitur ab universâ Eccleſiâ, cunctiſque illius Doctoribus, qui propoſitionem affirmaret, peccaret contra fidem, & eſſet hæreticus, ſaltem materialiter (ut loquuntur Scholæ.) Si autem ſolùm repugnaret propoſitioni revelatæ, intellectæ in eo ſenſu, quo explicatur ab aliquo ſingulari Doctore, nullum peccatum admitterent, qui ſingulari Doctori non credentes, eam expeditionem Sancti Jacobi affirmarent, accipientes propoſitionem revelatam in eo ſenſu, in quo communiter accipitur ab universâ Eccleſiâ, cunctiſque illius Doctoribus. Non enim eſt hæreſis, ſive error in fide, negare aſſenſum expoſitioni alicujus ſingularis Doctoris. Circa quod legendus eſt Cardinalis de Lugo, de Virtute Fidei Divinæ diſp. 20. ſect. 2. à numero 56. uſque ad 66. excluſivè.

152 Dici autem non poteſt, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi repugnare cuipiam propoſitioni revelatæ in Sacrâ Scripturâ, intellectæ in eo ſenſu, in quo communiter intelligitur ab Eccleſiâ; quia talis expeditio

ſcribi-

ſcribitur à Viris Sanctiſſimis, admittitur à Summis Pontificibus, & traditur in pluribus Breviariis, & quod magis eſt, in Breviario Romano, ut patebit in progreſſu hujus Diſſertationis; nefas autem eſſet dicere, tot Sanctiſſimos Viros, totque Summos Pontifices erraſſe contra fidem; totque Breviaria, & præſertim Romanum toties emendatum, affirmaviſſe propoſitionem hæreticam, ſive erroneam contra fidem.

153 Si verò dicatur, eam expeditionem repugnare propoſitioni revelatæ in Sacrâ Scripturâ, intellectæ in ſenſu alicujus ſingularis Doctoris, nihil amplius evincitur, quàm, eam expeditionem repugnare ſenſui illius Doctoris, de quo non eſt curandum, cùm plures Doctores ab eo ſenſu recedant.

154 Hinc manifeſtè conſtat, nihil intereſſe, quod quis dixerit, eam Sancti Jacobi expeditionem repugnare Sacræ Scripturæ, cùm longè diverſus ſit ſenſus univerſæ Eccleſiæ, certumque proinde ſit, Traditionem de illâ expeditione non eſſe contra Sacram Scripturam, ut ante centum annos ſcripſerunt duo Clariſſimi Viri, quorum unus eſt Doctor D. Didacus de Caſtillo Palentinæ Eccleſiæ Canonicus in opere inſcripto: *Defenſa de la venida, y predicacion Euangelica de Santiago en Eſpaña*, cap. 5. in fine, ibi:

> *Y en eſto ſe echa de ver, que eſta tradicion es verdaderiſſima, y que no trae conſigo ninguna repugnancia, ni es contraria à la Sagrada Eſcritura.*

Alter verò (& qui mihi pro mille Doctoribus) eſt Doctor Eximius Venerabilis Pater Franciſcus Suarius Granatenſis tom. 1. de Religione, lib. 2. cap. 9. num. 13. ſed lubet latiùs, & apertiùs demonſtrare, hanc expeditionem non repugnare, neque Actibus Apoſtolorum, neque Epiſtolæ ad Romanos.

ASSER-

# ASSERTIO X.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non repugnat Actibus Apoſtolorum.*

155 ETſi Doctor Caſtillo, & Magnus Suarius affirmaverint, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non repugnare Canonicæ Hiſtoriæ, tamen non deterruit tantorum nominum reverentia Natalem Alexandrum, ne diceret, ut ſupra animadvertimus Aſſertione 9. hanc expeditionem repugnare Actibus Apoſtolorum. Natalem Alexandrum, licèt illius liber comburi juſſus fuerit à Sanctiſſimo Pontifice Innocentio XI. ob plures propoſitiones à Romanis Cenſoribus notatas, quarum una eſt: *Sanctus Jacobus nuſquam ad Hiſpaniam accеſſit*, ſequutus eſt Recentior Adverſarius. Neuter autem deſignat locum Actuum Apoſtolorum, cui hæc expeditio repugnet; quod quidem cautè factum eſt, nam oſtendi non poteſt locus, ex quo eruatur iſta repugnantia; quæ proinde fuit liberè, & ſine ullo fundamento affirmata; ut hâc Aſſertione oſtendendum ſuſcepi.

156 Certum eſt, Sanctum Jacobum occiſum fuiſſe ab Herode Agrippa Rege Judæorum in Judæâ commorante, tempore famis, quæ Orbem afflixit anno ſecundo Claudii, qui juxta Cardinalem Baronium erat quadrageſimus quartus æræ vulgaris, Conſulibus L. Quintio Criſpino, & Marco Statilio Tauro; & juxta Centuriatores Magdeburgenſes quadrageſimus quintus, quo Conſules erant Marcus Vinicius (cui Velleius Paterculus ſuam nuncupat Hiſtoriam) & Taurus Statilius Corvinus, nam illâ narratâ profectione Sancti Pauli, & Barnabæ in Jeroſolymam, quo perrexere, ut famelicis ſuccurrerent, ait

Sanctus

Sanctus Lucas Act. 12. vers. 1. *Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.*

157 Neque enim ante annum quadragesimum quartum erat Herodes Agrippa in Judæâ anno primo Claudii, ut testatur Josephus lib. 19. Antiquitatum Judaicarum, cap. 5. unde citiùs non potuit Sanctum Jacobum occidere, quàm anno æræ vulgaris quadragesimo quarto, Consulibus L. Quintio Crispino, & Marco Statilio Tauro, ante quos retrocedendo usque ad Consulatum L. Rubelii Gemini, & Caii Julii Gemini, sub quibus mortuus est Christus, ut testantur maximum Ecclesiæ lumen Sanctus Augustinus lib. 28. de Civitate Dei, cap. 54. Lactantius Firmianus lib. 4. cap. 10. & utroque antiquior Tertullianus libro contra Judæos, numerantur quindecim anni, hoc pacto:

I. { L. Rubellius Geminus.
C. Fusius Geminus.

II. { L. Cassius Longinus.
M. Vinicius.

Ad quem librum suum direxit Velleius Paterculus.

III. { Tiberius Claudius Imperator.
L. Ælius Seianus.

IV. { Cn. Domitius Aenobarbus.
Furius Camillus Scribonianus.

V. { L. Sulpicius Galba.
L. Cornelius Sulla.

VI. { P. Fabius Persicus.
L. Vitellius Nepos.

VII.

VII. { C. Ceſtius Gallus.
M. Servilius Nonianus.

VIII. { Q. Plautius.
Sextus Papinius Alenius.

IX. { Cn. Acerronius Proculus.
C. Portius Nigrinus.

Quibus Conſulibus, obiit Tiberius Imperator, die 16. Maii, cui ſucceſſit Caius Caligula.

X. { M. Aquilius Julianus.
P. Nonius Aſprenas.

XI. { C. Caligula Imperator II.
L. Apronius Cæſianus.

XII. { C. Caligula Imperator III.
L. Gelius.

XIII. { C. Caligula Imperator IV.
Cn. Sentius Saturninus.

Quorum Conſulatu occiſus eſt Caius Caligula Imperator, 22. Januarii, cui ſucceſſit Tiberius Claudius.

XIV. { Claudius Germanicus Imperator II.
C. Cecina Largus.

Quibus Conſulibus, occiſus eſt Sanctus Jacobus anno 44. æræ vulgaris.

158 Unde à quarto menſe Conſulatûs Geminorum, uſque ad martyrium Sancti Jacobi, quod contigit quarto menſe Conſulatûs quarti Caii Caligulæ, & Cn. Sentii Saturnini fluxerunt tredecim integri anni; quibus Sanctus Jacobus ſupervixit morti Chriſti, quæ cum fuerit menſe Martio, contigit quarto menſe Conſulatûs Geminorum, quibus Conſulibus, crucifixus eſt Redemptor Orbis, ut docent

Digitized by Google

docent Tertullianus libro contra Judæos cap. 8. Lactantius lib. 4. Institutionum cap. 10. Severus Sulpitius lib. 3. Historiæ Sacræ; & quod caput est Sanctus Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. ultimo.

159 Neque ex Actibus Apostolorum hæc sententia impugnari potest.

160 Si autem cum Cardinale Baronio velit quis assignare mortem Christi Consulatui Cn. Domitii Aenobarbi, & Vitellii Nepotis, inveniet, Sanctum Jacobum supervixisse Christo undecim annos; neque hoc potest defendi, neque impugnari ex Actibus Apostolorum, nam ex hoc Sacro libro probari non potest, quanto tempore præcesserit mors Christi martyrium Sancti Jacobi.

161 Rursus ex Actibus Apostolorum non potest probari, quo tempore Apostoli ediderint Symbolum. Non potest probari tempus, quo digressi sunt in provincias sibi assignatas. Non potest probari, omnes egressos fuisse eodem anno. Non potest probari, eos post egressum non rediisse Jerosolymam. Non potest probari, quo anno conversus fuerit Cornelius. Non potest probari, ante Cornelium nullos conversos fuisse Gentiles. Non potest probari, ante conversionem Cornelii non fuisse prædicatum Judæis, qui per Orbem dispersi erant. Et non probatis ex Actibus Apostolorum omnibus, & singulis his punctis, non potest dici, repugnare Actibus Apostolorum expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi. Nam ad hoc opus erat, ut ex Actibus Apostolorum probaretur primo, Sanctum Jacobum non interfuisse compositioni Symboli; nam si interfuisset, necessariò dicendum erat, ipsum discessurum ab aliis Apostolis; aliàs enim necessarium non esset compositioni Symboli interesse.

162 Secundo necesse erat probari ex Actibus Apostolorum, Apostolos non fuisse egressos à Judæâ ante

martyrium Sancti Jacobi; ſi enim alii exiiſſent, non poteſt aſſignari ratio, cur cum illis non exierit Sanctus Jacobus.

163 Tertio neceſſe erat probari ex Actibus Apoſtolorum, Apoſtolos omnes exiiſſe ſimul, nam ſi exierunt unus ante alium, non eſt ulla ratio, quæ convincat non exiiſſe ante omnes Sanctum Jacobum ex Judæâ, cum ante omnes exiturus erat ab hoc mundo.

164 Quarto neceſſe erat probari ex Actibus Apoſtolorum, Sanctos Apoſtolos, poſtquam è Judæâ exierunt, nunquam reverſos fuiſſe Hieroſolymam; aliàs enim quomodo impugnabitur ex Actibus Apoſtolorum, qui dixerit, Sanctum Jacobum reducem ex Hiſpaniâ veniſſe Hieroſolymam?

165 Quinto neceſſe erat probari ex Actibus Apoſtolorum, Cornelium fuiſſe converſum tempore tam proximo martyrio Sancti Jacobi, ut à converſione Cornelii non ſuppeteret tempus Sancto Jacobo ad veniendum in Hiſpaniam, & redeundum Hieroſolymam; ſi enim tempus habuit, non poteſt aſſignari ratio, cur id non fecerit.

166 Sexto neceſſe erat probari ex Actibus Apoſtolorum, Cornelium fuiſſe primum Gentilem converſum, non ſolùm in Judæâ, ſed etiam in toto Orbe; aliàs enim non poteſt revinci ex Actibus Apoſtolorum, qui dixerit, quòd eodem tempore, quo Sanctus Petrus convertit Cornelium in Judæâ, alii Apoſtoli convertebant, & converterant alios Gentiles in ſuâ quiſque provinciâ.

167 Septimo neceſſe erat probari ex Actibus Apoſtolorum, ante converſionem Cornelii non prædicaſſe Apoſtolos Judæis per totum Orbem diſperſis; aliàs enim, quomodo impugnabitur ex Actibus Apoſtolorum, qui dixerit, Sanctum Jacobum, ante converſionem Cornelii prædicaſſe Judæis in Hiſpaniâ commorantibus? Cùm ex Actibus

Actibus Apostolorum non possit probari, Judæos tempore Sancti Jacobi non incoluisse Hispaniam, cùm potiùs ex eodem libro probetur, eos etiam per Hispaniam dispersos; nisi adversarii velint Hispaniam non esse sub Cœlo, nam in Actis Apostolorum legimus cap. 2. vers. 5.

*Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione, quæ sub Cœlo est.*

Unde dicendum est, vel in Jerusalem tunc fuisse Judæos ex natione Hispanâ, vel nationem Hispanam non esse sub Cœlo. Judæos autem eo tempore fuisse in Hispaniâ latiùs probabimus inferiùs Assertione 16.

168 Neque dixeris hæc omnia everti traditione Apollonii, nam ea traditio est mera fabula, ut Assertione 22. demonstrabimus; & etiam si certa esset, & nobis omninò contraria, tamen licèt expeditio Hispanica Sancti Jacobi repugnaret illi traditioni, non ideo repugnaret Actibus Apostolorum, quibus contrariam esse illam Traditionem probat Cardinalis Baronius ad annum Christi 44. num. 13. Si autem ea expeditio non repugnat Actibus Apostolorum, evicimus, quod hâc Assertione proposuimus.

169 Si autem opponas illud, quod legitur Act. cap. 11. vers. 1. ubi post narratam capite antecedenti conversionem Cornelii, dicitur.

*Audierunt autem Apostoli, qui erant in Judæâ: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.*

Indeque inferas, nullum Gentilem prius conversum fuisse, quàm Cornelium, ac proinde Sanctum Jacobum non prædicasse Hispanis, nihil conficies, idque multiplici ex capite.

170 Primo, quia non poteris probare ex Actibus Apostolorum, inter conversionem Cornelii, & martyrium Sancti Jacobi non intercessisse tempus sufficiens ad

hoc, ut Sanctus Jacobus veniret in Hiſpaniam, in ipsâ prædicaret, & Hieroſolymas reverteretur.

171 Secundo, quia non poteris probare ex Actibus Apoſtolorum ante converſionem Cornelii non veniſſe in Hiſpaniam ad prædicandum Judæis, cum ipſe, teſte Sophronio, prædicaverit duodecim Tribubus per Orbem diſperſis.

172 Tertio, quia ex ipſo verſu colligitur, jam quoſdam Apoſtolos, & fratres tunc fuiſſe diſperſos extra Judæam; nam non poteris ex Actibus Apoſtolorum probare illa verba *Apoſtoli*, & *Fratres* non reſtringi per illa *qui erant in Judæâ*, neque non indicare fuiſſe jam tunc aliquos Apoſtolos, & fratres, qui non erant in Judæâ.

173 Quarto, quia non poteris probare ex Actibus Apoſtolorum, alios Apoſtolos, qui erant extra Judæam, non audiiſſe prius in ſuis provinciis, antea alios Gentiles, alibi recepiſſe verbum Dei, priuſquam illud reciperet Cornelius.

174 Quinto, quia non ideo quia nuntiatum eſt iis, qui erant Jeroſolymis Gentes recepiſſe verbum Dei, dicendum eſt probari ex Actibus Apoſtolorum, tunc incepiſſe Gentium converſionem; nam poſt mortem Sancti Jacobi, & pluribus tranſactis annis à converſione Cornelii, hoc eſt, anno 49. juxta Cardinalem Baronium, Sancti Paulus, & Barnabas revertentes à quinquennali prædicatione Antiochiam dixerunt, Deum aperuiſſe Gentilibus oſtium Fidei, quod Sanctus Lucas Actor. 14. verſ. 26. ſic refert:

> *Cum autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus Deus oſtium Fidei.*

Et tamen jam à multo tempore cæperant converti Gentiles, prædicante Sancto Petro in domo Cornelii: Ergo ſicuti

ſicuti ante prædicationem illam Sanctorum Pauli, & Barnabæ, jam receperant Gentes verbum, & nihilominus Sanctus Paulus dixit, quod tunc Deus aperuiſſet Gentibus oſtium Fidei; ita licèt tempore convertionis Cornelii audierint Apoſtoli, & fratres, qui erant in Judæâ, quoniam, & Gentes receperant verbum Dei.

175 Hoc autem redditur manifeſtius ex eo, quod legimus verſu ſequente, hoc eſt 2. ejuſdem capitis 11. Actorum, ubi dicitur: *Cum autem aſcendiſſet Petrus Jeroſolymam, diſceptabant adverſus illum, qui erant ex circumciſione.* Quo oſtenditur fuiſſe tunc Jeroſolymis alios Chriſtianos, qui non erant ex circumciſione, ſed ex Gentibus: Ergo jam ante converſionem Cornelii receperant & Gentes verbum Dei in ipsâ Judæâ. Quidni autem receperint etiam Gentes verbum Dei ante illud tempus extra Judæam, prædicante Sancto Jacobo, & aliis Apoſtolis?

176 Cùm autem neceſſarium ſit probari hæc omnia ex Actibus Apoſtolorum, ut dici poſſet expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi repugnare Actibus Apoſtolorum; & neque unum probari poſſit, oſtenditur veritati adverſari eum, qui nuperrimè ſcripſit: *Nùtat traditio de Sancto Jacobo, quia repugnat Epiſtolæ ad Romanos, & Actibus Apoſtolorum, ſi, ut fieri debet, rectè exponantur.*

## ASSERTIO XI.

### *Expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi non repugnat locus, in quo paſſus eſt Sanctus Apoſtolus.*

177 AD Actus Apoſtolorum ſpectat locus, in quo paſſus eſt Sanctus Jacobus, ſaltem quia in

in Sacro eo libro narratur illius martyrium. Ex loco autem, in quo paſſus eſt Sanctiſſimus Apoſtolus, deducunt nonnulli, quos, ſupreſſis nominibus, refert Sanctius tractat. 3. de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ cap. 7. argumentum contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Apoſtoli, & qui illo utuntur, magnum hoc telum eſſe putant, ſed proculdubio decipiuntur, nam minimè repugnat, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, & obiiſſe extra Hiſpaniam.

178 Prætereo non defuiſſe Scriptorem Granatenſem, qui nuper Diſſertatione manuſcriptâ viſus fuerit probare, Sanctum Jacobum obiiſſe in Hiſpaniâ ex vulneribus ipſi juſſu Herodis Agrippæ inflictis, idque conatus fuerit perſuadere ex eo, quod Sanctus Lucas non meminit planctûs editi in morte Sancti Jacobi, neque ſepulturæ ipſius; cùm de morte Sancti Stephani Prothomartyris Diaconi dicat Act. 8. verſ. 2.

*Curaverunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.*

Seu, ut transfert Benedictus Arias Montanus:

*Extulerunt autem Stephanum viri Religioſi: & fecerunt planctum magnum ſuper eo.*

Et expreſſiùs Sanctes Pagninus:

*Collectum autem in arcam ſepelierunt Stephanum viri fideles, & planxerunt ſuper eum vehementer.*

Si enim tam lugubri planctu luxerunt Diaconum, eumque tanto cum honore ſepelierunt; quanto vehementiori planctu luxiſſent, quantoque ampliori honore ſepeliiſſent Apoſtolum, ſi ille Jeroſolymis occiſus fuiſſet? Jacobum unum ex tribus Apoſtolis Domino carioribus? Jacobum Chriſti conſanguineum?

179 Hoc, inquam, prætereo, quia nititur argumento deducto ab authoritate negativâ, quod nihil omninò probat,

probat, ut infra Assertione 44. ostendam. Et siquid hoc argumentum probaret, ad summum evinceret, Sanctum Jacobum non fuisse occisum Jerosolymis, non verò occubuisse in Hispaniâ; hoc autem non elidit vim argumenti, quo illius expeditio Hispanica oppugnatur à loco martyrii.

180 Similiter non solvitur dicendo, Sanctum Jacobum occisum fuisse in Marmaricâ, ubi Oecumenius, aliique scribunt fuisse sepultum; quocirca, videnda sunt, quæ scribimus Assertione 48.

181 Æquè inutile est asserere, Sanctum Jacobum occubuisse Cæsareæ, ut legitur in Menologio Grecorum, quia æquè stat argumentum Adversariorum, ac si obiisset in Jerusalem.

182 Solvendum igitur est argumentum concedendo, Sanctum Jacobum occubuisse extra Hispaniam, & quidem faciliùs, asserendo cum Adversariis, ipsum passum fuisse Jerosolymis.

183 Duplici viâ instruitur argumentum contra expeditionem Hispanicam ex loco, in quo passùs est Sanctus Jacobus.

184 Prima est, nullam fuisse causam Sancto Jacobo redeundi Jerosolymam, quam jam reliquerat.

185 Secunda est, Sanctum Jacobum non potuisse deserere Hispaniam provinciam sibi sorte datam, posito, quòd ad illam jam venisset.

186 Unde inferunt Adversarii, Sanctum Jacobum non excessisse Jerosolymis, ubi mortuus est; neque veniisse in Hispaniam, quam deserere non poterat, si jam ad illam veniisset.

187 Sed utramque viam præcludit Adversariis Sanctus Paulus, & primam quidem, quia non semel, aut bis, sed ut minimum quater repetiit Jerosolymam. Primo quidem,

quidem, anno Chriſti 39. ut videret Sanctum Petrum, ut ipſe dixit ad Galatas cap. 1. verſ. 18.

*Deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum: & manſi apud eum diebus quindecim.*

Quo tempore non erant Jeroſolymis alii Apoſtoli præter Sanctum Petrum, & Sanctum Jacobum Minorem, hinc dicit D. Paulus verſu ſequenti:

*Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.*

188 Secundo, anno Chriſti 44. ut deferret Antiochenorum eleemoſynas ad fratres Jeroſolymis manentes, ut habetur Act. cap. 11. verſ. 30.

189 Tertio, anno Chriſti 47. cùm perrexit ad Concilium Jeroſolymitanum, ut habetur Actor. cap. 16. verſ. 20.

190 Quarto, anno Chriſti 58. vel 59. ut habetur Actor. 21. verſ. 17.

191 Et fortaſsè quinto, anno 63. cùm ad Hebræos in Judæâ commorantes ſcripſerit anno 62. ſe eos inviſurum; ut conſtat ex cap. 13. verſ. 19.

*Amplius autem deprecor vos hoc facere, quod celerius reſtituar vobis.*

& verſ. 23.

*Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum, cum quo (ſi celerius venerit) videbo vos.*

192 Si igitur D. Paulus quater, vel quinquies adiit Jeroſolymam; quid mirum eſt, Sanctum Jacobum poſtliminio ſemel repetiiſſe illam urbem? Si Sanctus Paulus toties habuit juſtas cauſas ad eundum Jeroſolymam, quidni Sanctus Jacobus habuerit pares, vel etiam urgentiores cauſas, quæ illum impulerint ad idem iter carpendum?

193 Deinde certum eſt, neque ab Adverſariis negatur,

Digitized by Google

tur, Sanctum Jacobum exiisse Jerosolymâ ad prædicandum per Judæam, & Samariam; & rediisse Jerosolymam, idque feciſſe ſine causâ, nefas eſt dicere, licèt non assignetur cauſa: ergo quo jure negari poteſt, ipſum habuiſſe cauſam repetendi Jeroſolymam poſtquam in Hiſpaniâ prædicaverat; licèt certò non cognoſcamus cauſam, quam ipſe habuit?

194 Accedit, quòd Sanctus Jacobus plures potuit habere cauſas ad illam profectionem, quarum nonnullas lubet innuere.

195 Prima cauſa, ob quam Sanctus Jacobus petierit Jeroſolymam, eſſe potuit, ut conſuleret Sanctiſſimam Virginem Mariam, de quâ Sanctus Thomas de Villanovâ, magnum Auguſtiniani Ordinis decus, concione 3. de Aſſumptione Beatæ Virginis ait:

> *Scholam duodecim annis (ut fertur) rexit, ac tenuit Apoſtolorum omnium, & Diſcipulorum Chriſti, Eccleſiarumque Magiſtra: unde & cunctas hæreſes ſolam interemiſſe in Eccleſiâ Dei meritò decantatur.*

Sanctiſſimam autem Virginem fuiſſe Apoſtolorum Magiſtram latiùs exponit Dionyſius Carthuſianus lib. 2. de Præconio, & Dignitate Virginis Mariæ articulo 24. ubi Sanctiſſima Virgo dicitur:

> *Magiſtra ſapientiſſima, ad quam creditur, nec irrationabiliter poſt Paracliti miſſionem univerſos Chriſti Apoſtolos, atque diſcipulos in agendis, itemque in dubiis recurriſſe, & ipſius plerumque directione uſos, quamquam etenim Spiritu Sancto impleti eſſent ſinguli: non tamen æqualiter: & hinc ad ſapientiores, atque maiores cæteri utique pro ſubſidio, aut reverentiâ profecti ſunt; atque in ipſa Domini ſui Matre, tamquam in Domino confiſi, conſolatique ſunt.*

196 Neque dixeris, hanc cauſam non ſubſiſtere, quia

Beatiſſima Virgo jam anno æræ vulgaris quadrageſimo quarto, quo paſſus eſt Sanctus Jacobus, non erat Jeroſolymæ, vel quia anno quadrageſimo tertio abierat in Cœlum, ut docuere plures, quos refert Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 48. n. 5. vel quia eodem tempore erat Epheſi, ad quam urbem potuiſſe proficiſci ante annum 37. cum Sancto Joanne Euangeliſtâ docet Tillemont tom. 1. nota 13. de Sanctiſſimâ Virgine pag. 492. quo in loco eam obiiſſe dicunt idem Tillemont ibidem, & Baillet in Vitis Sanctorum ad diem 15. Auguſti columna 200.

197 Ne, inquam, id dixeris, quia ex hoc non ſolùm nihil obſtabis expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ſed vel novam cauſam addes ipſius profectioni Jeroſolymitanæ, vel expeditiorem reddes ipſius adventum in Hiſpaniam. Si enim Beata Virgo obiit anno quadrageſimo tertio Jeroſolymæ, cauſam habuere omnes Apoſtoli adeundi illam urbem, ut funeri, & exequiis Auguſtiſſimæ Virginis intereſſent, ad quæ inſtinctu Spiritûs Sancti vocatos fuiſſe omnes Apoſtolos per Orbem diſperſos docent Sanctus Joannes Damaſcenus, & Andreas Cretenſis orationibus de Dormitione, & Aſſumptione Virginis, pluresque alii graviſſimi Scriptores, quidquid dicant Recentiores Critici; multoque magis hâc causâ urgeretur Sanctus Jacobus, utpote Beatæ Virgini cariſſimus, illique neceſſitudine ſanguinis conjunctus. Si verò jam Beatiſſima Virgo erat Epheſi, eòque unà cum Sancto Joanne abierat ante annum æræ vulgaris trigeſimum ſeptimum, expeditior redditur adventus Sancti Jacobi in Hiſpaniam, quia ſi Sanctus Joannes Apoſtolus potuit exire Jeroſolymâ, proficiſcique in Aſiam, adireque Epheſum anno trigeſimo ſeptimo, quare non potuiſſet Sanctus Jacobus eodem anno exiiſſe Jeroſolymâ, eſſeque in Hiſpaniâ, præſertim cùm dicat Baillet in Vitâ Sancti Jacobi die 25. Julii,

Digitized by Google

Julii, §. 5. col. 356. quod post adventum Spiritûs Sancti, quando Apostoli ad invicem separati sunt, ut irent annuntiaturi Euângelium in universam terram, Sanctus Jacobus exierit ex Judæâ, priusquam Sanctus Joannes illius frater, & Sanctus Petrus.

198 Hoc ipsum efficaciùs confirmatur ex ipso Baillet ibidem dicente, saltem certum esse, Sanctum Jacobum post aliquot annos rediisse in Judæam, ibique ostendisse insignem zelum in laborando, ut in eâ regione Fides Christi reciperetur. Si ergo Adriano Baillet certum erat, Sanctum Jacobum aliquot annos vixisse extra Judæam, & post aliquot annos in illam revertisse, ibique occisum fuisse, quo jure repugnabit locus occisionis Sancti Jacobi illius expeditioni Hispanicæ, cùm potuerit prædicare in hâc provinciâ iis annis, quibus Baillet certum est abfuisse à Judæâ?

199 Secunda causa, ad hoc ut Sanctus Jacobus ex Hispaniâ redierit Jerosolymam esse potuit, ut Euangelium suum conferret cum Sancto Petro Principe Apostolorum, sicuti postea fecit Sanctus Paulus, ut ipse ait cap. 2. ad Galatas vers. 2.

> *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus. Seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse.*

In quem locum Doctor Angelicus lectione 2. ait:

> *Quasi dicat non cum omnibus, sed cum his, qui erant inter alios alicujus authoritatis, & momenti, scilicet cum Petro, Jacobo, & Joanne.*

200 Si igitur Sanctus Paulus ascendit iterum Jerosolymam, ut conferret cum Sancto Petro Euangelium suum; quidni etiam Sanctus Jacobus ascenderit iterum

Jeroſolymam, ut Euangelium ſuum cum Sancto Petro conferret?

201 Maximè autem favet noſtræ ſententiæ id, quod hoc loco dicit Sanctus Paulus:

*Aſcendi autem ſecundum revelationem.*

Cui ſubjungit Sanctus Thomas hîc:

*Ex quo colligi poteſt, quod omnes actus Apoſtolorum, & motus fuerunt ſecundum inſtinctum Spiritûs Sancti.*

Job 37. *Nubes ſpargunt lumen ſuum.*

Præſtat autem exſcribere totum locum Job à Sancto Thomâ citatum, ſic enim ait cap. 37. verſ. 11. & 12.

*Nubes ſpargunt lumen ſuum, quæ luſtrant per circuitum, quocumque eos voluntas Gubernantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis ſuper faciem Orbis terrarum.*

202 Cùm autem poſſimus, & debeamus reſpondere, Sanctum Jacobum ut Apoſtolum non iviſſe Jeroſolymam, niſi ex inſtinctu Spiritûs Sancti, fruſtra terimus tempus in inveſtigandâ causâ, cur ex Hiſpaniâ reverſus ſit Jeroſolymam; nam dicendo cum Angelico Doctore, id fuiſſe ex inſtinctu Spiritûs Sancti, liberamur labore quidpiam ulteriùs inveſtigandi; dicit enim Divus Paulus Roman. 11. 33.

*O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?*

203 Præclusâ à Sancto Paulo primâ viâ, quâ argumentum ex loco martyrii Sancti Jacobi impugnare tentat illius expeditionem Hiſpanicam, nunc oſtendendum eſt etiam præcludi ſecundam viam.

204 Secunda hujus argumenti via, quâ procedere nititur ad impugnandam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, eſt (ut diximus) ſi Sancto Jacobo data fuiſſet Hiſpania

pania ut provincia ſuæ prædicationis, ſimul atque Sanctus Jacobus veniſſet in illam, ipſam utpote ſuam Diœceſim non poſſet deſerere abiturus: atqui ſcimus, ipſum obiiſſe Jeroſolymæ: ergo Hiſpania non fuit illius provincia, cùm extra Hiſpaniam occiſus fuerit.

205 Etiam iſta ſecunda via præcluditur illi argumento, & quidem multiplici obice. Primo, quia etiam ſi concederemus neceſſe eſſe, ut Apoſtoli in ſuis provinciis morerentur, non concedemus, Sanctum Jacobum obiiſſe extra provinciam ſuæ prædicationis; nam non ita addicimus Hiſpaniæ Sanctum Jacobum, ut negemus ipſum aliis provinciis fuiſſe deſtinatum; nam non negamus ipſi commiſſum fuiſſe prædicare in Samariâ, & Judæâ: ergo ſi Sanctus Jacobus occubuit in Judæâ, utique occubuit in ſuâ provinciâ, licèt occubuerit extra Samariam, & Hiſpaniam.

206 Secundo, quia nemo dicere poteſt Italiam fuiſſe peculiarem provinciam Sancti Pauli, cum potiùs fuerit Sancti Petri; & tamen Sanctus Paulus occubuit in Italiâ, ipsâque urbe Romà, ſicut Sanctus Petrus: ergo ſicuti Sanctus Paulus obiit in provincia alterius Apoſtoli, ita potuit Sanctus Jacobus occubuiſſe in provinciâ alterius Apoſtoli.

207 Tertio, quia ſicuti Summus Pontifex eſt Papa totius Orbis, Patriarcha Occidentis, Archiepiſcopus provinciæ, in quâ ſunt Epiſcopi ejus ſuffraganei, & Epiſcopus urbis Romæ: ita Sanctus Jacobus, licèt ut talis Apoſtolus habuerit determinatas provincias, tamen ut Apoſtolus habuit poteſtatem in univerſo mundo; unde in quâcumque Orbis parte occubuiſſet, moreretur in loco ſuæ ditionis.

208 Quarto, quia ex Apoſtolatu Sancti Jacobi ſequebatur, ipſum, ut Apoſtolum totius mundi, ſicuti omnes

nes alii Apoſtoli, non fuiſſe adſtrictum ad reſidendum ſemper in determinatâ Diœceſi, nam multò amplior eſt Apoſtolatus, quàm Epiſcopatus, hic enim certis limitibus continetur; non ſic Apoſtolatus, hic enim nullis finibus concluditur, ſed extenditur quâcumque patet univerſus Orbis: ergo Sanctus Jacobus potuit vagari per univerſum Orbem, quin ſuis finibus excederet, ac proinde pergere Jeroſolymam, relictâ Hiſpaniâ.

209 Quinto, quia etiam dato, & non conceſſo, quod reſidentia Apoſtolorum fuiſſet certis locis affixa, ſicuti reſidentia Epiſcoporum; non eſt negandum potuiſſe Apoſtolos in aliquot caſibus licitè exire de finibus ſuis, ſicuti licitum eſt Epiſcopis (qui in Apoſtolorum ſucceſſerunt locum, ut declaravit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 4.) de juſtis, & rationabilibus cauſis à ſuis Diœceſibus abeſſe, ut colligitur ex eodem Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. de Reformatione: ergo negandum non eſt, Sanctum Jacobum, poſitis juſtis, & rationabilibus cauſis, potuiſſe, relictâ Hiſpaniâ, accedere Jeroſolymam.

210 Sexto, quia ſicuti Spiritus Sanctus diviſit Apoſtolis provincias; ita etiam eos docuit quandiu, & quomodo deberent in illis commorari, ac proinde ut neque ad eas acceſſerunt niſi inſtinctu Spiritûs Sancti, ita ab illis non recedebant niſi inſtinctu Spiritûs Sancti; nihil autem repugnat, quòd Spiritus Sanctus, qui fecit, ut Sanctus Jacobus in Hiſpaniam proficiſceretur, effecerit, ut ipſe ex Hiſpaniâ recederet, Jeroſolymamque peteret, ut ibi coronaretur martyrio; nam juxta citatam doctrinam Sancti Thomæ: *Omnes actus Apoſtolorum, & motus fuerunt ſecundum inſtinctum Spiritûs Sancti.*

211 Hæc ſatis, ſuperque ſunt ad oſtendendum illud argumentum ex loco martyrii Sancti Jacobi non poſſe oppug-

oppugnare illius expeditionem Hiſpanicam. Neque id indigebat ullâ ex his ſolutionibus; nam ſatis erat dixiſſe Sanctum Jacobum, ut filium Tonitrui, ire in Hiſpaniam, & reverti in Jeroſolymam in ſimilitudinem fulguris coruſcantis; vel iviſſe in eam urbem ut primus Apoſtolorum, qui pro Chriſto ſanguinem, fudit moreretur in loco, ubi occubuerat Sanctus Stephanus primus Martyr, & uterque in urbe, quæ mortem intulit Chriſto; quò uterque illius Divinitatem teſtaretur, ſuoque ſanguine teſtimonium confirmaret coram eiſdem, qui Chriſtum in Crucem egerant; & ſic perfectiſſimè impleret præceptum Chriſti dicentis Act. cap. 1. verſ. 8. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ*; nam cùm Chriſtus primò poſuit Jeruſalem, oſtendit ſibi magis cordi eſſe habere veros teſtes in Jeruſalem, ubi falſis teſtibus condemnatus fuerat, quàm alibi, ideo Sanctus Jacobus non contentus ſemel teſtimonium dixiſſe pro Chriſto in Jeruſalem, propter quod fuit flagellatus cum aliis Apoſtolis, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum cap. 5. verſ. 40. teſtis fuit etiam in omni Judæâ, & Samariâ, teſtis in Hiſpaniâ uſque ad ultimum terræ; & noviſſimè iterum teſtis in Jeruſalem, & multò perfectiùs, quia ibi fuit Martyr pro Chriſto, quia ubi Editio Vulgata in illo præcepto Chriſti dicit *teſtes*, textus Græcus habet *Martyres*.

212 Dici etiam poterat, Sanctum Jacobum poſtliminio miſſum fuiſſe Jeroſolymam, ut prædicaret Judæis, qui illuc ex vicinioribus provinciis confluebant ad celebrandum Paſcha, & ad converſos ad Fidem confirmandos, ut facere ſolebat Sanctus Paulus, ut videre eſt Act. 15. verſ. 36. & verſ. 41. vel ut diem Pentecoſtes faceret Jeroſolymæ, ſicuti Sanctus Paulus, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum cap. 20. verſ. 16. Vel rediiſſe Jeroſolymam, quia priuſquam alii Apoſtoli, inde diſceſſerat, ne Judæi exiſti-

exiſtimarent, illum fugiſſe, ut mortem vitaret; vel rediiſſe Jeroſolymam, ut finiret curſum ſuæ prædicationis eodem loco, quo illam inceperat, clauderetque circulum ſuæ peregrinationis. Vel miſſum fuiſſe Jeroſolymam, ut coronaretur martyrio in eâ urbe, quæ erat Caput ſui Apoſtolatus; nam Sanctus Jacobus fuit Apoſtolus Judæorum toto Orbe viventium, ſicuti Sanctus Paulus, qui fuit Apoſtolus Gentilium toto Orbe commorantium, occiſus eſt Romæ, quæ Caput erat Orbis Gentilici.

213 Vel denique dici poteſt, Sanctum Jacobum miſſum fuiſſe Jeroſolymam, ubi tunc erat Sanctus Paulus, qui illius futurus erat ſucceſſor in converſione Hiſpanorum, ut visâ à Sancto Paulo morte illius, ipſi conſtaret eſſe Hiſpaniam viduatam Paſtore, proindeque ſuccederet in Sancti Jacobi occiſi locum; utque Sanctus Lucas videret, & ſcriberet Sancti Jacobi martyrium. Sanctus enim Lucas non ſcripſit in Actibus Apoſtolorum, niſi ea, quæ vidit, ut docet Sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, §. de Sancto Lucâ, ubi de hoc Euangeliſtâ ait:

> *Euangelium ſicut audivit, ſcripſit; Acta verò Apoſtolorum, ſicut viderat, compoſuit.*

Unde Sanctus Joannes Chryſoſtomus Homil. 1. in Act. Apoſtolorum, de Fide præſtandâ Sancto Lucæ, ait:

> *Etenim cui fides eſt habita ſcribenti, quæ audierat, huic multò magis habenda fides, ea conſcribenti, quæ nequaquam ab aliis accepit, ſed quæ vidit ipſe ſimul, & audivit.*

Si autem Sanctus Jacobus paſſus fuiſſet in Hiſpaniâ, non videret Sanctus Lucas ejus martyrium, ac proinde illud non ſcriberet; ſicuti eâdem causâ non ſcripſit illius expeditionem Hiſpanicam; ſicuti etiam ex eâdem causâ non ſcripſit expeditiones aliorum Apoſtolorum, exceptis

Sancto

Digitized by Google

Sancto Petro, & Sancto Paulo. Oportuit autem scribi martyrium Sancti Jacobi, ut constaret, omnes Apostolos fuisse Martyres; nam quod in Actis Apostolorum dicitur de uno Apostolo, intelligi etiam plerumque debet de aliis, juxta doctrinam Patris Salmeronis referendam Assertione 39. Unde ille liber vocatur Acta Apostolorum, licèt de paucis Apostolis loquatur: imò *eorum, quæ hîc tractantur maior pars, sunt acta Pauli, qui plus omnibus laboravit*, ut ait in Homiliâ citatâ Sanctus Joannes Chrysostomus, cujus solemni die hæc scribimus. A' Sancto verò Isidoro lib. 1. de Divinis Officiis cap. 11. pag. 327. col. 1. D. vocatur hic liber: *Actus duodecim Apostolorum*; quia quæ de uno Apostolo dicuntur, de aliis undecim intelligenda sunt. Ideoque leguntur labores Sancti Pauli, ut intelligatur, omnes Apostolos labores exanthlasse. Leguntur peregrinationes Sancti Pauli, ut intelligantur peregrinationes Sancti Jacobi, aliorumque Apostolorum. Legitur martyrium Sancti Jacobi, ut intelligantur martyria Sancti Pauli, aliorumque Apostolorum, quæ intelligi non poterant, nisi Sancti Jacobi martyrium legeretur, neque hoc legi, nisi scriberetur, neque scribi, nisi à Sancto Lucâ videretur, neque videri, nisi Sanctus Jacobus extra Hispaniam proficisceretur.

214 Quæ omnia, cùm ita sint, immeritò dicitur, nos hoc argumento urgeri; immeritò asseritur, nos recurrere ad divinationes, jamque non dicetur, nisi æquè immeritò, nos non indicare quæ fuerint causæ, aut esse potuerint regressûs Sancti Jacobi ex Hispaniâ in Jerosolymas.

215 Ex multiplici hujus argumenti solutione, quam adhibuimus argumento à loco martyrii S. Jacobi constabit, illud non esse magnum telum, nisi quatenus toties potuit infringi, quoties illi responsum est: cum quælibet ex his responsionibus satis esset ad illud repellendum.

# ASSERTIO XII.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non impeditur authoritate Sancti Pauli ad Romanos ſcribentis.*

216 POſtquam ſub Clemente VIII. propoſita ſunt plura argumenta contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ut illius hiſtoria à Breviario Romano tolleretur, omniaque illa contempta ſunt ab iis, qui tunc Breviarium recognoverunt; hiſtoriaque ibi remanſit, licèt redacta ad Traditionem Eccleſiarum Hiſpaniæ. Novum prodiit argumentum, deductum ex cap. 15. Epiſtolæ Sancti Pauli ad Romanos. Quis prius illud produxerit, me latet. Scio illius, præter alios, meminiſſe, illudque ſolviſſe Clariſſimum Virum D. Didacum de Caſtillo in libro inſcripto *Defenſa de la venida de Santiago a Eſpaña*, cap. 32. pag. 161. Reverendiſſimum Xodar in libro de eodem argumento Diſcurſu 5. §. 2. pag. 174. Scio Clariſſimum Patrem Franciſcum à Sancto Auguſtino Macedo in Diatriba de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam cap. ultimo, pag. 197. de hoc argumento ſcripſiſſe:

> *Et quidem tanti hoc argumentum fuit, ut una ex cauſis, cur antiqua illa Breviarii formula, quæ affirmabat adventum Jacobi in Hiſpaniam à Clemente VIII. in traditionem ſic converſa fuerit. Accedente præſertim authoritate Ambroſii, qui ad eum Pauli locum perſpicuè negat Euangelium in Hiſpaniâ antea prædicatum.*

217 Et licèt hoc argumentum ex Epiſtolâ ad Romanos tale ſit, ut Magnus Macedo capite citato, pag. 200. de eo dixerit:

*Equidem*

*Equidem legens hunc locum, nullam in eo video magni momenti difficultatem; ac miror potuisse, aut eo tempore moveri adversarios ad impugnandum Jacobi adventum, aut nostros tantopere in eo exponendo laborare.*

Tamen, quia vir quidam excellentissimus, & ad stuporem eruditus, mihique conjunctissimus necessitudine amicitiæ, quam hæreditariam meritò dixerim, utpote ab utriusque parentibus in utrumque nostrum derivatam, affirmavit, se judice nullum argumentum maiorem vim exerere contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quàm id, quod petitur ex cap. 15. Epistolæ ad Romanos, ideo illud censui diligentiùs expendendum, & dissolvendum, quod facilimè me facturum spero; imò mihi habeo polliceri ex Epistolâ ad Romanos, præsertim ex illo loco, magnum pondus accessurum sententiæ expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi asserenti, & vindicanti.

218 Vel ipsos adversarios, hujus argumenti viribus diffidere, ut suspicer, illud facit, nempe ab ipsis non produci nudum Divi Pauli locum, sed armatum expositionibus Sancti Ambrosii, Sancti Hieronymi, & Sancti Joannis Chrysostomi. Sed tantum abest, ut magna hæc nomina nos à sententiâ deterreant, ut potiùs nos magis, atque magis in eâ confirment, si omnia loca introspiciantur ad Aristophanis, & Cleantis lucernam, hoc est ad lampadem criticam.

219 Ait igitur Divus Paulus capite 15. Epistolæ ad Romanos vers. 18.

*Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium verbo, & factis. In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Jerusalem, usque ad Illyricum repleverim Euangelium Christi: sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum*

*fundamentum ædificarem, ſed ſicut ſcriptum eſt:* Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent. *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc. Nunc verò ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam procedentibus annis: cum in Hiſpaniam proficiſci cæpero, ſpero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiſcor in Hieruſalem miniſtrare Sanctis.*

220 Ex quo loco Divi Pauli ſic conficitur argumentum, quod Magnus Macedo vocat rotundum: Sanctus Paulus eo in loco ad Romanos ait, ſe Chriſtum prædicaſſe, & prædicare velle, ubi nondum erat annunciatus: Atqui volebat prædicare in Hiſpaniâ: Ergo in Hiſpaniâ Chriſtus non fuerat prædicatus: Sed tunc Sanctus Jacobus jam fuerat occiſus: ergo in Hiſpaniâ non prædicaverat.

221 Ego etiam miror cum Macedo tanti factum fuiſſe hoc argumentum, tantumque laboris à noſtris poſitum eſſe in eo diſſolvendo. Nam ſi hoc argumento quis uteretur in ſcholâ facilimo negotio obmuteſcere cogeretur.

222 Nam ſi reſponderimus, Sanctum Paulum non ſemper prædicaſſe iis, quibus Chriſtus non fuerat prædicatus, nobis ſuffragaretur Sacra Pagina docens, Sanctum Paulum prædicaſſe Antiochiæ, & Damaſci, & Hieroſolymis, quibus in locis, jam ante prædicationem Sancti Pauli Chriſtus fuerat annuntiatus. Et ſimiliter ſi dicamus, Sanctum Paulum non voluiſſe deinde prædicare ſemper in locis, in quibus Chriſtus non fuerat prædicatus, pro nobis ſtaret ipſe Sanctus Paulus aſſerens, ſe velle prædicare Romæ, quâ in urbe jam Chriſtus fuerat annuntiatus.

Hoc

Hoc satis erat ad infringendam vim argumenti, siqua esset.

223 Deinde si diceremus, Sanctum Paulum voluisse venire in Hispaniam, non ut primum prædicatorem, ut converteret, sed ut confirmaret conversos, quid nobis reponi posset, cùm hoc loco Sanctus Paulus dicat, se voluisse adire Romam, quo perrexit, non ut primus Fidei prædicator, sed ut conversorum fidelium confirmator? Si voluit confirmare Romæ illos, quos converterat Sanctus Petrus, qui adhuc vivebat, & forsitan tunc Romæ morabatur, quidni voluerit confirmare in Hispaniâ, quos ibi converterat Sanctus Jacobus, qui ante tredecim, vel plures annos ab Hispaniâ recesserat, & mortuus erat? Dejectis igitur præmissis, quomodo stabit illa conclusio, quæ infertur, nempe, quòd in Hispaniâ Christus non fuerat prædicatus.

224 Quid si dicam, Sanctum Paulum eodem loco, quo asserit prædicasse illis, quibus Christus non fuerat prædicatus, asserere pariter etiam prædicasse ubi Christus fuerat nominatus? Refelli non potero; dicit enim prædicasse *ab Hierusalem per circuitum*: hoc est in Hierusalem, seu ut explicat Ambrosius Catharinus Episcopus Minoriensis Ordinis Prædicatorum, *ab ipsâ Hierusalem, & iis, quæ ipsam circumjacent.* Sed in Hierusalem, & locis, quæ ipsam circumjacent, jam erat nominatus Christus, ut constat ex Actibus Apostolorum: ergo hoc eodem loco testatur Sanctus Paulus, se etiam prædicasse in locis, in quibus nominatus erat Christus, & tamen dicit Sanctus Paulus, se prædicavisse, ubi Christus non fuerat nominatus: ergo etiam si dixisset, se velle prædicare ubi Christus non fuerat nominatus, non ideo posset inferri, Christum non fuisse nominatum in Hispaniâ, in quâ Sanctus Paulus volebat prædicare; neque enim diversa est ratio, ob

quam

quam excipienda fuerit Hieruſalem, & non ſit excipienda Hiſpania; & ſicuti Divus Paulus dixit ſe prædicaſſe ubi Chriſtus non fuerat nominatus; ita poterat dicere ſe velle prædicare ubi Chriſtus non fuerat nominatus, licèt vellet prædicare etiam in Hiſpaniâ, in quâ Chriſtus nominatus fuerat.

225 Quid ſi dicam hunc locum Sancti Pauli non poſſe intorqueri contra aſſerentes Sanctum Jacobum in Hiſpaniâ prædicaſſe ſolis Judæis, vel Judæis maximè? Nam Sanctus Paulus hoc loco, ubi dicit, ſe non prædicaſſe ubi Chriſtus nominatus erat, nihil aliud vult dicere niſi, ſe in hâc peregrinatione non prædicaſſe præcipuè Judæis, ſed maximè Gentilibus; nam Judæis jam prædicatus, & nominatus fuerat Chriſtus à Prophetis, & annuntiatus in veteri teſtamento, & expectatus, atque invocatus ut Meſſias. Quod clariùs innuit hujus loci translatio ex Syriaco, in quâ dicitur: *Dum diligentem operam navo euangelizandi, non ubi invocatum eſt nomen Meſchicho, ut ne ædificarem ſuper fundamentum extraneum; ſed ſicut ſcriptum eſt:* de quibus non eſt annuntiatum de eo ipſum videbunt, & ii, qui non audierant, acquieſcent. *Propterea impeditus ſum pluries, ne venirem ad vos.* Gentilibus autem non fuerat Chriſtus annuntiatus in veteri teſtamento, neque prædicatus à Prophetis, neque à Gentilibus invocatus fuerat, aut expectatus ut Meſſias. Unde poterat poſtea Sanctus Paulus ſibi conſtans velle prædicare in Hiſpaniâ ſolis, vel præcipuè Gentilibus, nam his non fuerat annuntiatum de Chriſto à Prophetis; non verò Judæis, nam his Chriſtus annuntiatus fuerat, & primo à Prophetis, & iterum à Sancto Jacobo, cui datum eſt prædicare duodecim Tribubus, quæ erant in diſperſione, ut habemus ex teſtimonio Sophronii, quod Recentior Adverſarius tribuit Divo Hieronymo, & ut Divi Hieronymi amplectitur.

Hanc

226 Hanc autem fuisse hoc loco mentem Sancti Pauli, ex eo patet, quia Doctor Gentium toto eo capite egit de conversione Gentilium, quam futuram fuisse probat testimoniis Prophetarum, & Regii, & Euangelici, hoc est Davidis, & Isaiæ, & signatè hoc loco dicit:

> *Sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.*

Quæ Beatus Paulus protulit ex Isaiæ cap. 52. vers. 15. juxta Versionem Septuaginta Interpretum, quâ usi sunt Apostoli, ut certum est apud omnes Sacræ Scripturæ Interpretes; nam totidem verbis hoc testimonium Isaiæ legitur apud Septuaginta, à quibus non dissentit nostra editio Vulgata, dicit enim eo Isaiæ loco: *Quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.*

227 Lucem huic nostræ sententiæ afferat Lux Ecclesiæ Sanctus Augustinus enarratione in Psalm. 96. tomo 4. editionis Monachor. Sancti Mauri col. 782. D. ubi ait:

> *Cæpit fervere per Judæam Ecclesia Christi, ubi ferbuerat opprobrium Christi;* & restituta est terra ejus. *Sed quia dixerat ipse habeo alias oves, quæ non sunt de hoc ovili, oportet me & eas adducere, ut sit unus Grex, & unus Pastor: etiam ad Gentes ad quas Prophetæ missi non erant, Apostoli missi sunt. Quæsiti sunt, qui non quæsierant, inventi sunt, qui nihil expectabant: quem non tenebant Deum pollicitatorem, invenerunt Redemptorem. Jam enim Judæi tenebant Deum pollicitatorem, quia ibi Prophetæ* Christum PRÆDICAVERANT, *ibi Christum promiserant: sed quem promissum audierant, præsentem non cognoverant. Illis autem* (hoc est Gentilibus) *promissum nihil erat: sed tamen in Prophetis etiam de fide ipsorum dictum erat. Non dictum erat ipsis, sed dictum erat de ipsis.*

Ecce

Ecce D. Auguſtinum docentem, eos, quibus Chriſtus prædicatus fuerat, fuiſſe ſolos Judæos; & eos, quibus Chriſtus non fuerat annuntiatus, fuiſſe Gentiles. Quis igitur prohibet ne dicamus, Chriſtum in Hiſpaniâ non fuiſſe annuntiatum, præcipuè, vel maximè Gentilibus, licèt fuerit annuntiatus Judæis à Prophetis, quorum Scripturas habebant, & à Sancto Jacobo, cujus prædicationem Judæi maximè audierant.

228 Sed quorſum ego plus immoror in oſtendendo, Sanctum Paulum locutum fuiſſe de ſolis Gentilibus, cùm id ſponte fateatur Recentior Adverſarius? Apertè enim, & ingenuè dicit: *Advertendum verò eſt, Apoſtolum hîc non loqui de Judæis, ſed de Gentilibus, Euangelioque ipſis prædicando., quia ratio, ob quam dicit, ſe non prædicaviſſe ubi Chriſtus antea fuerat nominatus, eſt Iſaiæ vaticinium*: Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent; *Solis autem Judæis, non Gentibus annuntiatum fuerat per Prophetas de Chriſto venturo, ſoli Judæi, non Gentes Chriſtum venturum audierant à Prophetis ad ipſos Judæos loquentibus, ut ex ipſo Sacro Textu, Sacriſque Interpretibus paſſim manifeſtum eſt.*

229 Cùm tamen hæc ita ſint, quomodo ex hoc loco Sancti Pauli inferri poteſt, non fuiſſe Chriſtum annuntiatum in Hiſpaniâ ſaltem Judæis, & per Prophetas, & per Sanctum Jacobum duodecim Tribuum Apoſtolum, ex eo quod Sanctus Paulus propoſuerit, & promiſerit, ſe prædicatūrum in Hiſpaniâ? nam quod eſſent Gentiles in Hiſpaniâ, non tollit in Hiſpaniâ fuiſſe Judæos, quibus Sanctus Jacobus prædicaverat. Judæos autem eo tempore fuiſſe in Hiſpaniâ docet Sanctus Joannes Chryſoſtomus Homilia 76. in Euangelium Sancti Matthæi. Unde nihil ex hoc loco ſequitur contra docentes, Sanctum Jacobum in Hiſpaniâ Judæis prædicaſſe.

230 Imò neque contra aſſerentes, Sanctum Jacobum prædi-

Digitized by Google

prædicasse in Hispaniâ Gentilibus, quidpiam conficit hoc argumentum, quia illud Isaiæ: *Quibus non est narratum de eo videbunt*; & illud Sancti Pauli: *Non ubi nominatus est Christus*, non protrahitur ad omnem differentiam temporis, neque ad omne genus prædicatorum; sed restringitur ad tempus veteris testamenti, & ad prædicationem Prophetarum; sicque etiam postquam Sanctus Jacobus prædicavit Gentilibus Hispaniæ; etiam Sanctus Paulus prædicans Gentilibus, seu Christianis ex Gentilitate conversis, prædicaret iis, quibus non erat annuntiatus Christus tempore veteris testamenti, & quibus non fuerat prædicatus Christus à Prophetis; similiter Discipuli Sancti Jacobi missi in Hispaniam à Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, licèt prædicaverint Gentilibus post Sanctum Jacobum, & Sanctum Paulum, nihilominus prædicaverunt iis, quibus non erat annuntiatum de Christo in veteri testamento, & ad eos, quibus Christus non fuerat prædicatus à Prophetis.

231 Immeritò autem dicitur à Recentiore Adversario, quòd Apostolus dicit sibi vaticinio Isaiæ vetitam prædicationem in Gentibus, ubi jam Christus fuerat nominatus. Quia hoc non dicit Apostolus, neque poterat dicere. Quòd non hoc dixerit, patet ex verbis Apostoli cap. 15. Epistolæ ad Romanos vers. 20.

> *Sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent.*

Quibus non significat sibi à vaticinio Isaiæ vetitum esse prædicare iis, quibus ab aliis Apostolis prædicatum fuerat nomen Christi, sed solùm dicit, se prædicasse iis, quibus non fuerat nominatus Christus, & prædicasse, sicut in vaticinio Isaiæ scriptum est, seque vaticinium illud ex

parte ſuâ impleviſſe, quatenus ad ſe ſpectabat. Vaticinium autem illud nihil præcipit, nihil vetat, ut mox videbimus, & ideo non dixit Apoſtolus ſibi illo vaticinio vetitam prædicationem in Gentibus, ubi jam Chriſtus fuerat nominatus.

232 Neque dici poteſt, niſi neglectâ critice, vel nobis favendo, Sanctum Paulum innuere illud præceptum prohibens verſu ſequenti, ubi ait:

*Propter quod, & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.*

Nam Sanctus Paulus non prohibitus fuit venire ad Romanos, ex eo, quod ipſis jam prædicatum fuerat Euangelium; ſed ex eo, quod alibi in regionibus diſſitis verſatus erat, implens vaticinium Iſaiæ, in quo nullum eſt præceptum. Si enim prohibitus eſſet vaticinio Iſaiæ, nunquam ceſſaſſet ea prohibitio, ſi autem illa prohibitio nunquam ceſſatura eſſet, neque Apoſtolus diceret *prohibitus ſum uſque adhuc*, ſed *prohibitus ſum in ſempiternum*; neque unquam veniret Romam, quod eſt contra Sanctum Lucam in Actibus Apoſtolorum cap. 28.

233 Si autem dixeris Apoſtolo prohibitum fuiſſe venire Romam, quia in eâ urbe jam prædicatum erat Euangelium, nobis faves; non enim Apoſtolo, eo tempore, quo loquitur minus prohibitum fuit venire in Hiſpaniam, quàm venire Romam: ergo ſi ideo prohibitus fuit venire Romam, quia Romæ prædicatum erat Euangelium, etiam prohibitum fuit venire in Hiſpaniam, quia in Hiſpaniâ prædicatum erat Euangelium, ut aſſerunt, qui vindicant expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

234 Neque dixeris cum Recentiore Adverſario, quod *Paulus Romam non tetendit, ut ibi prædicaret*; quia tres potentiſſimos habebis Adverſarios; habebis Adverſarium

Sanctum

Sanctum Lucam, qui Act. 28. 30. de Sancto Paulo Romæ commorante, ait:

> *Mansit autem biennio in suo conducto, & suscipiebat omnes, qui ingrediabantur ad eum prædicans verbum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiduciâ, sine prohibitione:*

Ergo certum est, Sanctum Paulum venisse Romam, ut prædicaret.

235 Habebis Adversarium ipsum Sanctum Paulum in eâdem Epistolâ cap. 1. vers. 10. ubi ait:

> *Semper in orationibus meis obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.*

Et vers. 13.

> *Nolo autem vos ignorare fratres; quia sæpe proposui venire ad vos, (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam, & in vobis, sicut & in cæteris Gentibus.*

Et vers. 15.

> *Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis euangelizare.*

236 Quid autem est impertiri aliquid gratiæ spiritualis; quid est fructum habere in Romanis, sicut in cæteris Gentibus, quid est iis, qui Romæ sunt euangelizare, quod adeo ardenter Sanctus Paulus optabat, nisi prædicare Romanis?

237 Habebis Adversarium Omnipotentem, ipsum Christum, qui anno 58. dixit Sancto Paulo, (ut legimus in Actis Apostolorum cap. 23. vers. 11.) *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.*

238 Non solùm non dicit Sanctus Paulus *sibi vaticinio Isaiæ vetitam prædicationem in Gentibus, ubi jam Christus*

*fuerat nominatus.* Sed neque hoc dicere poterat, ut ſupra innuimus, nam in Iſaiæ teſtimonio à Sancto Paulo relato nil tale invenitur, quia capite 52. verſ. 15. hujus Prophetæ, unde illud teſtimonium deſumpſit, ſolùm dicitur:

*Iſte aſperget gentes multas. Super ipſum continebunt Reges os ſuum: quia quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt.*

239 Ita habetur in noſtrâ Editione Vulgatâ: in Verſione autem Septuaginta Interpretum, quâ uſus eſt Sanctus Paulus, dicitur:

*Sic mirabuntur gentes multæ ſuper eo: & continebunt Reges os ſuum: quia quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.*

240 Pagninus autem, & Vatablus propiùs accedunt ad Editionem Vulgatam, niſi quod hic expreſſiùs ait: *quia quod non fuerat antea narratum ipſis, videbunt.*

241 His autem verbis nullum invenitur præceptum, nulla prohibitio: ergo non poterat dicere Sanctus Paulus: *Sibi vaticinio Iſaiæ vetitam prædicationem in Gentibus, ubi jam Chriſtus fuerat nominatus.*

242 Præterea, ſi vaticinio Iſaiæ prohibitum eſſet prædicare, ubi alii Apoſtoli prædicaverant, hoc eſſet prohibitum omnibus prædicatoribus Euangelii, neque unus poſſet ædificare ſuper alterius fundamentum, neque enim in illo vaticinio cernitur diſtinctio perſonarum, neque datur maior ratio, cur hoc fuerit prohibitum Sancto Paulo, non verò aliis prædicatoribus Euangelii: ſed non fuit prohibitum aliis prædicatoribus Euangelii prædicare, ubi prædicaverat Sanctus Paulus, & ædificare ſuper fundamentum ipſius Sancti Pauli: ergo neque Sancto Paulo prohibitum fuit prædicare, ubi prædicaverant alii Apoſtoli, neque ſuper eorum fundamentum ædificare; ac proinde non fuit illi prohibitum prædicare in Hiſpaniâ, ubi

Sanctus

Sanctus Jacobus prædicaverat; neque ex eo, quod Sanctus Paulus post annum sexagesimum prædicaverit in Hispaniâ, inferri potest, Sanctum Jacobum in eâ provinciâ non prædicavisse ante annum quadragesimum quartum.

243 Quod non fuerit prohibitum aliis prædicatoribus Euangelii prædicare, ubi prædicaverat Sanctus Paulus, neque vetitum ædificare super Sancti Pauli fundamentum, constat ex eodem Sancto Paulo 1. Corinth. cap. 3. vers. 10. ubi ait:

> *Secundum gratiam, quæ data est mihi, ut sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificavit.*

In quem locum Estius scribit:

> *Latini Commentatores hujus loci tam veteres, quàm Recentiores superædificantem fere interpretantur eum, qui fundamento Fidei per Apostolum collocato, superædificat præcepta tam Fidei, quàm morum, quibus in Christianâ vitâ fideles confirmentur, atque proficiant: quod Apollon apud Corinthios fecisse diximus.*

Et infra subjungit idem Estius:

> *Sicut enim idem Apollo est is, qui plantat, & qui fundamentum ponit: ita quoque idem est qui rigat, & qui superædificat.*

Alludit hîc Estius ad id, quod Sanctus Paulus dixerat eodem capite vers. 6.

> *Ego plantavi, Apollo rigavit.*

Si ergo Apollo non fuit prohibitus rigare, quod Sanctus Paulus plantaverat, neque superædificare fundamento, quod Sanctus Paulus posuerat, quomodo prohiberetur Sanctus Paulus rigare, quod Sanctus Jacobus plantaverat in Hispaniâ, & superædificare fundamento, quod Sanctus Jacobus posuerat? Confictum ergo est illud præceptum, quod asseritur vaticinio Isaiæ extare de non prædicando, ubi Christus prædicatus fuerat ab alio Apostolo.

Ex

244 Ex his conſtat, hunc locum Sancti Pauli expoſitionibus nudum, nihil officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi; ſed neque ab expoſitionibus ejuſdem loci, quibus Adverſarii nituntur armare hoc argumentum, accipit illud maiores vires contra ſententiam vindicantium illam expeditionem.

245 Prodeat ante alias expoſitio, quam neglectus Critices tribuere ſolet Sancto Ambroſio, cùm colligatur ex eiſdem Commentariis illorum Authorem non fuiſſe Sanctum Doctorem. Et ex Sancto Auguſtino fuiſſe quemdam Hilarium, quem Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cùm de Sancto Ambroſio pag. 78. credibile judicat fuiſſe Diaconum Romanum, qui Luciferi ſchiſma propagavit. Cùm autem illa Commentaria ſint potiùs hominis hæretici, quàm Eccleſiæ Doctoris, nullum contra nos poteſt ex illis erui argumentum efficax. Nihilominus, quia authoris antiqui, expendenda ſunt illius verba.

246 Ait igitur ille Ambroſiaſter in illa Divi Pauli verba Roman. 15. verſ. 24. Cum in Hiſpaniam proficiſci cæpero: *Venturum tamen ſe promiſit Paulus tempore, quo ad Hiſpaniam erat iturus: quia illic Chriſtus non erat prædicatus, ut occuparet mentes illorum, quia Pſeudo-apoſtolis difficile fuit iter ad illos.*

247 Video apertè negatum ab Authore (quiſquis ille ſit) certè antiquiore Sancto Auguſtino, Chriſtum prædicatum fuiſſe in Hiſpaniâ aliquot annis poſt mortem Sancti Jacobi, non tamen deterreor à ſententiâ illius expeditionem Hiſpanicam afferente, in eâque perſiſto multiplici de causâ; una eſt, quia Authori Heretico, vel Schiſmatico nulla fides debetur, juxta unum ex meis principiis, cui mirificè favet Recentior Adverſarius, dum agens de Commentariis in Epiſtolas Sancti Pauli, quæ per neglectum

Digitized by Google

ctum Critices tribuebantur Sancto Anselmo, cùm ab aliis adjudicentur Claudio Altisiodorensi, subjungit: *Claudius Altisiodorensis nullus extitit, sed ea expositio est Claudii Taurinensis Hæretici Iconomachi ..... idcirco, neque nominandus Claudius iste.*

248 Altera est, quia unus Author, isque alienigena non potest præscribere contra antiquissimam Traditionem totius Hispaniæ in rebus Hispanicis.

249 Tertia, quia Interpretum verba debent intelligi in sensu, quo loquuntur Authores, quos interpretantur: sed sensus Divi Pauli, quem hic Author interpretatur, est, quod dum dicit Christum non fuisse annuntiatum Gentibus, significetur, Christum Gentibus non fuisse annuntiatum à Prophetis, ut supra ostendimus: ergo cum Ambrosiaster dicit, quòd in Hispaniâ Christus non erat prædicatus, dicere voluit, quòd Gentilibus incolentibus Hispaniam non fuerat Christus annuntiatus à Prophetis. Ex quo nihil sequitur contra nostram sententiam de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, ut supra etiam ostensum est.

250 Quarta, quia ea existimati Ambrosii verba intelligenda sunt in eo sensu, in quo ipse intellexit Divum Paulum similia dicentem; sensus autem, in quo iste Author intellexit Sanctum Paulum, nihil officit expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, quod patebit, si rem altiùs repetamus.

251 Descripsit existimatus Ambrosius illa verba Sancti Pauli ex Epistolâ ad Romanos cap. 15. vers.

> *Ita ut ab Jerusalem in circuitu usque Illyricum repleverim Euangelium Dei, & Filii ejus Jesu Christi. Sic autem hoc prædicavi Euangelium, non ubi nominatus est Christus, ne supra alienum fundamentum ædificarem.*

Istaque verba explicaturus, subjungit Commentator ille:

Non

*Non ſine causâ illic ſe prædicare niti dicit, ubi non nominatus eſt Chriſtus, ſciens Pſeudo-apoſtolos, aliter quàm oportebat Chriſtum tradere. Ad hoc enim circumibant, ut ſub nomine Chriſti aliis dogmatibus populum manciparent: quod poſtea corrigere maximi erat laboris. Idcirco prævenire voluit, ut inviolatæ prædicationis verba traderet audientibus, & integra linea ſuperficies ordinata incolumis fundamenti robur haberet.*

Intelligit ergo iſte Commentator, Sanctum Paulum ſcripſiſſe, non prædicaſſe niſi in locis, in quibus Chriſtus non fuerat prædicatus à Pſeudo-apoſtolis, quos Divus Paulus in totâ eâ Epiſtolâ cavendos monet, ut obſervat idem Commentator in cap. 16. verſ. 17.

252 Hinc facilè intelligitur, hunc Authorem, cùm dixit Chriſtum tunc prædicatum non fuiſſe in Hiſpaniâ, voluiſſe dicere non fuiſſe prædicatum à Pſeudo-apoſtolis, quod manifeſtius fit ex ipſius verbis; ait enim:

*Venturum ſe promiſit tempore, quo ad Hiſpaniam erat iturus, quia illic Chriſtus non erat prædicatus, ut occuparet mentes illorum. Et quia Pſeudo-apoſtolis difficile fuit iter ad illos, ideo tardiùs fiiret, non erat moleſtum.*

Quando autem Chriſtus non fuerit in Hiſpaniâ prædicatus à Pſeudo-apoſtolis, non tollit, quòd fuiſſet prædicatus ab Apoſtolo Sancto Jacobo, ut nos unâ cum totâ Hiſpaniâ affirmamus: ergo exiſtimatus Ambroſius nihil habet contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

253 Succinit Divus Thomas, ſine cujus ope intelligi nequit Sanctus Paulus, ut jamjam moriturus dixit Magnus ille Vir Ludovicus de Sottomaior Ordinis Prædicatorum, & Author eſt elegantiſſimus; Illuſtriſſimuſque Vir Ludovicus Souſa in Hiſtoriâ Sancti Dominici parte 1. libro 3. cap. 39. fol. 200. col. 1. ait enim Doctor Angelicus in hunc Sancti Pauli locum Lectione 2.

*Ea*

*Ea enim Apostolus voluit prædicare illis, qui nomen Christi non audierant, ne si præventi essent à doctrinâ Pseudo-apostolorum difficiliùs esset eos ad veritatem reducere.*

Et infra subjungit:

*Non enim vitavit Apostolos prædicare illis, quibus ante fuerat ab aliis prædicatum, sicut ipse Romanis specialiter prædicavit, quos prius Petrus instruxerat.*

254 Ex quibus deduco, Sanctum Paulum etiam proposuisse prædicare in Hispaniâ, licèt illic prædicasset Sanctus Jacobus; dummodo in illâ non prædicavissent Pseudo-apostoli. Unde nihil contra nos argui posset ex loco Epistolæ ad Romanos, etiam intellecto secundum expositionem existimati Ambrosii.

255 Neque redditur validius argumentum deductum ex hoc loco Sancti Pauli, ut attacto à Sancto Hieronymo, qui ad illum alludens in Commentario in cap. 5. Amos, de Sancto Paulo loquens, ait:

*Vocatus à Domino, effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Euangelium de Hierusalem, usque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum, sed usque ad Hispanias tenderet.*

Nam hoc loco, ut innuimus, Sanctus Hieronymus alludit ad illud cap. 15. Epistolæ ad Romanos, & nihil addit, quod proficiat Adversario Recentiori; imò addit quidpiam, quod ipsi fortasse officiet. Quod sic ostendo.

256 Sanctus Hieronymus hîc utitur verbis Sancti Pauli, non in sensu accommodatitio, sed in sensu literali, seu historico: ergo illis utitur in eodem sensu, quo illa protulit Sanctus Paulus: sed ea accepta in sensu, quo ea protulit Sanctus Paulus, nihil officiunt expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, ut supra vidimus: ergo neque illi officiunt in sensu, quo iis utitur Sanctus Hieronymus;

in quo, ſicut in Epiſtolâ ad Romanos, debemus intelligere, Sanctum Paulum in illâ peregrinatione non prædicaſſe præcipuè Judæis, quibus prædicatus fuerat Chriſtus per Prophetas, ſed Gentilibus, quibus per Prophetas non fuerat annuntiatus; quia hoc eſt conforme illi loco prophetiæ Iſaiæ à Sancto Paulo allegato; neque quidquam facit contra nos, qui negare non poſſumus, & libenter concedimus in Hiſpaniâ fuiſſe Gentiles, quibus Chriſtus non fuerat annuntiatus in veteri teſtamento, neque prædicatus à Prophetis, neque invocatus, neque expectatus ut Meſſias. Quibus licèt prædicaſſent ſibi ſuccedentes omnes duodecim, vel quatuordecim Apoſtoli, & mille alii prædicatores unus poſt alium, ſemper prædicaſſent iis, quibus Chriſtus non fuerat annuntiatus in veteri teſtamento, iis, quibus non fuerat prædicatus à Prophetis; iis, à quibus Chriſtus non fuerat invocatus, neque expectatus ut Meſſias: ergo quòd Sanctus Paulus prædicaverit in Hiſpaniâ iis, à quibus Chriſtus non fuerat expectatus, neque invocatus ut Meſſias, non tollit, quin eiſdem prædicaſſet Sanctus Jacobus, quia prædicatio Sancti Jacobi non efficit, neque efficere potuit, ut Gentilibus fuerit annuntiatus Chriſtus in veteri teſtamento, & prædicatus à Prophetis, neque quòd à Gentilibus fuerit olim invocatus, & expectatus ut Meſſias. Unde Sanctus Paulus ſuccedens Sancto Jacobo in expeditione Hiſpanicâ, in eâque prædicans Gentilibus, ſemper prædicaret auditoribus, ad quos Chriſtus non fuerat annuntiatus in veteri teſtamento, quibus Chriſtus non fuerat prædicatus à Prophetis, & auditoribus, à quibus numquam Chriſtus fuerat invocatus ut Meſſias.

257 Vidimus quàm hic locus Sancti Hieronymi nihil proficiat Recentiori Adverſario; nunc oſtendendum eſt non nihil illi officere.

Loqui-

258 Loquitur hîc Doctor Maximus de Doctore Gentium, ut vocato à Domino, & effuſo ſuper faciem univerſæ terræ; ait enim:

> *Vocatus à Domino effuſus eſt ſuper faciem univerſæ terræ, ut prædicaret Euangelium.*

Et vocatus eſt Sanctus Paulus poſt illos undecim Apoſtolos, quibus Chriſtus dixerat Marci 16. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quæro igitur, an in universâ terrâ ullus fuerit locus, in quo Apoſtoli alii prædicaverint, antequam in eo prædicaret Sanctus Paulus? Certum eſt fuiſſe plurima loca, in quibus Apoſtoli prædicaverunt, antequam Sanctus Paulus in illis prædicaret; nam anno Domini quadrageſimo quinto ſcripſit Sanctus Marcus Euangelium ſuum, ut docent Euſebius in Chronico, & Baronius ad annum Chriſti 45. num. 29. & Cornelius A Lapide in Argumento in Sanctum Marcum §. *Quinto Marcus*; ille autem obſignavit Euangelium ſuum his verbis:

> *Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei; illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

259 Si anno 45. jam Apoſtoli prædicaverant ubique gentium, ubique terrarum, quis locus relictus eſt Sancto Paulo, ut totis viginti quatuor annis (occiſus enim fuit anno Chriſti 69. teſte Cardinale Baronio) prædicaret, ſi ſemper prædicaturus foret in locis, in quibus alii Apoſtoli non prædicaverant? Vel ſi ſemper juxta vaticinium Iſaiæ prædicandus eſſet Chriſtus in locis, in quibus antea à nullo alio fuerat prædicatus, quomodo poterant undecim Apoſtoli prædicare Euangelium in univerſo mundo juxta præceptum Chriſti expreſſum cap. 16. Sancti Marci verſ. 15. & Sanctus Paulus effundi ſuper univerſam

terram juxta dictum Sancti Hieronymi: ergo fatendum eſt Apoſtolorum aliquot prædicaſſe in locis, in quibus prædicavit Sanctus Paulus; & Sanctum Paulum prædicaviſſe nonnunquam in locis, in quibus prædicaverunt aliquot Apoſtoli, niſi velimus ſomniare alium fuiſſe mundum Sancti Pauli, & alium mundum aliorum Apoſtolorum, quod non diſpliceret Epicuro.

260 Deinde, ſi Sanctus Hieronymus non fuiſſet locutus ad mentem D. Pauli, & Iſaiæ de iis, qui non invocaverunt, neque expectaverunt Meſſiam, & de iis, quibus prædicaverant Prophetæ, quid prohibuiſſet aſſerere D. Hieronymum, qui prius aſſignaverat Sancto Paulo faciem univerſæ terræ, tamquam theatrum, vel circum maximum, in quo Apoſtolus factus fuit ſpectaculum mundo, Angelis, & hominibus, ut ipſe dixit 1. Corinth. 4.9.

*Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit tamquam morti deſtinatos; quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.*

Poſtea diſpeſcuiſſe hunc circum in duas partes, unam in quâ nondum prædicatus fuerat Chriſtus ab Apoſtolis, alteram verò, in quâ jam prædicatus fuerat ab Apoſtolis. Et primam circunſcripſiſſe locis de Jeruſalem, uſque ad Illyricum, in quibus ab aliis Apoſtolis non fuerat prædicatum Euangelium. Et ſecundam comprehendiſſe Hiſpaniam, aliaque loca, in quibus jam Apoſtoli prædicaverant; cùm certum ſit, Sanctum Paulum prædicaſſe multis in locis, præter ea, quæ jacent de Jeruſalem uſque in Illyricum; & Sanctus Hieronymus ſeparat Hiſpaniam ab iis locis, in quibus non erat prædicatum Euangelium: ergo illam comprehendit in eâ parte, in quâ jam erat prædicatum Euangelium. Quòd Hiſpaniam ſeparat ab illis locis, in quibus non erat prædicatum Euangelium, patet ex contextu verborum Sancti Hieronymi, nam primo dicit:

Ut

Ut prædicaret Euangelium *de Jeroſolymis uſque ad Illyricum, & ædificaret, non ſuper alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum.*

Et poſtea ſubjungit:

*Sed uſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari Rubro, imò ab Oceano uſque ad Oceanum curreret imitans Dominum ſuum, & ſolem juſtitiæ, de quo legimus,* à ſummo Cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, *ut ante eum terra deficeret, quam ſtudium prædicandi.*

Sicque Hiſpaniam, aliaſque provincias ſuperiùs non numeratas collocat inter loca, in quibus jam erat prædicatum Euangelium.

261 Inſuper premenda ſunt illa Sancti Hieronymi verba *imitans Dominum ſuum.* Si enim Sanctus Paulus in prædicando imitatus eſt Chriſtum Dominum, certè non abſtinuit à prædicatione in locis, in quibus prædicatum erat. Nam Chriſtus prædicavit etiam eiſdem in locis, quibus prædicaverat Sanctus Joannes Baptiſta, quibus in primâ miſſione prædicaverant Apoſtoli, quibus prædicaverant Septuaginta duo diſcipuli; dicit enim Sanctus Lucas, cap. 10. verſ. 1.

*Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios Septuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus.*

Ergo ſicuti Chriſtus Dominus prædicavit pluribus in locis, in quibus prædicaverant Apoſtoli, ita Divus Paulus imitans Dominum ſuum, prædicavit in pluribus locis, in quibus prædicaverant Apoſtoli: ergo nihil impedit quominus prædicaverit in Hiſpaniâ, poſtquam in eâ provinciâ prædicaverat Sanctus Jacobus.

262 Deinde noto illa verba Sancti Hieronymi dicentis de Sancto Paulo: *Ante eum terra deficeret, quam ſtudium prædicandi.* Si in Apoſtolo Gentium tantum erat ſtudium prædi-

prædicandi, vel ultra terræ fines, atque Sacro huic Euangelicæ Militiæ Alexandro *non unus ſufficit Orbis*, quomodo negligeret prædicare in quâpiam provinciâ, ad quam potuiſſet accedere, etiam ſi in illâ alii Apoſtoli prædicaviſſent? Ergo prædicaviſſe Sanctum Jacobum in Hiſpaniâ non erat impedimento ſubſequenti prædicationi Sancti Pauli, neque ex prædicatione Sancti Pauli in Hiſpaniâ à Sancto Hieronymo aſſertâ poteſt negari prædicatio antecedens Sancti Jacobi in eâdem Hiſpaniâ, licèt concedamus Adverſariis, Sanctum Paulum prædicaſſe non ſolùm in Hiſpaniâ, ſed in Hiſpaniis, ex eo quòd Sanctus Hieronymus ſcripſerit, Sanctum Paulum uſque ad Hiſpanias tetendiſſe, quin dicamus, Sanctum Doctorem hoc loco uſurpaviſſe numerum pluralem pro ſingulari, licèt id uſitatiſſimum ſit apud Authores Latinos; nam uterque Apoſtolus potuit prædicare in Hiſpaniis, non ſolùm diverſis urbibus, ſed in eiſdem; ut ſatis, ſuperque oſtenſum eſt. Et eo libentiùs concedam, Sanctum Paulum tetendiſſe in Hiſpanias, quàm in Hiſpaniam; ſic enim clariùs conſtat, Sanctum Jacobum deſignari à Sancto Hieronymo ſuper Iſaiæ cap. 34. verſ. 8. ubi ait:

> *Deditque eis ſortes, atque diviſit, ut alius ad Indos, alius ad Hiſpaniam, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret.*

Nam Sanctus Hieronymus de Sancto Paulo non ait *uſque ad Hiſpaniam*, (ut notatur) ſed *uſque ad Hiſpanias*: & de illo alio ait *alius ad Hiſpaniam*: ergo qui perrexit ad Hiſpanias, non erat ille, qui perrexit ad Hiſpaniam: ergo ſi qui perrexit ad Hiſpanias fuit Sanctus Paulus, qui perrexit ad Hiſpaniam fuit Sanctus Jacobus; ut fert Traditio, ſuffragante Sancto Hieronymo; ſed de hoc latiùs infra Aſſertionibus 48. & 49.

263 Cùm non obſtet expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi

Jacobi locus Sancti Pauli ad Romanos 15. vers. 20. neque per se solum, neque adjunctâ expositione existimati Ambrosii, neque ut relatus à Sancto Hieronymo; supereſt disquirere, an maiorem vim habeat auxilio expositionis Sancti Joannis Chrysostomi, ingeniosissimè adductæ contra nostram sententiam.

264 Tentatur nostram sententiam sternere expositione Sancti Joannis Chrysostomi cap. 15. Epistolæ ad Romanos, tamquam validissimo ariete; sed potiùs sternitur planior via ad expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, tantum abest, ut ea impediatur, cujus rei Lector judex esto.

265 Producitur Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 29. in caput 15. Epistolæ ad Romanos, ubi Apostolus sic scribit:

> *Sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est (Isaiæ 52. non 51.) quibus non est annuntiatum de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent.*

266 Subjunguntur enim ex eo loco Sancti Joannis Chrysostomi de Sancto Paulo loquentis sequentia verba:

> *Sed neque ad eos abiit, qui prius fuerant edocti; usque adeo scilicet abstinuit, quominus alienis se discipulis ingereret, gloriæque gratia, quod faciebat, faceret, ut & studio eos maximè voluerit docere, qui nondum audierant de Christo; non enim dicit, ubi nondum crediderant, sed ubi nondum nominatus est Christus: id, quod plus est.*

Post hæc subditur:

> *Et quis, rogo, non videt Sanctum Chrysostomum, qui sæpe alias docet Paulum in Hispaniâ prædicavisse, prædicationem in eâ Sancti Jacobi hîc apertissimè inficiari.*

267 Sed longè aliter res se habet; si non neglectâ critice

tice Sanctum Joannem Chryſoſtomum inſpiciamus; nemo enim clariùs oſtendit, locum Sancti Pauli contra nos non pugnare, quàm Sanctus Joannes Chryſoſtomus ore verè aureo. Quod ſic demonſtro.

268 Primò, Sanctus Joannes Chryſoſtomus is fuit, cujus *inhærentem ſententiæ ſacrorum librorum explanationem omnes admirantur: dignumque exiſtiment, cui Paulus Apoſtolus, quem ille mirificè coluit ſcribenti, & prædicanti multa dictaſſe videatur*; ut legimus in Breviario Romano, cujus authoritatem eo pluris facio, quo video ab aliis minoris fieri. Non poterat igitur tantus Doctor non inhærere ſententiæ Doctoris Gentium, qui per eos, quibus fuerat ante annuntiatum de Chriſto, intellexit Judæos, & per illos, quibus Chriſtus non fuerat prædicatus, intellexit Gentiles, quibus Chriſtus non fuerat annuntiatus à Prophetis; inhærebat enim Sanctus Paulus vaticinio Iſaiæ de vocatione Gentium; ſicque dicendum eſt de loco Sancti Joannis Chryſoſtomi, quod ſupra diximus de loco Sancti Hieronymi.

269 Secundò, Sanctus Joannes Chryſoſtomus (ſeu Latina illius verſio, textum enim Græcum inacceſſum habui) ſequitur aliam verſionem diverſam à Vulgatâ, non enim legit verba Sancti Pauli prout ſunt in Vulgatâ Editione, nempè: *Sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus*; ſed legit: *Ita verò certans Euangelizare ubi non eſt nominatus Chriſtus.* Cui lectioni maximè conſonant translatio ex Syriaco, quæ habet: *Dum diligentem operam navo euangelizandi non ubi invocatum eſt nomen Mechiſcho*; & translatio Benedicti Ariæ Montani, quæ legit: *Sic autem contendentem euangelizare non ubi nominatus eſt Chriſtus*; & translatio Eraſmi Roterodamenſis (quæ permiſſa eſt ab Eccleſiâ) quæ legit: *Ita porro annitens prædicare Euangelium non ubi nominatus erat Chriſtus.* Ubi Divus Joannes Chryſoſtomus cernitur explicare illud: *Sic autem prædicavi per-*

*certans*

*certans euangelizare*; quo innuitur tantùm conatus Apostoli, non tamen perpetuus effectus: innuitur Apostolum diligentem navasse operam, sed non innuitur semper illi voto effectum respondisse: innuitur contendisse, & annisum fuisse, sed non declaratur semper id obtinuisse. Unde ex mente Divi Chrysostomi non semper (etiam in eâ peregrinatione) Apostolus prædicavit ubi non erat nominatus Christus, licèt semper id primò intenderit: ergo poterat prædicare in Hispaniâ, licèt ibi jam fuisset nominatus Christus, & prædicatus à Sancto Jacobo.

270 Tertiò, Sanctus Joannes Chrysostomus post illa verba Apostoli: *Ita vero certans euangelizare, ubi non nominatus est Christus*, statim subdit:

> *Vide rursus aliam hyperbolen, quod non solùm tot populis Euangelium prædicavit, ac persuasit, sed quod neque ad eos abiit, qui prius fuerant edocti.*

Quia agimus de loco Sacræ Scripturæ intelligendo, in quo Sanctus Joannes Chrysostomus observavit hyperbolen, quid sit hyperbolen non dicam ex Aristotele, neque ex Cicerone, neque ex Quintiliano, Rhetoricæ Magistris, sed ex Sancto Augustino, Sanctissimo Ecclesiæ Doctore. Quid sit hyperbole nos docet Sanctus Augustinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 21. qui post adductum illud Genes. 13. 16. *Et faciam semen tuum tamquam arenam terræ*; subjungit: *quòd eâ locutione dictum est, quam Græci vocant hyperbolen, quæ utique tropica est non propria. Quo tamen modo, ut cæteris tropis, uti solere Scripturam, nullus, qui eam didicit, ambigit. Iste autem tropus, id est, modus locutionis, fit, quando id, quod dicitur, longè est amplius, quàm quòd in dicto significatur.*

271 Cùm autem Sanctus Joannes Chrysostomus dicat, Sanctum Paulum hoc loco usum fuisse hyperbole, sequitur intellexisse id, quod dictum ibi est ab Apostolo,

eſſe longè ampliùs, quàm quod in dicto ſignificatur. Sequitur, Sanctum Chryſoſtomum intellexiſſe, quòd ſolùm hyperbolicè dixerit Sanctus Paulus, ſe nunquam abiiſſe ad eos, qui prius fuerant edocti; & ipſum, ſi propriè, & non tropicè loqueretur, non fuiſſe dicturum, quòd non abierit ad eos, qui prius fuerant edocti, & intellexiſſe, quòd Sanctus Paulus licèt ſemper viſus fuerit adire ad non prius edoctos, nonnunquam abierit ad eos, qui prius erant edocti: ergo non vetat Sanctus Joannes Chryſoſtomus dici, Sanctum Paulum abiiſſe ad Hiſpanos, licèt ipſi prius fuiſſent à Sancto Jacobo edocti.

272 Quartò, Sanctus Joannes Chryſoſtomus loco citato ait, quòd Sanctus Paulus *ſtudio eos maximè voluerit docere, qui nondum audierant de Chriſto*: ergo aſſerit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quòd Sanctus Paulus etiam voluerit docere eos, qui jam audierant de Chriſto, tam à Prophetis, quàm ab Apoſtolis prædicato. Nam dictio comparativa, qualis eſt hoc loco dictio *Maximè*, ſemper ſupponit ſaltem duo extrema, inter quæ fit comparatio. Unde ſenſus genuinus verborum Sancti Joannis Chryſoſtomi eſt, quòd Sanctus Paulus voluerit docere omnes, ſive audierint, ſive non audierint de Chriſto; ſed maximè eos, qui non dum audierant de Chriſto; aliàs enim otioſa eſſet illa dictio comparativa *Maximè*. Quòd autem vis illius dictionis ſit comparare inter plura extrema, conſtat ex humanis, & ex Sacris Literis; contentus ſum unico exemplo ex eodem Sancto Paulo in Epiſtolâ ad Galatas, cap 6. verſ. 10. ubi Apoſtolus ait:

> *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos Fidei.*

Qui autem operatur bonum ad omnes, maximè verò ad domeſticos Fidei, non abſtinet ab operando bonum ad non domeſticos Fidei; *at gratiæ philoſophia* (ait Sanctus Joannes

annes Chryſoſtomus explicans illud *Maximè* Epiſtolæ ad Galatas) *terram pariter, & mare, & ad beneficenciæ menſam invitat, quamquam erga domeſticos copioſiorem exhibet ſollicitudinem.* Ergo cum Divus Joannes Chryſoſtomus dixit, quòd Sanctus Paulus *ſtudio* eos maximè *voluerit docere, qui nondum audierant de Chriſto*, nihil aliud innuit quàm Apoſtolum, licèt omnes voluerit docere, tamen erga eos, qui non audierant de Chriſto copioſiorem exhibuiſſe ſollicitudinem; quod non eſt non curaſſe de his, quibus prædicatus erat Chriſtus, ſive à Prophetis, ſive ab Apoſtolis; ſed hos illis poſthabere.

273 Eàdem ratione, quâ Sanctus Joannes explicat hunc locum Sancti Pauli, illud exponunt duo Eminentiſſimi Doctores Ordinis Prædicatorum, nempe Hugo Cardinalis, & Cardinalis Caietanus, quorum primus in cap. 15. Epiſtol. ad Romanos ait:

> *Prædicavit ubi Chriſtus non erat prædicatus, maximè licèt etiam aliis.*

274 Alter verò etiam in cap. 15. ad Roman. ait:

> *Quod non ſic intellige, quod renuerit Paulus prædicare in locis, ubi jam Chriſtus erat annuntiatus: nam ut patet in Actis Apoſtolorum, prædicavit Antiochiæ, in quâ Chriſtus erat annuntiatus: ut patet Actor. 11. ſed quod præferebat Paulus loca, in quibus annuntiatus non erat Chriſtus aliis locis: quod etiam intellige poſtquam à Spiritu Sancto ſegregatus eſt cum Barnabâ ad prædicandum Gentibus.*

275 Neque nos premunt illa verba Sancti Joannis Chryſoſtomi: *uſque adeo ſcilicet abſtinuit, quominus alienis ſe diſcipulis ingereret, gloriæque gratiâ, quod faciebat, faceret.* Nam licèt nos admittamus, Sanctum Paulum non ſolùm voluiſſe prædicare, ſed de facto prædicaviſſe in Hiſpaniâ, non ideo dicimus, illum ſe alienis diſcipulis voluiſſe in-

gerere, multoque minus dicimus, illum vanæ gloriæ gratiâ hoc feciſſe. Non dicimus, illum ſe diſcipulis alienis, hoc eſt Sancti Jacobi, voluiſſe ingerere; quia *ingerere*, ut ait cum Spigelio Simon Schardius, plerumque vitium ſonat; & abſit, ut nos dicamus aliquod vitium cadere in Sanctum Paulum Doctorem Gentium; ſed dicimus, ipſum omni procul vitio prædicaſſe in Hiſpaniâ poſt Divum Jacobum, ſive prædicaverit iis, qui ab eo Chriſtianam Religionem didicerant, ſive iis, qui eam non audierant. Hinc etiam dicimus, ipſum prædicaviſſe in Hiſpaniâ, non vanæ gloriæ gratiâ, ſed ad implendum ea, quæ deerant prædicationi Sancti Jacobi.

276 Illâ unicâ dictione comparativâ *maximè* evertuntur ea argumenta, quæ contra pios cultores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi conſtruuntur; quibuſque contenditur, eos adverſarium habere Sanctum Joannem Chryſoſtomum; nam Sanctus Doctor non dixit, quòd *Apoſtolus non prædicavit Gentibus, quibus jam fuerat prædicatum*, ut ſcribitur; ſed quòd *eos maximè voluerit docere, qui nondum audierant de Chriſto.* Non illos deſerebat, ſed hos præferebat. Prius voluit prædicare his, qui non audierant, & poſtea his, qui audierant. Ideo prius prædicavit à Jeruſalem uſque ad Illyricum, ut poſtea Romanis, & Hiſpanis; illos prætulit, Romanos verò, & Hiſpanos ideo poſthabuit, quia jam de Chriſto audierant, Romani à Sancto Petro, & Hiſpani à Sancto Jacobo.

277 Neque opus erat, ut diſcipuli Apoſtolorum, quibus Sanctus Paulus nolebat ſe ingerere, eſſent in loco, in quo converſi fuerant; unde nihil dicunt contra Sanctum Joannem Chryſoſtomum, qui aſſerunt, diſcipulos Sancti Jacobi eo tempore non commorari in Hiſpaniâ. Sufficiebat enim, quòd eſſent Jeroſolymis, ad hoc ut Sanctus Paulus noluerit illis prædicare.

Neque

278 Neque est difficilimum, ut existimatur, imò est facilimum ostendere illud argumentum esse *pessimum*, ut dixit doctissimus Ferreras, & *telum imbelle sine ictu*, ut dixit Cardinalis Aguirre. Quia non tam facilè impugnantur illius solutiones, ut creditur; nam in primis ex enuntiatione hyperbolicâ non potest inferri significatio propria; enuntiatio illa D. Pauli fuit hyperbolica, ut ait Sanctus Joannes Chrysostomus. Deinde, ex eo quòd Christus fuerit annuntiatus Judæis, non sequitur fuisse annuntiatum Gentilibus; ulteriùs aliud est fuisse prædicatum à Pseudo-apostolis, aliud prædicatum fuisse ab Apostolis. Deinde prædicare alienis discipulis ex caritate, non est se ingerere alienis discipulis ex vanitate; postremò non prædicasse antea, non tollit prædicasse postea. Unde ex hâc Divi Pauli authoritate nihil conficitur contra expeditionem Hispanicam Divi Jacobi.

279 Et ratio est primò, quia si intelligatur Divum Paulum solùm voluisse prædicare, ubi Christus non fuerat prædicatus à Pseudo-apostolis, ut intelligit existimatus Ambrosius, & innuit Sanctus Thomas, & Hugo Cardinalis, solùm infertur, ex eo quòd voluerit prædicare in Hispaniâ, illic non prædicasse Pseudo-apostolos, qui illuc non pervenerant, ut innuit existimatus Ambrosius, & asserit Hugo Cardinalis; non verò infertur illic non prædicasse Sanctum Jacobum, quem nefas est dicere Pseudo-apostolum, cùm fuerit unus ex præcipuis Apostolis Christi, unus ex tribus fortibus Divini Davidis.

280 Secundò, quia si intelligatur, Sanctum Paulum non voluisse prædicare iis, quibus Christus prædicatus erat à Prophetis antiqui testamenti, ut habetur ex Sancto Hieronymo, ex eo quòd voluerit prædicare in Hispaniâ, solùm infertur in Hispaniâ eo tempore fuisse homines, quibus Christus non fuerat prædicatus à Prophetis antiqui

qui teſtamenti, non verò infertur illic non prædicaviſſe Sanctum Jacobum, qui non erat Propheta veteris teſtamenti, ſed novi teſtamenti Apoſtolus.

281 Tertiò, quia ſi cum Joanne Chryſoſtomo dicamus, Sanctum Paulum per hyperbolem dixiſſe, ſe non prædicaſſe (imò ſi velis, neque prædicaturum) iis, quibus Chriſtus fuerat prædicatus; non ſequitur, illum non prædicaſſe, neque prædicaturum aliquibus in locis, in quibus Chriſtus fuerat prædicatus, nam hyperbole ſemper auget id, quod dicit, ſupra id, quod eſt expreſſione Rhetoricâ, ſine præjudicio veritatis hiſtoricæ, neque ſenſûs proprii. Unde etiam ſi Sanctus Paulus voluerit prædicare in Hiſpaniâ, licèt in illâ fuerit prædicatum à Sancto Jacobo, benè poſſet Sanctus Paulus per hyperbolem dicere, ſe non prædicaſſe, neque prædicaturum in locis, in quibus Chriſtus fuerat prædicatus.

282 Quartò, quia ſi cum Sancto Joanne Chryſoſtomo intelligamus, Sanctum Paulum noluiſſe prædicare iis *maximè*, quibus Chriſtus non fuerat prædicatus, hoc eſt, antepoſuiſſe eos, quibus Chriſtus non fuerat prædicatus, & poſthabuiſſe eos, quibus Chriſtus jam fuerat prædicatus, ex eo quòd voluerit prædicare in Hiſpaniâ, non infertur in Hiſpaniâ non fuiſſe prædicatum, ſed ſolùm infertur poſthabuiſſe Hiſpaniam aliis provinciis, quas *maximè* volebat docere; ſicut illis poſthabuit ipſam Romam mundi caput, in qua jam Chriſtus fuerat prædicatus, & nihilominus Sanctus Paulus prædicavit Romæ, ut ait Sanctus Lucas Act. cap. 28. verſ. 30. loquens de Sancto Paulo Romam incolente:

> *Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum. Prædicans Regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto, cum omni fiduciâ, ſine prohibitione.*

Quintò,

283 Quintò, quia si dicamus cum eodem Sancto Joanne Chrysostomo, Divum Paulum noluisse prædicare, ubi Christus fuerat prædicatus, ne se ingereret discipulis alienis, & ne vanæ gloriæ gratiâ quidpiam faceret; ex eo quòd voluerit prædicare in Hispaniâ, non sequitur, illum se illic voluisse ingerere discipulis Sancti Jacobi; nam, ut diximus, se ingerere sonat vitium, & Divus Paulus sine ullo vitio poterat prædicare in Hispaniâ, sicut prædicavit Romæ, ubi erant discipuli Sancti Petri; neque per hoc dici potest, ipsum se voluisse vitiosè ingerere discipulis Sancti Petri. Prætereo eorum sententiam, qui dixerunt in Hispaniâ eo tempore non extitisse discipulos Sancti Jacobi, quia licèt concedam præcipuos illius discipulos eum comitatos fuisse in Jerosolymas revertentem, non subscribo iis, qui asserunt, Sanctum Jacobum paucos absolutè convertisse in Hispaniâ, nam convertit multos; licèt non tot, quot vellet zelus animarum illius Apostolico pectore supra modum exæstuans. Non tamen dicendus est Sanctus Paulus iis se voluisse vitiosè ingerere, sed illos in Fide confirmare, alioque convertere, nam sicuti neque Sanctus Petrus, neque Sanctus Paulus converterunt totam Romam, sic Sanctus Jacobus non convertit totam Hispaniam.

284 Ecce vides non esse nobis contrariam authoritatem Sancti Pauli; vides ex illius expositione, tamquam ex Davidicâ fundâ, emitti quinque limpidissimos lapides, hoc est quinque solidissimas, & clarissimas solutiones, quarum quælibet prosternit illud argumentum, quod Excellentissimus eruditorum Alexander suspicit ut Achillem, & judicat argumentorum gigantem.

285 Supereſt nunc gigantem illum, more Davidico, proprio ipsius gladio jugulare: hoc est ostendere ex eâdem authoritate Divi Pauli, quâ illud armatur argumentum,

tum, reddi credibiliorem expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Quam ex Sancto Paulo confirmari ſæpius oſtendimus hoc opuſculo, & nunc imitabimur ipſum Sanctum Paulum, de quo Sanctus Hieronymus in Epiſtolâ Magno Oratori Romano, ait:

> *Didicerat enim à vero David extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare.*

286 Sciendum igitur eſt, Sanctum Paulum à multis annis ante annum 57. voluiſſe venire Romam, ut ipſe ait Rom. cap. 15. verſ. 23.

> *Cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis.*

Sed prohibitum ſæpius fuiſſe explere deſiderium illud ſuum, ut ipſe ait Rom. 15. 22. *Impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc*, ſeu ut habet translatio ex Syriaco: *Propterea impeditus ſum pluries, ne venirem ad vos*; hoc eſt, ut ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus Homilia 29. in Epiſtolam ad Romanos. Hic verò, & cauſam ponit propter quam ſit prohibitus: idque non ſemel, ſed & ſecundo, & ſæpe numero.

287 Quænam autem eſſent impedimenta, quæ Sancto Paulo prohibebant adire Romam, explicat Sanctus Thomas in caput 15. Epiſtolæ ad Romanos, Lection. 3. dicens:

> *Dicit ergo primò dictum eſt* prædicavi Euangelium per multa loca, in quibus Chriſtus non fuerat *nominatus, propter quod hactenus* Impediebar plurimum *ex hujuſmodi occupatione*, venire ad vos. *Et iſtud impedimentum uſque nunc duravit. Unde ſubdit*, & prohibitus ſum uſque adhuc. *Quod quidem poteſt referri ad multitudinem occupationum, quas in aliis locis habuerat.*

Hæc

288 Hæc autem impedimenta cessaverant, ut ibidem adnotat Sanctus Thomas, dicens:

*Dicit ergo primo ita usque modo sum prohibitus.* Nunc verò *jam peragratis omnibus his locis* ulteriùs non habeo locum, *id est necessitatem permanendi* in his regionibus, *in quibus jam per me fundata est Fides.*

289 Illud etiam animadvertendum, jam eo tempore, hoc est anno quinquagesimo septimo, prædicatum fuisse Euangelium Romæ, Romanorumque, ad quos Sanctus Paulus scribebat Fidem esse notissimam, dicente eodem Sancto Paulo Rom. 1. 6.

*Estis & vos vocati Jesu Christi. Omnibus, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia Fides nostra annuntiatur in universo mundo.*

Et cap. 16. vers. 19. ad ipsos Romanos ait:

*Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est.*

Quæ explicat Sanctus Joannes Chrysostomus Homillia 32. in Epistolam ad Romanos dicens:

*Neque enim ego solus, inquit, testimonium de vobis fero, sed & universus Orbis.*

Postremò observandum est, Sanctum Paulum eo tempore, antequam venisset in Hispaniam, valdè dilexisse Hispanos, ut ex hoc loco eruit Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 30. in Epistolam ad Romanos, ad illud Apostoli: *Revertar per vos in Hispaniam*; subjungit enim Sanctus Pater:

*Hispaniæ rursus meminit, ut ostendat, quàm impiger, quamque fervidus sit erga illos.*

Et expressiùs Oecumenius in hunc locum dicens:

*Rursum Hispaniæ meminit vehementem ostendens amorem erga Hispanos.*

290 His præjactis fundamentis, pronum eſt oſtendere ex hoc loco Apoſtoli deduci poſſe, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ; nam in primis, eodem tempore, & eâdem de causâ impeditus erat Sanctus Paulus ne veniret Romam, atque ne veniret in Hiſpaniam, & ideo poſthabuit Romam Græciæ, quia in Græciâ non fuerat prædicatus Chriſtus, Romæ verò jam fuerat prædicatus; ſed etiam poſthabuit Græciæ Hiſpaniam: ergo etiam in Hiſpaniâ Chriſtus fuerat prædicatus.

291 Deinde Sanctus Paulus prohibitus fuit venire Romam, quandiù non prædicaverat in locis, in quibus Chriſtus non fuerat prædicatus; ſed venit Romam antequam veniret in Hiſpaniam, ut conſtat ex Sacrâ Paginâ: ergo in Hiſpaniâ jam Chriſtus fuerat prædicatus; nam niſi in Hiſpaniâ Chriſtus jam fuiſſet prædicatus, Sanctus Paulus prius veniſſet in Hiſpaniam, utpote Apoſtoli prædicatione magis indigentem, quàm Romam ejus prædicatione minus indigentem.

292 Præterea ideo Sanctus Paulus diligebat ſpecialiter Romanos, quia illorum fides annuntiabatur in univerſo mundo, ſed etiam diligebat ſpecialiter Hiſpanos: ergo illos ita diligebat, quia illorum fides annuntiabatur in univerſo mundo: ergo jam Hiſpania ſuſceperat Fidem prædicante Sancto Jacobo; non enim alius invenitur Apoſtolus, qui Hiſpanis ante Sanctum Paulum prædicaverit.

293 Illud etiam maximè favet noſtræ ſententiæ, quod Divus Paulus hoc loco dicit Romanis, quorum fides annuntiabatur in univerſo mundo: *Cum in Hiſpaniam proficiſci cæpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc*; nam ut ait clariſſimus Macedo cap. ultimo ſuæ Diatribæ, pag. 203. *Quod Paulus dicat deducendum ſe eſſe à Romanis in Hiſpaniam, ſignum eſt illos Romanos, vel in Hiſpaniâ fuiſſe,*

*fuisse, & ex eâ venisse, vel saltem iis Hispaniam notam esse, ac perspectum in eâ Christianos esse. Quorsum enim vellet ab iis deduci se Paulus, nisi deducentibus se fidelibus, alii in Hispaniâ fideles noti, & familiares essent?*

294 Neque minus è re nostrâ est dixisse hoc loco Sanctum Paulum: *A' vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Nam si Hispanis non fuisset jam prædicatus Christus, quomodo pateretur flagrantissimus Doctoris Gentium zelus contineri intra mœnia Romæ, ubi tot erant Sancti, quorum fides annuntiabatur in universo mundo, tot seduliſſimi Ministri Euangelii, quot ipse salutari jubet in ultimo capite illius Epistolæ, sinens interim jacere in tenebris infidelitatis vastissimas Hispaniæ provincias? Quomodo pateretur Sanctus Paulus se coli à Romanorum benignitate, dum Christus offendebatur, & diabolus colebatur ab Hispanorum superstitione? Si igitur Sanctus Paulus volebat Romæ aliquandiù ante commorari, quàm in Hispaniam proficiscceretur; jam in Hispaniâ prædicatus erat Christus, jamque Hispanis per Sanctum Jacobum affulserat lux Euangelii.

295 Et efficaciùs persuadet iste locus Sancti Pauli hâc eâdem ratione, jam tunc prædicatum fuisse Euangelium in Hispaniâ, ideoque non tam prompto indigere Apostoli auxilio, quia non solùm testatur Sanctus Paulus se aliquandiù velle commorari Romæ antequam veniret in Hispaniam; sed etiam regredi in Jerosolimam, non ut illuminaret infideles, neque ut converteret peccatores, quod est munus Apostolicum, sed ut ministraret Sanctis; ait enim Roman. cap. 15. vers. 25. *Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare Sanctis.* Cùm tamen duodecim Apostoli ideo elegerint septem Diaconos, ut ministrarent, dixerintque Actor. cap. 6. vers. 2. *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Ergo ideo Sanctus

Paulus tunc profectus eſt in Jeroſolymam, longum tempus inſumpturus eo in itinere tam ad progreſſum, quàm ad regreſſum antequam veniret Romam, atque in Hiſpaniam, quia tam in Hiſpaniâ, quàm Romæ prædicatum erat Euangelium Chriſti; in Hiſpaniâ à Sancto Jacobo, Romæ verò à Sancto Petro. Romanorum, & Hiſpanorum Fidei ſecurus inſtituit Sanctus Paulus tam longam, diuturnamque peregrinationem; non utique id facturus, ſi Roma, & Hiſpania etiam num Chriſtum ignorarent.

296 Ex hîc obſervatis conſtat Epiſtolâ ad Romanos oppugnari non poſſe aſſertores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, imò ex ipsâ erui non levia argumenta pro verâ ſententiâ adſtruente Sanctum Jacobum prædicaviſſe Euangelium in Hiſpaniâ, quam poſtea in Fide confirmandam ſuſcepit Sanctus Paulus, idque reſervavit ad tempus, quo liber erat curâ prædicandi Euangelii in locis, ubi non fuerat prædicatum. Et ne quis Sancto Paulo objiceret, ipſum dereliquiſſe Hiſpaniam in finibus terræ conſtitutam, ut regrederetur Jeroſolymam, quam ſæpius inviſerat; in hâc ipsâ Epiſtolâ hoc occupaverat Sanctus Paulus; dixerat enim cap. 10. verſ. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

297 Quibus verbis Sanctus Paulus narrat hiſtoricè jam completa eſſe eo anno quinquageſimo ſeptimo illa, quæ David ante octingentos annos dixerat propheticè Pſalm. 18. verſ. 5. In quem Pſalmiſtæ locum Lorinus ait:

> *Nec verò deſunt, qui Jacobum fratrem Joannis re ipſâ, quòd hoc loco prædicitur impleviſſe aſſerant, cùm in Hiſpaniæ pervenit provinciam Galliciam, ubi loco nomen inditum eſt* FINES TERRÆ.

298 Ergo certum eſt immeritò dici expeditionem Hiſpa-

Hiſpanicam Sancti Jacobi pugnare cum Epiſtolâ Divi Pauli ad Romanos, cùm potiùs ea expeditio ab illâ Epiſtolâ confirmetur. Unde nullo jure dici poteſt huic Epiſtolæ opponi antiquiſſimam Hiſpanorum, nunc verò totius Orbis traditionem de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam.

299 Quòd Sanctus Paulus ex Corintho ad Romanos ſcripſerat, nempe, jam Apoſtolos prædicaviſſe per omnem terram anno 57. quo illam Epiſtolam ſcripſit, confirmavit idem Apoſtolus luculentiùs ex Româ ad Colloſſenſes, ſcribens ex vinculis prioribus Romanis anno 62. certè antequam in Hiſpaniâ prædicaret, ait enim cap. 1. ad Colloſſenſes verſu 4.

> *Audientes Fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes. Propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in Cœlis: quam audiſtis in verbo veritatis Euangelii. Quod pervenit ad vos; ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex eâ die, quâ audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.*

Apertè hîc dicit Sanctus Paulus jam eo anno perveniſſe Euangelium ad univerſum mundum, in eoque fructificare, & creſcere, quò utique pervenerat per prædicationem, ut habetur in Translatione ex Syriaco, ubi ille poſtremus verſus ſic redditur:

> *Quod prædicatum eſt vobis, ſicut & univerſo mundo, creſcitque, & edit fructus quemadmodum & in vobis ex eo die, quo audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.*

300 Quæ verba explicans Sanctus Joannes Chryſoſtomus Homilia 1. in Epiſtolam ad Coloſſenſes, ait:

> *Non advenit, inquit, ad vos: & rurſus abſceſſit, ſed manſit, & adhuc illic apud vos eſt: Deinde quoniam plerique ex eo confirmantur, quòd multos habent dogmatum conſor-*

*conſortes : propterea ſubjunxit quemadmodum & in toto mundo. Adeſt ubique, ſuperat, & obtinet ubique, præſtat ubique.*

301 Scio Sanctum Thomam in hunc locum Lectione 2. ſic exponere:

*Potest tamen dici, quòd ſecundum famam eſt divulgatum per totum mundum, ſed non ſecundum fundationem.*

Sed cum Sanctus Paulus dicat Euangelium in univerſo mundo eſſe, & fructificaſſe, & creviſſe ſicut in Coloſſenſibus, & in his jam tunc Euangelium erat non ſolùm ſecundum famam, ſed etiam ſecundum fundationem, dicendum eſt jam tunc Euangelium fundatum eſſe in univerſo mundo, eo modo, quo explicat A Lapide hîc:

*Id eſt in præcipuis totius mundi partibus, & provinciis eſt hoc verbum, ſive prædicatio Euangelii.*

302 Cum ergo Hiſpania proculdubio ſit una ex præcipuis totius mundi provinciis, intelligendum eſt, Divum Paulum aſſeruiſſe jam tunc, antequam ille accederet ad Hiſpaniam, jam in hâc provinciâ prædicatum fuiſſe Euangelium; in illâque fructificare, & creſcere, ſicut in Coloſſenſibus: in his per prædicationem Sancti Epaphræ; in Hiſpanis autem per prædicationem Sancti Jacobi.

303 Dixi ſupra numero 299. luculentiùs probari Euangelium prædicatum eſſe in Hiſpaniâ ex Epiſtolâ ad Coloſſenſes, quàm ex Epiſtolâ ad Romanos, quia ad Romanos loquutus eſt Sanctus Paulus verbis Davidis Prophetæ, hic autem verbis ſuis; verba autem David aliquando continuerunt ſolùm Prophetiam de futuro, verba autem ad Coloſſenſes erant hiſtorica de præſenti, & præterito.

304 Quis autem ſanæ mentis affirmaverit, Doctiſſimos, & Sanctiſſimos Epiſcopos, qui per tot ſæcula præfuerunt Eccleſiis non ſolùm Luſitaniæ, ſed totius Hiſpaniæ

paniæ passuros conservari, & progredi Traditionem illam, si esset contraria Epistolæ ad Romanos, quæ in manibus omnium versatur. Quomodo Scriptores versatissimi in Sacris Scripturis docuissent Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, si hoc falsum esse probari posset ex Epistolâ Sancti Pauli ad Romanos? Potuerint errare Doctores, potuerint errare Episcopi, potuerint errare aliquot Sancti Patres in re historicâ, & in materiâ facti; tamen dicendum non est, illos omnes, qui asserunt illam expeditionem, tam apertè errasse, ut eorum error posset redargui Sacrâ Scripturâ, præsertim Novi Testamenti, quod cùm careat umbris, quæ erant in Veteri Testamento, est illo clarius. Neque dici potest, omnes illos ignorasse hunc locum Epistolæ Sancti Pauli ad Romanos; imò potiùs dici potest, omnes eos ideo maiore certitudine asseruisse, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, quia Sanctus Paulus dixerat ante suum adventum in urbem Romam, jam in fines Orbis terræ exiisse verba Prædicatorum Christi: & ante suum adventum in Hispaniam Euangelium prædicatum esse, fructificare, & crescere in universo mundo.

305 Hæc accuratiùs exposui, ne viderer recessisse à sententiâ amicissimi Capitis, & Viri eruditissimi, non solùm inter Lusitaniæ Magnates, sed inter ipsos Reipublicæ literariæ Proceres, qui existimat hoc argumentum maioris ponderis esse inter ea, quibus expeditio Hispanica Sancti Jacobi impetitur. Et illius sententiæ libenter subscribo; cætera enim, cùm sint leviſſima, facilè excedentur à pondere argumenti, quod alicujus momenti esse videatur.

ASSER-

# ASSERTIO XIII.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non impeditur expeditione Hiſpanicâ Sancti Pauli.*

306 CUm Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis aſſerat expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli, nixus authoritate ejuſdem Apoſtoli ad Romanos ſcribentis, eamque expeditionem promittentis, conſentaneum eſt, ut poſtquam oſtendimus verba Divi Pauli nihil officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, demonſtremus, etiam nihil huic officere illius promiſſionis impletionem: expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi aſſerit Abulenſis pluribus in locis, ut videbimus infra Parte 3. Aſſertione 51. Expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli aſſerit in caput 33. Geneſis, pag. 336. col. 1. B. mihi, ubi ait:

> *Beatus Paulus promiſit ſe venturum in Hiſpaniam: ergo credendum eſt quòd venerit, niſi oppoſitum aliquo modo oſtendatur, quod in nullo loco authentico poteſt reperiri, quin reperiatur alius magis authenticus, qui affirmativè teneat.*

Et tom. 1. in Sanctum Matthæum in Commentariis in Prologos Sancti Hieronymi quæſt. 7. ait:

> *Jacobo Maiori data eſt Hiſpania, Paulus tamen dixit, ſe illuc iturum ad prædicandum.*

307 Et licèt ad probandum has duas expeditiones non ſe viciſſim excludere, ſatis eſſet dicere unum, & eundem Abulenſem, *qui ſcibile diſcutit omne*, fuiſſe utriuſque Aſſertorem, ut plures alii clariſſimi Authores; tamen lubet

lubet hâc in re diutiùs immorari; quia nihilominus existimant nonnulli actum esse de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, si admittatur, Sanctum Paulum venisse in hanc provinciam, quasi eadem non potuisset capere utrumque Apostolum, cùm una urbs Jerusalem cæperit omnes duodecim Apostolos, & insuper Divos Paulum, & Barnabam, unde credunt negari debere expeditionem Sancti Pauli ab assertoribus expeditionis Sancti Jacobi; atque eos, qui asserunt, Sanctum Paulum prædicasse in Hispaniâ, necessariò negaturos esse, Sanctum Jacobum priùs in Hispanim venisse, quàm huc accesserit Sanctus Paulus; sed hujusmodi existimatio egregiè hos Authores fefellit, ut constabit ex nostræ Assertionis probationibus.

308 Superiori Assertione evertimus argumentum deductum ex verbis Sancti Pauli 15. ad Romanos, quibus promisit se in Hispaniam profecturum. Nunc dissolvemus illud, quod confici tentatur ex ipsius profectione ab Authoribus affirmatâ.

309 Variæ explicationes illius loci Sancti Pauli divisere Authores in diversas sententias, aliis in dubium vocantibus, aliis negantibus, aliis verò affirmantibus expeditionem Hispanicam Sancti Pauli.

310 Dubitavit omnium, quos legi antiquior (utpote, qui vixit in fine sæculi quarti, & initio quinti) Pelagius impius Hæresiarcha Britannus in Commentario in Epistolam ad Romanos ad caput 15. quod opus extat in Appendice operum Sancti Augustini tom. 12. editionis Patrum Congregationis Sancti Mauri. Dubitavit Cœlius Sedulius, qui, testibus Trithemio, Bellarmino, & Possevino, vixit initio quinti sæculi, in Collectaneis in Epistolam ad Romanos cap. 15. quæ reperiuntur tomo sexto Anissonianæ Bibliothecæ veterum Patrum. Dubitavit Lorinus Societatis Jesu in cap. 17. Actuum Apostolorum.

Dubitavit Adamus Coatzen ejuſdem Societatis (quem Robertus Cardinalis Bellarminus ex eâdem Societate Deo, & Eccleſiæ gratulari ſolebat idoneum, qui contra Hæreticos poſſet præliari prælia Domini) in Epiſtolam ad Romanos capite 15. Dubitavit denique Joannes Cabaſſutius in Notitiâ Eccleſiaſticâ ſæculi I. pag. 4. §. 12.

311 Negat expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli Primaſius, qui ſe jactat diſcipulum Sancti Auguſtini, in Commentariis in Epiſtol. ad Romanos, qui extant in tomo X. PP. Aniſſonianæ, ubi pag. 178. B. ad illa verba:

*Cùm in Hiſpaniam proficiſci cæpero*, addit: *Promiſerat quidem, ſed diſpenſante Deo, non ambulavit.*

312 Negat Gelaſius I. Pontifex Maximus, qui fuit diſcipulus Sancti Auguſtini relatus à Gratiano, cauſa 22. (non duodecima, ut legitur apud Natalem Alexandrum) capite *Beatus*. Negat Vir doctiſſimus Ordinis Prædicatorum Dominicus Soto, in Commentario in Epiſtol. ad Romanos cap. 15. Negat Guillielmus Eſtius in eundem locum. Negat denique Georgius Ambianas Ordinis Capuccinorum in Trinâ Pauli Theologiâ tom. 1. ad eundem locum Apoſtoli, diſquiſitione 1.

313 Affirmant expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli ferè omnes interpretes Epiſtolæ ad Romanos, & plurimi Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, ſed præcipuè recenſeri debent quatuor, qui ſunt veluti totidem flumina, de quorum fontibus biberunt omnes Neoterici.

314 Primus eſt Pater Alphonſus Salmeron (unus è decem viris, qui Societatem Jeſu condidere, inter quos fuit princeps Sanctus Ignatius de Loyola) tomo 13. ad caput 15. Epiſtolæ ad Romanos, & latiùs tomo 12. tractatu 59. pag. 377.

315 Secundus eſt Pater Benedictus Pererius ejuſdem Societatis in Epiſtolam ad Romanos, Diſput. . .

Tertius

316 Tertius est Pater Gaspar Sanctius ejusdem Societatis, in Opusculis ad calcem Commentarii in Acta Apostolorum, tractatu 4. cap. 1.

317 Quartus est Alphonsus de Requena Aragon in integro volumine hâc de re edito Matriti anno 1647. in quarto, pag. 233.

318 Hi omnes propugnant, Sanctum Paulum venisse in Hispaniam, omnesque pro illâ expeditione in aciem producunt idem agmen Sanctorum Patrum, veterumque Scriptorum.

319 Sed tantum abest, ut hi quatuor validissimi illius sententiæ pugiles intellexerint eos Patres, priscósve Authores affirmasse Hispanicam Sancti Pauli expeditionem, excludendo expeditionem Sancti Jacobi, ut omnes quatuor pro illâ steterint.

320 Salmeron enim eisdem in locis, quibus affirmat expeditionem Hispanicam Sancti Pauli, adstruit Hispanicam expeditionem Sancti Jacobi: nam tom. 13. Disputatione 11. in caput 15. Epistolæ ad Romanos, pag. 712. column. 1. ait:

> *Statim à morte Jacobi per Herodem decollati, cui in sortitione provinciarum Hispania obtigerat, volebat Paulus locum Jacobi explère in Hispaniâ, ad quam morte præventus (Jacobus) non potuit redire: & in quâ, cùm priùs eo venisset, non potuit longo tempore morari, ut posset totam provinciam Euangelio disseminato illustrare.*

Et tomo 12. tract. 59. pag. 377. col. 2. de Divo Paulo ait:

> *Dominus eum confirmasset, ut per ipsum prædicatio Euangelii extenderetur ad Gentes, & necessitas tam magnæ provinciæ, & Apostolo suo Jacobo destinatæ id exigeret.*

Alia Salmeronis loca pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi producam inferius. Quo jure igitur Salmeron

recenſendus eſt inter dubitantes de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam?

321 Pater Benedictus Pererius Diſp. 2. in Epiſtolâ ad Romanos capit. 15.

*Ego optimis rationibus perſuaſus, de Jacobi adventu in Hiſpaniam nihil dubito.*

Unde conſtat Pererium numerari non poſſe inter dubitantes de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.

322 Gaſpar Sanctius licèt adduxerit omnes Authores citatos à Salmerone, & Pererio, eruditâque diſſertatione probaverit, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, nihilominus totis viribus contendit, Sanctum Jacobum prius prædicaſſe in Hiſpaniâ, quàm Sanctus Paulus prædicaverit; idque probat uberrimâ diſſertatione. Unde abundè conſtat, non poſſe recenſeri inter dubitantes de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.

323 Denique Alphonſus de Requena & Aragon licèt integrum volumen ediderit de Prædicatione Sancti Pauli in Hiſpaniâ inſcriptum: *Venida del Apoſtol S. Pablo a Eſpaña, y Predicacion en ella*: tamen cap. 7. ejuſdem libri pag. 47. loquens de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ait: *Jure merito affirmari futurum eſſe pluſquam temerarium, eam negari.*

324 Tantorum hominum authoritas ſatis, ſuperque eſſet ad probandum expeditionem Sancti Pauli non officere expeditioni Sancti Jacobi, neque illam oppugnari, multòque minus expugnari illis locis Apoſtoli ad Romanos, de quibus infra uberior redibit ſermo: nunc tamen juvat oſtendere in locis Authorum, quæ nunc proferuntur pro aſſerendâ expeditione Hiſpanicâ Sancti Pauli, nullum verbum dici, ex quo colligi poſſit, eos voluiſſe excludere ab Hiſpaniâ Sanctum Jacobum.

325 Primò profertur Sanctus Dorotheus, qui in Synopſi

Synopsi de vitâ, & morte Prophetarum §. De duodecim Apostolis, titulo *Paulus*, ait:

> *Apostolorum Catalogo accersitus à Hierusalem Euangelii prædicationem exorsus ad Illyricum, usque ad Italiam, & Hispanias prædicando progressus est.*

326 Quodnam hîc verbum profert Dorotheus, ex quo inferri possit, ipsum voluisse excludere prædicationem Sancti Jacobi in Hispaniâ? Anne quia dicit, Sanctum Paulum prædicando in Hispanias, progressum fuisse. Quid ne? ergo Sanctus Jacobus non prædicavit in Hispaniâ; pessima consequentia.

327 Prætereo eam Synopsim non esse Sancti Dorothei, sed Opusculum suppositititium, nulliusque authoritatis apud eruditos, ut animadvertitur tomo 1. & 6. Bibliothecæ Patrum, cùm de Sancto Dorotheo fit mentio.

328 Profertur secundo loco Sanctus Hippolytus, qui libello de duodecim Apostolis §. *Paulus*, ait:

> *Incipiensque ab Jerusalem, pervenit usque ad Illyricum, & Italiam, ac Hispaniam prædicans Euangelium per annos quinque ac triginta.*

Quomodo ex his verbis infertur Sanctum Jacobum non prædicasse in Hispaniâ?

329 Prætereo hunc Sancti Hippolyti librum non extare, ut colligitur ex Cardinali Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 220. Hujus libri certè non meminerunt Sixtus Senensis in Bibliothecâ Sanctâ, neque Bellarminus, neque Possevinus, & hunc libellum esse suppositititium, falsòque adscriptum Hippolyto docet Dupin in Bibliothecâ Authorum Ecclesiasticorum tom. 1. pag. 113. mihi, licèt asserat editum à Patre Combefis ex Manuscripto Bibliothecæ Regis Galliæ. Imò ipse Combefis, qui in Historiâ Hæresis Monothelitarum hoc Opusculum

culum edidit Græcè, & Latinè, ait in notis ad illud, columna 833. ſe non habere, quo probet, Opuſculum hoc eſſe Sancti Hippolyti, præter fidem Regii Manuſcripti Codicis num. 1820. ex quo illud excripſit.

330 Profertur tertio loco Sanctus Athanaſius in Epiſtolâ ad Dracontium, ubi de Sancto Paulo loquens, ait:

> *Studium fuit Sancto Viro uſque ad Illyricum Euangelium prædicare; neque ſegneſcere, neque omittere quin Romam iret, & in Hiſpaniam aſcenderet, ut pro graviore labore, maiore frueretur mercede laboris.*

Quis ex his verbis Sancti Athanaſii inferet, ipſum negaſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi?

331 Profertur quartò Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 17. ubi de Sancto Paulo ait:

> *A' Hieroſolymis uſque ad Illyricum diſſeminavit Euangelium, qui regiam quoque Romam inſtituebat, & in Hiſpaniam, uſque promptitudinem prædicationis extendit.*

Quomodo ex his verbis infertur, Sanctum Jacobum non prædicaſſe in Hiſpaniâ?

332 Profertur quintò Sanctus Epiphanius Hæreſi 27. dicens:

> *Paulus in Hiſpaniam profectus eſt. Petrus verò ſæpe Pontum, & Bithyniam viſitavit.*

Quid hîc habet Sanctus Epiphanius contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi? Nihil profectò. Imò pro ipsâ habet nonnihil. Quod ita oſtendo: Si Ponti, & Bithyniæ provinciæ ſæpe viſitatæ ſunt à Sancto Petro, teſte Sancto Epiphanio, quidni provinciæ Hiſpaniæ bis viſitatæ fuerint primò à Sancto Jacobo, deinde à Sancto Paulo?

333 Profertur ſextò Sanctus Joannes Chryſoſtomus pluribus in locis, ſed malè citatis, nam proferuntur tamquam ex præfatione (quæ nulla extat apud Sanctum Chryſoſtomum) in Epiſtolam ad Hebræos, quæ ipſe dixit Homiliâ

Homiliâ 7. de laudibus Sancti Pauli: & ex hoc, quæ ille dicit Homiliâ 76. in Sanctum Matthæum; nam Homiliâ 7. de laudibus Sancti Pauli ait:

> *Postquam Romam ingressus est, ibi quoque quantâ cum modestiâ annuntiat veritatem? Quanta etiam cum libertate obstruit ora impiorum? Verum nec ibi stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit.*

Homiliâ verò 76. in Matthæum loquens de odem Sancto Paulo, ait:

> *Videas eum ab Hierosolymis usque Hispanias currentem: nam cùm Romæ biennium exegisset in vinculis, tandem dimissus est: deinde in Hispaniam profectus: invisit illic Judæos quoque.*

Quomodo ex his D. Joannis Chrysostomi verbis infertur, ipsum negasse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi?

334 Profertur septimò Theodoretus in cap. 1. Epist. ad Philippenses, ubi ait:

> *Actuum nos docet Historia, quod biennio Apostolus mansit in suo conducto, cùm autem liberatus, illinc profectus esset in Hispaniam, & illic etiam divinum Euangelium tradidisset, reversus est Romam, & tunc fuit truncatus capite.*

Quisnam ex his Theodoreti verbis inferre poterit, ab ipso negari expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi?

335 Profertur octavò Sanctus Sophronius de Natali Apostolorum; cujus tamen verba non excribuntur, neque à Pererio in cap. 15. Epistolæ ad Romanos, disput. 1. neque à Salmerone tomo 12. tract. 59. pag. 379. qui citat Sophronium, ut producitur à Jacobo Fabro Stapulensi; unde dici non potest, Sophronium excludere Sanctum Jacobum ab Hispaniâ.

336 Profertur nonò Sanctus Hieronymus, sed de illo latiùs Assertione 48. & 49.

Profer-

337 Profertur decimò S. Gregorius Magnus lib. 31. Moralium cap. 37. (non 22. ut malè allegatur) dicens:

*Ecce ipſe, quem ad teſtimonium jam ſæpe deduximus, Paulus, cùm nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam, nunc Hiſpaniam peteret, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nuntiaret, quid ſe aliud, quàm eſſe aquilam demonſtrabat, quæ velociter omnia tranſvolans, ubicumque jacens cadaver quærebat.*

Quâ dialecticâ inferri poteſt ex his verbis, expeditionem Sancti Jacobi à Sancto Gregorio Magno negari, certè eâdem dialecticâ inferetur, ipſum Sanctum Gregorium negare hîc prædicationem Sancti Petri Romæ, & aliorum Apoſtolorum in Judæâ, in quibus dicit prædicaſſe Sanctum Paulum, quo nihil abſurdius.

338 Profertur undecimò Venerabilis Beda in Martyrologio 11. Kalendas April. ubi ait:

*In Galliis Civitate Narbona Sancti Pauli Epiſcopi, & Confeſſoris diſcipuli Apoſtolorum Chriſti, quem tradunt eundem ipſum fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, virum prudentem, à quo ipſe Paulus ſortitus eſt nomen, quia ipſe eum Fidei Chriſti ſubegerat: quique ab eodem Sancto Apoſtolo, cùm ad Hiſpanias, prædicandi gratiâ, pergeret, apud præfatam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis coronatus ſepelitur.*

Quo jure dici poteſt ex his Venerabilis Bedæ verbis inferri ab ipſo negatam fuiſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi?

339 Profertur duodecimò Sanctus Ado Viennenſis in Chronico, anno 59. ubi loquens de primâ perſecutione Neronis hoc anno inceptâ, ait:

*Quo tempore creditur Paulus ad Hiſpanias perveniſſe.*

Quâ-

Quânam conſequutione infertur ex his verbis, Sanctum Adonem Viennenſem negaſſe prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpaniâ? Nunquid ex eo quòd credatur Sanctum Paulum eo tempore ad Hiſpanos perveniſſe, negatur Sanctum Jacobum Hiſpanias ullo tempore peragraſſe?

340 Profertur tertiodecimò Sanctus Thomas Doctor Angelicus, qui licèt in caput 15. Epiſtolæ ad Romanos dubitare videatur de acceſſu Sancti Pauli ad Hiſpaniam, poſtea tamen in Epiſtolam ad Galatas cap. 2. (quod per errorem typographicum dicitur undecimum) lect. 1. de Sancto Paulo ſic ait:

*In modico tempore à Hieruſalem uſque in Illyricum, & uſque in Hiſpaniam prædicavit Euangelium.*

Certè Doctor Angelicus optimus artis argumentandi Magiſter, non pateretur ex ſuis verbis modo ſcriptis inferri, à ſe negari expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

341 Quidni ſi dixerimus ex hoc loco Sancti Thomæ non ſolùm non inferri negari à Sancto Doctore prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, ſed neque ex illo inferri poſſe, ipſum affirmare prædicationem Sancti Pauli in Hiſpaniâ, de quâ dubitaverat (ne ampliùs quid dicam) in Commentario in Epiſtolam ad Romanos? Nam, *prædicare uſque in Hiſpaniam*, non eſt prædicare in Hiſpaniâ. Sicuti ambulare uſque ad mare, non eſt ambulare in mari, neque navigare uſque ad Ulyſſiponem, eſt navigare Ulyſſipone.

342 Prætereo illa Commentaria in Epiſtolam ad Galatas non fuiſſe ſcripta ab Angelico Doctore, ſed ab ejus diſcipulis, unde vocantur *Reportata*, ut videre eſt apud doctiſſimos Jacobum Quetif, & Jacobum Echard in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tom. 1. pag. 330. Unde non conſtat fuiſſe eiſdem verbis dictata à Sancto Thomâ, quibus nunc leguntur, quibus ſcilicet ab ejus diſcipulis ſcripta ſunt.

343 Profertur denique quartodecimò Martyrologium Romanum 22. Martii, ubi ſic ait:

> *Narbone in Galliâ natalis Sancti Pauli, qui à Beato Paulo Apoſtolo baptizatus, & cùm in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt.*

Unde, quæſo, infertur ex his verbis, Sanctum Jacobum non veniſſe in Hiſpaniam? Eſt, ne hîc aliquod verbum excludens Sanctum Jacobum, vel dicens, ſolum Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ?

344 Superſedeo hîc examinare, cur hæc clauſula Martyrologii deſcripta fuerit non integra, ſed mutila, id poſtea facturus; interim adnotaſſe ſufficiat in Martyrologio Romano elogium hujus Sancti Pauli ita ſe habere: *Narbone in Galliâ natalis Sancti Pauli Epiſcopi Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui à Beato Apoſtolo Paulo baptizatus, & cùm in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt, ubi prædicationis officio non ſegniter expleto, clarus miraculis, migravit in Cœlum.*

345 Præter iſta loca Sanctorum Patrum à Neoterico Adverſario adducta, & quæ ante ipſum adduxerunt Benedictus Pererius, in Epiſtol. ad Romanos cap. 15. Diſp. 1. Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, die 22. Martii, & tom. 1. Annalium ad annum Chriſti 61. Gaſpar Sanctius tract. 4. de Prædicatione Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli in Hiſpaniâ cap. 1. Salmeron in Acta Apoſtolorum tract. 59. & poſt iſtos Natalis Alexander Diſſertat. 15. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi primi, Propoſitione 1. afferri poterat inſignis locus Sancti Clementis Romani in Epiſtolâ 1. ad Corinthios, editâ à Joanne Baptiſtâ Cotelerio, inter Patres Apoſtolicos, in quâ Sanctus ille primi ſæculi

Digitized by Google

culi Pontifex, Sancti Pauli discipulus numero 5. ait:

> *Propter æmulationem Paulus patientiæ præmium obtinuit, cùm catenas septies portasset, vapulasset, lapidatus esset, præco factus in Oriente, ac Occidente, eximium Fidei decus accipit; totum mundum docens justitiam, & ad Occidentis terminum veniens &c.*

Qui locus ideo prætermissus videtur, quia illum non adducunt antiqui Authores supracitati, cùm illorum ætate non extaret edita hæc Epistola prima ad Corinthios, quam superioris sæculi anno tertio supratrigesimum protulit in lucem Patritius Junius Oxonii, prodiitque postea in editione Conciliorum studio Philippi Labbæi adornata Parisiis anno 1672. Et mirum sane esset, non fuisse adductum eum locum à Natali Alexandro, quem non latuit illa Epistolâ, ut constat ex illius Historiâ sæculo 1. cap. 12. articulo 12. nisi sciremus, Natalem Alexandrum corrasisse ex Baronio, aliisque citatis Authoribus, ea, quæ de expeditione Hispanicâ Sancti Pauli scripsit, licèt eorum nomina reticeat.

346 Fortassè etiam prætermissus est iste locus, quia licèt loquatur de Occidentis termino, non nominat expressè Hispaniam; & Gallia etiam dici possit *Occidentis terminus*, juxta illud Latini Pacati in Panegyrico ad Theodosium, ubi ait:

> *Cùm admiratione virtutum tuarum ab ultimo Galliarum recessu, quâ littus Oceani cadentem excipit solem, & deficientibus terris sociale miscetur elementum.*

Unde eo loco Sancti Clementis videtur non probari expressiùs adventum Sancti Pauli in Hispaniam; quàm accessum illius ad Gallias.

347 Optarem equidem hunc locum non posse intelligi, nisi de ultimo termino Occidentis Hispani, sic etenim probaretur, Sanctum Paulum prædicavisse in urbe

Regni noſtri capite, Ulyſſipone, ubi hauſi primam lucis uſuram, & cujus Eccleſiaſticam Hiſtoriam Latinè conſcribendam mihi impoſuit Regalis Academia; nam Ulyſſipo adeo eſt Occidentalis, ut de illius promontorio dixerit Plinius lib.4.cap.21.

> *Excurrit inde in altum vaſto cornu promontorium, quod alii Artabrum appellavere, alii Magnum, multi Olyſſiponenſe ab Oppido, terras, maria, cœlum diſterminans. Illo finitur Hiſpaniæ latus.*

348 Non crediderim, eum locum prætermiſſum eſſe ex eo capite, quòd ea Epiſtola cenſuram Photii non evaſerit, objectis enim à Photio facit ſatis Natalis Alexander loco citato. Mihi ſanè ea Epiſtola indubitatus, & incorruptus fætus eſt Sancti Clementis, in eâ enim reperiuntur ea ipſa teſtimonia, quæ ex ipsâ ab antiquis Patribus producuntur.

349 Et licèt dicere poſſem eâ Epiſtolâ ſolùm aſſeri, Sanctum Paulum acceſſiſſe ad locum, ex quo ſcripta illa fuit, nempe Romam, ubi erat Sanctus Clemens, cùm eam ſcripſit, & ubi Sanctus Paulus martyrium paſſus fuerat, dicens enim *ad Occidentis terminum veniens, & ſub principibus martyrium paſſus*, conjungit adventum Sancti Pauli in terminum Occidentis, cum illius martyrio, quod non in Hiſpaniâ, ſed Romæ paſſus eſt Apoſtolus; idem innuit illud *veniens*, eum enim dicimus *veniſſe*, qui acceſſit ad locum, in quo ſumus; & cùm volumus quempiam accedere ad locum, in quo ſumus, dicimus *veni*, & ſi plures ſunt, dicimus *venite*; tamen cùm non cogar illud *veniens* tam preſsè intelligere, nolo ſpoliare Hiſpaniam gloriâ, quam obtinet ab expeditione Hiſpanicâ Sancti Pauli, aſſertâ à tanto Patre primi ſæculi, à diſcipulo ſuo Sancto Clemente, Pontifice Maximo.

350 Forſitan locus iſte ſilentio involutus fuit, quia dum

dum adstruit adventum Sancti Pauli in Hispaniam, jugulat argumentum à nobis Assertione præcedente profligatum, quod conficiebatur contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, dicendo Sanctum Paulum non prædicavisse in iis locis, in quibus alii Apostoli prædicaverant. Jugulatur, inquam, illud argumentum, quia teste Sancto Clemente hâc in Epistolâ, hocque loco, Sanctus Paulus: *Præco factus in Oriente, ac Occidente, eximium Fidei suæ decus accipit, totum mundum docens justitiam*: ergo eodem modo prædicavit Sanctus Paulus in Occidente, atque in Oriente: sed prædicatio Sancti Pauli in Oriente non tollit, quòd ante ipsum alii Apostoli prædicaverint in Oriente: ergo neque prædicatio Sancti Pauli in Occidente tollet, quòd Sanctus Jacobus ante ipsum prædicaverit in Occidente. Et sicuti alii Apostoli in Oriente prædicaverunt in locis, ubi prædicaturus erat Sanctus Paulus, ita Sanctus Jacobus potuit in Occidente prædicare in locis, ubi prædicaturus erat Sanctus Paulus.

351 Prætereà, cùm Sanctus Clemens dicat de Sancto Paulo: *Totum mundum docens justitiam*; si Sanctus Paulus solùm docuit justitiam in locis, in quibus alii Apostoli, & alii prædicatores non prædicaverant, benè sequitur, nullum Apostolum, nullum prædicatorem in ullo loco totius mundi prædicavisse ante Sanctum Paulum, quod apertè est contra Sacram Scripturam asserentem, alios Apostolos, alioque prædicatores prædicavisse ante Sanctum Paulum, ut videre est in Actibus Apostolorum per capita septem à secundo usque ad octavum, utroque comprehenso.

352 Cùm autem iste locus Sancti Clementis referat prædicationem Sancti Pauli in Oriente, & Occidente, totoque mundo, & ex Sacrâ Scripturâ constet, alios Apostolos, & prædicatores ante Sanctum Paulum annuntiasse Christum

Chriſtum in quibuſdam mundi partibus, certum remanet non excludi anteriorem Apoſtolorum prædicationem per prædicationem Sancti Pauli; ac proinde non excludi prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, ante prædicationem Sancti Pauli in ipsâ provinciâ; non enim dicit Sanctus Clemens, Sanctum Paulum fuiſſe primum Apoſtolum, multòque minus unicum Apoſtolum, qui ad Occidentis terminum venerit.

353 Si igitur adducta verba Patrum, eſto probent prædicationem Divi Pauli in Hiſpaniâ, nihil habent unde inferatur officere prædicationi Sancti Jacobi in ipsâ Hiſpaniâ, qui ſunt illi Patres, qui prædicationem *Paulinam ſic aſſerunt, ut Jacobæam ab eis excluſam conſequenter, nec obſcurè, nec inefficaciter probari poſſit?* Ut nuperrimè alicubi affirmatum eſt, ſed minimè probatum, imò, ut exiſtimo, neque unquam probandum.

354 Nam ut hoc probaretur, deberent oſtendi teſtimonia Patrum aſſerentium ex Apoſtolis ſolos Divum Petrum, (ſi is hîc prædicavit) & Divum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, vel alterutrum ex his duobus fuiſſe primum, qui Hiſpanis prædicaverit, cùm neuter venerit in Hiſpaniam, niſi poſt mortem Divi Jacobi. Nullus autem adductorum Patrum ita aſſerit expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli, ut ab Hiſpaniâ arceat Sanctum Jacobum.

355 Ergo licèt aſſeramus, ut libenter aſſerimus, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, non tamen ideo negandum putamus, Sanctum Jacobum in hâc provinciâ prædicaſſe ante Sanctum Paulum; cujus Hiſpanicam expeditionem eâ de causâ libentiùs adſtruimus, quia ex illâ validiùs confirmatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, dum faciliùs retunduntur tela intorta in expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſi admittatur expeditio Hiſpanica S. Pauli, ut hoc Opuſculo ſuſcepi demonſtrandum.

SECTIO

Digitized by Google

# SECTIO II.

## *Asseritur expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi non fuisse impossibilem.*

356 ALiqui, quos, suppressis nominibus, refert Cardinalis Baronius, putarunt ea, quæ de Sancti Jacobi profectione in Hispaniam dicuntur esse impossibilia, vel haberi pro monstro, quos tamen rejicit Sapientissimus Cardinalis in Notationibus ad Martyrologium Romanum, ad diem 25. Julii, ubi postquam probaverat profectionem Hispanicam Sancti Jacobi, subdit ibi:

> *Prædicta autem non sic mordicùs defendimus, ut his invitos adstipulari cogamus, sed potiùs ut ostenderemus non esse adeo impossibilia, vel haberi pro monstro, ut putant aliqui.*

357 Quodnam verò monstrum putaverint hanc expeditionem, non explicat Baronius, sed illud videtur innuere Adrianus Baillet in Vitis Sanctorum ad diem 25. Julii, ubi ausus est vocare chimæricam hanc Divi Jacobi expeditionem; quam proinde habet pro monstro chimærâ, de quâ Homerus lib. *6*. Illiados ex versione Eobani Hessi, ait:

> —— *ergo chimæram*
> *Expugnare jubet, fuit hoc mirabile monstrum,*
> *Non hominum de gente aliqua, sed ab æthere missum:*
> *Ora leonis erant, venter capra, cauda draconis,*
> *Terribiles rapido spirabat pectore flammas.*
> *Hoc sibi tam discors animal* ——

358 Et sicuti hoc loco observatur quadruplex discordia, nempe, inter leonem, & capram, inter hanc, & draco-

draconem, inter hunc, & leonem, inter hæc tria viventia, & flammas; ſic volunt quadruplicem inveniri diſcordiam in expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; dicunt enim primò repugnare modico fructui ejuſdem expeditionis. Secundò repugnare tempori diviſionis Apoſtolorum. Tertiò repugnare tempori, quo Gentibus apertum eſt oſtium Fidei. Quartò denique repugnare præcepto Chriſti Domini. Quæ omnia, quàm falſa ſint, hâc Sectione demonſtrabimus.

## ASSERTIO XIV.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non repugnat fructui, quem ex ipſâ dicitur colligiſſe.*

359 GUillielmus Eſtius in caput 12. Actuum Apoſtolorum verſ. 3. negavit, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, idque niſus eſt probare hâc ratione, inter alias ſuis in locis confutandas: *Non enim* (ait) *Spiritûs inſtinctu in illas regiones erat profecturus, ubi nullum erat facturus fructum, & ſine fructu ſtatim Hieroſolymam rediturus.* Hâc eâdem ratione, citato Eſtio, hujus expeditionis veritatem impugnat Recentior Adverſarius; hoc tamen fundamentum nullius eſt momenti; (quod illi commune eſt cum reliquis Adverſariorum argumentis.) Primò; quia falsò ſupponit, Sanctum Jacobum nullum feciſſe fructum in Hiſpaniâ. Secundò; quia falsò ſupponit, Sanctum Jacobum ſine fructu ſtatim rediiſſe Hieroſolymam. Tertiò; quia falsò ſupponit, Sanctum Jacobum non profecturum in Hiſpaniam inſtinctu Spiritûs Sancti, etiamſi nunquam ſciendum eſſet, quid ibi egiſſet, vel licèt nullum converſurus foret ad Fidem Chriſti.

Falsò

360 Falsò supponit, Sanctum Jacobum nullum fecisse fructum in Hispaniâ, quia licèt unicum tantum hominem luce Euangelii perfunderet, unicamque animam lucraretur, opulentissimum censeretur invenisse thesaurum, quocirca legantur, quæ supradiximus Assertione 4. cùm asseruimus, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi fuisse honorificam ipsi Apostolo; unde non est necesse ad illud argumentum exsibilandum, recurrere ad veram sententiam dicentium, Sanctum Jacobum plurimos convertisse in Hispaniâ, quos inferiùs referemus.

361 Falsò etiam supponit, Sanctum Jacobum sine ullo fructu statim repetiisse Hierosolymam, quia etiam admissâ omnino, & sine ullâ exceptione, vel explicatione illâ fabulosâ Traditione Apollonii, de quâ agitur in Subsectione, post Sectionem 2. Assertione 17. & sequentibus, habuit tres annos, quibus potuit in Hispaniâ commorari, quin statim reverteretur Hierosolymam; unde triennis potuit intercedere mora inter adventum in Hispaniam, & regressum in Judæam, quam immeritò excludit illa dictio *statim*, ab Estio apposita.

362 Falsò denique supponit, Sanctum Jacobum non profecturum in Hispaniam instinctu Spiritus Sancti, etiamsi nunquam sciendum esset quid ibi egisset, vel licèt nullum ibi conversurus foret ad Fidem Christi, quam falsam Estii suppositionem longiùs provexit Recentior Adversarius dicens, quòd *annis, qui antecesserunt Pauli prædicationem in Hispaniâ, quibus Hispani imparati, indispositi, contemptores, & verbo Dei rebelles prævidebantur, suppositâ Divinæ Providentiæ dispositione circa salutem hominum per Euangelii prædicationem in Actis Apostolorum satis expressâ, non potuit Sanctus Jacobus à Spiritu Sancto in Hispaniam mitti Euangelium prædicaturus.*

363 Hanc sequens Estii suppositionem Neotericus

Adverſarius, ex illâ conficit argumentum contra nos, quod vocat validiſſimum, ſic: *In eas regiones, in quibus, ſaltem pro aliquo tempore, nullus aut fructus erat faciendus, Spiritus Sanctus Apoſtolos non mittebat; ſed à Jacobo nullus erat in Hiſpaniâ eis tribus, aut quatuor annis fructus faciendus: ergo tunc Spiritus Sanctus Jacobum in Hiſpaniam non miſit.*

364 Si hoc eſt validiſſimum argumentum contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſalva res eſt; nam oportet, ut aliquid minus quàm nihil evincat; hoc enim nihil omnino evincit. Nam minor hujus argumenti eſt omnino falſa; falsòque dicitur eſſe doctrinam Adverſariorum, ut enim hoc verè diceretur, oportebat, ut omnes Aſſertores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi docuiſſent, nullum fuiſſe fructum in Hiſpaniâ iis tribus, vel quatuor annis faciendum, cùm omnes, nullo excepto, aſſerant ab Apoſtolo aliquem fructum eſſe factum, licèt alii hunc dicant minorem, alii maiorem. Imò non deeſt inter calamos pro Sancto ſcribentes, qui exaraverit eſſe errorem dicere, Sanctum Jacobum paucos convertiſſe; ut videbimus ſuo loco, quod ſufficit ad demonſtrandam illius minoris falſitatem; & per conſequens totius argumenti ruinam.

365 Nihilominus lubet oſtendere etiam aliud vitium ejuſdem argumenti; nam etiam eſt falſum, quod dicitur in illius maiori, nempè, quòd Spiritus Sanctus non mittebat Apoſtolos in ea loca, in quibus nullus, vel ferè nullus fructus erat faciendus, ſi pro fructu intelligatur converſio plurium, vel pauciorum infidelium; nam ſcimus, docente Sancto Paulo, ipſum profectum fuiſſe in Arabiam, utique miſſum à Spiritu Sancto, & tamen dicit Sanctus Hieronymus in caput primum Epiſtolæ ad Galatas:

> *Lucam verò idcirco de Arabiâ præteriſſe, quia fortè nihil dignum Apoſtolatu perpetrarat.*

De-

Deinde paucis interjectis, subjungit:

*Nec hoc segnitiæ Apostoli deputandum, si frustra in Arabiâ fuerit, sed quo aliqua dispensatio, & Dei præceptum fuerit, ut taceret.*

366 Locus autem Actuum Apostolorum 16. vers. 6. *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asiâ.* Quo intenditur probari, Spiritum Sanctum non misisse Apostolos in eas regiones, in quibus nullus fructus erat faciendus, est contra producentem; quia jam Sanctus Paulus erat in Asiâ; nam Phrygia, & Galatia erant provinciæ Asiæ, ad quas Sanctus Paulus iverat, utique missus à Spiritu Sancto, aliàs enim illuc non iret prædicaturus, ut ipse ait ad Romanos 10. 15. *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* & tamen ipse, & Sanctus Timotheus *vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asiâ.* Ergo falsum est, nunquam Spiritum Sanctum misisse Apostolorum quempiam in ea loca, in quibus nullus erat convertendus ad Fidem.

367 Iterum hoc confirmatur ex eodem Sancto Paulo, non quidem in Asiâ, sed etiam in ipsâ Hispaniâ prædicante, ut videre est apud Pererium, egregium expeditionis Hispanicæ Sancti Pauli propugnatorem, Disput. 2. in cap. 15. Epistolæ ad Romanos, ubi assignat pro unâ ex causis brevis commorationis Sancti Pauli in Hispaniâ: *Quod non talem, qualem ipse putaverat, & sperabat messem illic tunc reperiens, nec tempus ibi, nec operam suam infructuosè consumendam esse judicaverit.*

368 Si ergo Sanctus Paulus missus est in Hispaniam, non obstante modico fructu, quem ex hâc provinciâ erat collecturus, quo jure dicendum est, modicum fructum repugnare expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi? Quo jure affirmandum, ipsum in Hispaniam non fuisse mittendum?

369 Cùm autem à veritate alienum ſit, nunquam Spiritum Sanctum miſiſſe ullum Apoſtolum in eam regionem, in quâ nullum converſurus erat, quantò erit ab ipsâ veritate alienius, quod nuper dictum eſt, ſcilicet, non potuiſſe Sanctum Jacobum à Spiritu Sancto mitti in Hiſpaniam, ut ibi prædicaret Euangelium, licèt ibi pauci eſſent convertendi? Neque enim Spiritus Sanctus minus poteſt, quàm Chriſtus, cùm uterque ſit Omnipotens; Chriſtus autem miſit Apoſtolos, ut prædicarent, licèt nullum prædicatione converterent; quocirca audiendus eſt Theophylactus in caput 16. Sancti Marci, ubi ait:

> *Vide mandatum Domini: Prædicate omni creaturæ. Non dixit, prædicate his, qui obtemperant, ſed omni creaturæ, ſive recipiant, ſive non.*

370 Si autem rogaveris, cur Spiritus Sanctus nonnunquam miſerit Apoſtolos in loca, in quibus non erant convertendi multi? Ego invicem à te quæro cum Divo Paulo (ex quo indies magis confirmatur expeditio Hiſpanica Divi Jacobi) ad Roman. 11. 34. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Et cum Iſaiâ egregio converſionis Gentium Prophetâ cap. 40. verſ. 13. unde Divus Paulus hoc deſumpſit: *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Deſinant ergo nobis objicere diſpoſitionem Divinæ Providentiæ circa ſalutem hominum per Euangelii prædicationem, quia hâc nunquam mutatâ, poteſt Deus mittere Apoſtolos, quocumque velit, ſive multi, ſive pauci, ſive nulli in locis convertendi ſint. Unde etiam, ſi ferè nullum, vel omnino nullum converſionis fructum facturus eſſet in Hiſpaniâ, potuit huc mitti à Spiritu Sancto; & de facto miſſus eſt; & plurimum reportavit fructum, quidquid dicat Guillielmus Eſtius, qui uſus eſt argumento, hîc profligato, contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; &

qui

Digitized by Googl

qui etiam negavit, Sanctum Paulum prædicasse in Hispaniâ, fortasse agnoscens, non posse oppugnari Jacobæam hanc expeditionem, si admittitur, Sanctum Paulum prædicasse in Hispaniâ, cùm prædicatio Sancti Jacobi in Hispaniâ maximè confirmetur adventu Sancti Pauli in hanc provinciam, ut sæpius in hoc Opusculo videre est.

371 Quid si dixerim modicum fructum illius expeditionis non solùm non probare, eam fuisse impossibilem, sed potiùs, ipsam reddere credibiliorem? Certè considerationem modici illius fructûs enervatur argumentum deductum ab authoritate Sancti Innocentii I. ut illud enervat Pererius loco citato. Et enervatur argumentum (aliàs debilissimum) ex silentio Authorum petitum, ut suo loco videbimus tota Sectione 6. & maximè Assertione 44.

372 Hæc dicta sunto pro solutione illius argumenti, eruto ex modico fructu, ne videremur vim illius declinare; nam ut jam innuimus, & inferiùs ostendemus, falsum est, Sanctum Jacobum collegisse ex Hispaniâ modicum fructum. E' contra verò, certum est ea, quæ dicuntur de fructu illius prædicationis, quicumque ille fuerit, non repugnare Apostolicæ expeditioni, quæ proinde ex hoc primo capite chimærica dici non potest.

## ASSERTIO XV.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non repugnat tempori divisionis Apostolorum.*

373 IGnorantia Historiæ, & neglectus Critices nonnullos, quos, tacitis nominibus, refert Comes-stabuli Castellæ, præcipites traxit in dubitationem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, ex eo capite, quòd existimaverint, ipsum non potuisse venire in Hispaniam, quia

quia occiſus fuerat antequam Apoſtoli dividerentur in provincias ſibi aſſignatas.

374 *Aiunt* (inquit Excellentiſſimus Joannes Ferdinandus Velaſcus Comes-ſtabuli Caſtellæ in Hiſpaniarum Vindiciis Tutelaribus lib. 2. pag. 17.) *non veniſſe in Hiſpaniam Apoſtolum, quia venire non potuit, atque adeo ejuſmodi iter prodigioſum videri. Apoſtoli enim priuſquam ſegregarentur, ac provinciam quiſque, in quâ Euangelii fructum propagaret, ſortiretur, Jeroſolymis non diſceſſiſſe, ſortitos demum anno à Natali Chriſti quadrageſimo quarto, Claudio Auguſto, & Caio Licinio Largo Conſulibus, quo anno martyrii palmam Jacobus adeptus eſt.*

375 Huic argumento jam reſpondit, qui primus id typis edidit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die 25. Julii, editis anno 1585. Reſponderunt, ut alios prætermittam, Comes-ſtabuli Caſtellæ, anno 1605. Didacus de Caſtillo, anno 1608. Fr. Franciſcus de Jeſu Xodar, anno 1612. Pater D. Antonius Caracciolus noſter, anno 1618. Fr. Franciſcus de Bivar, anno 1627. D. Michael Erze Ximenes, anno 1648. Magnus Fr. Franciſcus à Sancto Auguſtino Macedo, anno 1662. Quid ergo profuit Natali Alexandro argumentum toties ſolutum iterum propoſuiſſe, ut incautis Lectoribus imponeret? Natali Alexandro reſpondit, anno 1682. Eruditiſſimus, & Excellentiſſimus Gaſpar Ybañes de Segovia Marchio de Mondexar, inter Magnates Hiſpaniæ Clariſſimus.

376 Reſpondit Tilemont, anno 1693. licèt fuerit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi Adverſarius. Reſpondit ex Noſtratibus Pater D. Bartholomæus Ferrus, anno 1698. Reſpondit denique Doctiſſimus Hiſtoricus, & acerrimus Criticus D. Joannes de Ferreras, anno 1711. qui etiam num vivit, pergitque Rempublicam literariam ſcriptis voluminibus erudire. Quid igitur profertur argumentum toties ſolutum? Cur ſtringitur gladius toties hebe-

hebetatus? Quorsum intenditur telum toties retusum? Libet proferre Magni Baronii solutionem:

> *Jacobi profectio in Hispaniam* (verba sunt Baronii loco citato) *tunc potissimum potuit contigisse, cùm post necem Stephani Prothomartyris sequuta est statim dispersio omnium discipulorum: Et licèt dicat Sanctus Lucas in Actis, omnes dispersos esse præter Apostolos, intelligendum ex maiori parte; sicut cùm ibidem ait, omnes discipulos dispersos esse per regiones Judææ, atque Samariæ: cùm tamen constet, inter alios Ananiam tunc temporis profectum esse Damascum Syriæ, illicque Euangelium prædicasse. Sanè quidem, & horum* (Joannis, & Jacobi) *matrem, uxorem Zebedæi Mariam, eâdem dispersione fugatam in Italiam adventasse, & apud Hernicos itinere fatigatam in pace quievisse, produnt vetera monumenta Ecclesiæ Verulanæ, ubi ejus venerandum corpus religiosè asservatur.* Hæc Baronius.

377 Ego autem nego occisum fuisse Sanctum Jacobum ante assignationem provinciarum factam unicuique ex duodecim Apostolis, me docente Sancto Leone Magno, Pontifice Maximo, Sermone 1. in Natali Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; ubi ait:

> *Cùm duodecim Apostoli acceptâ per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent.*

Si ergo omnes duodecim Apostoli susceperunt partes sibi distributas, etiam Sanctus Jacobus Maior, qui erat unus ex duodecim, suscepit terrarum partem sibi distributam: ergo in vivis erat, cùm hæc distributio facta est.

378 Quomodo non esset in vivis Sanctus Jacobus Maior, quando facta fuit divisio provinciarum, si hæc facta fuit, quando Apostoli acceperunt omnium locutionem linguarum, ut non obscurè innuit dictis verbis

Sanctus

Sanctus Leo, & ante Sanctum Leonem idem expreſsè ſcripſerat Doctor Maximus Sanctus Hieronymus? Audiamus Sanctum Doctorem Hedibiæ ſcribentem, quæſtione 9. tomo 3. editionis Frobenianæ pag. 147. b. ubi de duodecim Apoſtolis ait:

> *Die autem Pentecoſtes eis ampliùs repromiſſum eſt, ut baptizarentur Spiritu Sancto, & induerentur virtute ex alto, quâ Chriſti Euangelium cunctis Gentibus prædicarent, juxta illud, quod in ſexageſimo Pſalmo legimus:* Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multâ: *ut haberent operationem virtutum, & gratiam ſanitatum. Et prædicaturi multi Gentibus, acciperent genera linguarum; UT JAM TUM cognoſceretur qui Apoſtolorum, quibus deberent Gentibus nuntiare?*

379 Si ergo jam tum ex quo Apoſtoli acceperunt genera linguarum, cognitum eſt quibus Gentibus deberet quiſque Apoſtolus Euangelium nuntiare, jam tum, hoc eſt, ipſa dies Pentecoſtes facta eſt provinciarum diviſio in ſingulos Apoſtolos, inter quos certè erat Sanctus Jacobus Maior, cui proinde aſſignata eſt ſua provincia, cujus deſignatus eſt Epiſcopus, & deinde conſecratus.

380 Confirmatur hoc conſecratione Sancti Jacobi Minoris in Epiſcopum Jeroſolymitanum, quæ contigit, teſte Euſebio, in Chronico, anno Chriſti (hoc eſt æræ vulgaris) trigeſimo quarto. Neque enim datur potior ratio, ut citiùs aſſignaretur provincia Sancto Jacobo Minori, quàm aliis Apoſtolis; & antequam aſſignaretur Sanctis Petro, Andreæ, Jacobo, & Joanni, qui erant in eo cœtu præcipui.

381 Sanctum autem Jacobum Maiorem priùs conſecratum fuiſſe in Epiſcopum ſuæ provinciæ, quàm Sanctus Jacobus Minor ſuæ, ex eo ſuadetur, quòd fuit unus ex conſecratoribus Sancti Jacobi Minoris, ut conſtat ex

Epiſtolâ

Epistolâ 2. nomine Sancti Anacleti, edita post initium, ubi dicitur:

> *Porrò ut Ferosolymitarum primus Archiepiscopus Beatus Jacobus, qui Justus vocabatur, & secundum carnem, Domini nuncupatus est frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis ordinatus est.*

382 Æquum enim erat, ut Sanctus Jacobus Minor ordinaretur Episcopus ab Apostolis in Episcopos priùs ordinatis. Ergo jam anno trigesimo quarto æræ vulgaris Sanctus Jacobus Maior, Minoris consecrator, erat Episcopus, suamque habebat provinciam, in quam posset proficisci.

383 Consonat Eusebius, qui lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. ait:

> *Clemens certè* (Alexandrinus) *in sexto Institutionum libro ita tradit: Ait enim post Salvatoris ascensum Petrum, Jacobum, & Joannem, quanvis Dominus ipsos cæteris prætulisset, non ideo de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Ferosolymorum Episcopum elegisse:*

Non solùm habuit Sanctus Jacobus Maior provinciam, in quam posset proficisci, sed certè profectus est, sicuti alii Apostoli, ac proinde vivebat, quando cæteri Apostoli in suas provincias discessere, discessitque sicuti cæteri, quod apertè conceptis verbis docet antiquissimus Pater Sanctus Justinus Martyr Apologia 2. quæ reperitur in Bibliothecâ Patrum Anissonianæ editionis, tom. 2. parte 2. pagina 27. B. ubi dicit.

> *Hierosolymis duodecim viri profecti sunt in mundum, atque hi quidem indocti, & minimè eloquentes. Dei autem virtute humano generi denuntiaverunt à Christo se missos esse, qui cunctos verbo Dei docerent.*

Si ergo duodecim viri, id est, duodecim Apostoli, Jero-

ſolymis profecti ſunt in mundum, etiam profectus eſt Sanctus Jacobus Maior, niſi negare quis velit, ipſum fuiſſe unum ex duodecim Apoſtolis.

384 His conſonat Nicephorus Calliſtus, qui lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 8. loquens de temporibus Tiberii Cæſaris, quibus certè vivebat Sanctus Jacobus Maior, qui occiſus eſt ſub Claudio, ſucceſſore Caii, qui ſucceſſerat Tiberio, tradit iis temporibus jam Euangelium fuiſſe propagatum per univerſum mundum; illius verba ſunt:

> *Et jam ubique terrarum mirifico verbo diſſeminato, ſermonibus omnium Reſurrectio, Aſcenſio, & alia Divinam Potentiam teſtantia miracula publicè ferabantur.*

385 Conſonat Euſebius Nicephoro Calliſto longè antiquior, qui in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ libro 2. capite 3. loquens de eodem Tiberii tempore, eadem luculentiùs tradit juxta verſionem Joannis Chriſtophorſoni, dicens:

> *Ita quidem certè cœlesti, divinâque virtute, & præſidio repentè, nullâ ferè morâ interpoſitâ, tamquam quoddam ſolis jubar, ſalutare Dei verbum univerſum terrarum Orbem ſuo ſplendore colluſtravit, Sacrarum literarum teſtimonio appoſitè reſpondens: in omnem terram ſonus Divinorum Euangeliſtarum, & Apoſtolorum exivit, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

386 Conſtat igitur ex antiquiſſimo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Authore Euſebio, tempore Tiberii (cui ſeptem annos ſupervixit Sanctus Jacobus Maior) jam Apoſtolos diſceſſiſſe in provincias ſuas, & fines Orbis terræ, in quibus nemo Geographiæ non ignarus negabit jacere Hiſpaniam) audiiſſe Euangelium; unde non poteſt dici expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi repugnare tempori profectionis Apoſtolorum, neque illa ex hoc capite vocari poteſt chimærica, cùm ex diviſione Apoſtolorum

non

non possit deduci contra ipsam efficax argumentum, ut ingenuè fatetur Tilemont Gallus, hujus expeditionis oppugnator, Vir alioquin doctissimus, ut videre est in illius tom. 1. Memor. ad Histor. Ecclesiasticam Nota *6.* de Sancto Jacobo Maiore. Nota autem *6.* de Sancto Matthæo asserit, Apostolos jam divisos esse, profectosque in provincias anno 36. hoc est octo annis ante martyrium Sancti Jacobi.

## ASSERTIO XVI.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non repugnat tempori, quo apertum est Gentibus ostium Fidei.*

387 CUm in Actibus Apostolorum post conversionem Cornelii Centurionis, narratam capite decimo, legatur in principio capitis undecimi, vers. 1. *Audierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Judæâ: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei*; existimarunt scioli in fine sæculi sexti decimi, Historiæ ignari, & Critices negligentes, non potuisse D. Jacobum prædicare in Hispaniâ, rati inter conversionem Cornelii, & Apostoli mortem non intercessisse tantum temporis, quantum necesse erat, ut Apostolus è Jerosolymis veniret in Hispaniam, hîc euangelizaret, & in Jerosolymas reverteretur passurus martyrium. Illorum argumentum proponit Castellæ Comes-stabuli Joannes Fernandus Velascus in Hispaniæ Vindiciis Tutelaribus lib. 2. pag. 38. his verbis.

> *Reluctantur etiam, aiuntque, nec venisse in Hispaniam Apostolum, nec indigenis Euangelium prædicasse: quippe non licuisse: ac planè non prædicasse. Non licuisse. Cautum enim ut ab Euangelicâ doctrinâ Gentiles arcerentur:*

*neque illum tum etiam rigorem fuiſſe ſublatum. Non prædicaſſe: primum enim Gentilium inter Chriſtianos adoptatum Cornelium legi: ſed eo tempore adoptatum, ut nullus adventui Apoſtolico locus relinquatur.*

388 Argumentum peneſeſqui ſæculare, diluitur pene ſeſquiſæculari ſolutione, quam adhibet Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ſub die 25. Julii editis anno 1585. ut diximus, ubi ait:

*Hæc autem de Jacobi acceſſu in Hiſpanias nuperdicta non ſic accipies, ut illic prædicaverit Gentibus Euangelium (non dum enim decreto Apoſtolorum illis fuerat oſtium reſeratum) ſed Judæis tantum ſuis Gentilibus, Chriſtum annuntiarit.*

389 Baronii veſtigiis inſiſtit, ejuſque non allegati verba tranſcripſit ante centum annos, Ludovicus Balleſter è Societate Jeſu in Onomatographiâ parte 2. pag. 533. ubi de Sancto Jacobo Maiori.

390 Sed non acquieſcit illi Baronii ſolutioni Comeſtabuli Caſtellæ; contendit enim, Sanctum Jacobum tunc temporis potuiſſe prædicare etiam Gentibus, vel poſt converſionem Cornelii per tres, & ampliùs annos, vel etiam ante illius converſionem, quod multis probat; poſtremò tamen ſubdit:

*Denique ſi hæc ipſa ancipiti fide vacillent (ut liberali reſponſione rem abſolvam) ſalva tamen veritatis ratio ſit. Prædicare enim Jacobus Hebræis, qui tunc in Hiſpaniâ, potuit: atque hoc modo omnis planè anſa tollitur difficultatis.*

391 Judæos autem per ea tempora fuiſſe in Hiſpaniâ, probat authoritate Sancti Joanni Chryſoſtomi de adventu Divi Pauli in Hiſpaniam, loquentis Homiliâ 76. in Matthæum, ubi ait:

*Cùm igitur biennium Romæ exegiſſet in vinculis, tandem dimiſſus*

Digitized by

*dimissus est. Deinde in Hispanias profectus, invisit illic Judæos quoque, ac tunc fortassè Romam reversus est.*

Si ergo in Hispaniâ erant Judæi, quos Sanctus Paulus inviserit, quidni fuerint Judæi, quibus Sanctus Jacobus prædicaverit?

392 Ego verò, licèt sciam, Judæos per ea tempora jam fuisse toto Orbe dispersos, ex cujus provinciis convenerant Jerosolymas, ut legitur in Actibus Apostolorum cap. 2. vers. 5. *Erant autem in Jerusalem Judæi viri Religiosi ex omni natione, quæ sub Cælo est*; nec præteream accusatores Sancti Pauli, qui capite 24. Actuum, vers. 3. dixerunt: *Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo Orbe.* Tempore Julii Cæsaris fuisse Romæ Judæos, constat ex Suetonio in Julio Cæsare cap. 84. Fuisse tempore Tiberii, constat ex eodem Suetonio in Tiberio cap. 36. fuisse tempore Caii Imperatoris, constat ex Philone Hebræo lib. de Legatione ad Caium, pag. 653. mihi. Et fuisse in Hispaniâ per ea tempora, constat (ut alios Authores præteream) ex illo Sancti Joannis Chrysostomi loco Homilia 76. in Matthæum, quo olim usus sum in Regali Academiâ ad defensionem antiquitatis Sancti Mancii Eborensis, contra Danielem Papebrochium, eam levissimis fundamentis negantem. Tamen in hâc controversiâ, aliâ viâ incedendum duxi. Asseroque, Sanctum Jacobum potuisse in Hispaniâ prædicare Gentibus, non solùm per unum integrum triennium, sed per tria triennia, supervixit enim Sanctus Jacobus conversioni Cornelii novem omnino annos. Nam Cornelius conversus est altero anno ab Ascensione Domini in Cœlum, ut ex Chronico Alexandrino tradit Tilemont tom. 1. Memoriar. ad Historiam Ecclesiasticam Nota 20. super Sancto Petro, ac proinde conversus est anno Christi trigesimoquinto. Cùm autem Sanctus Jacobus

cobus fuerit occiſus anno Chriſti quadrageſimo quarto, ut ſcribit Cardinalis Baronius ad eum annum numero 1. habuit integrum novennium poſt converſionem Cornelii, qua *& in nationes gratiâ Spiritûs Sancti effuſa eſt.* Act. 10.45. *audierunt Apoſtoli, & fratres, qui erant in Judæâ: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.* Act. 11. 1. quo poſſet prædicare in Hiſpaniâ Gentibus, & reverti in Orientem ad ſuſcipiendam martyrii coronam.

393 Prætereo ante converſionem Cornelii jam aliquot ex Gentilibus fuiſſe converſos ad Chriſti Religionem, ut eruitur ex Actis Apoſtolorum cap. 11. v. 2. ubi legitur: *Cùm autem aſcendiſſet Petrus Jeroſolymam, diſceptabant adverſus illum, qui erant ex circumciſione, dicentes: quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Quo indicatur tunc temporis extare Jeroſolymæ alios Chriſti Fideles, qui non erant ex circumciſione, hoc eſt, ex Judæis, ſed ex Gentibus, quod expreſsè docet Divus Auguſtinus Sermone 99. de verbis Euangelii Sancti Lucæ tomo 5. editionis Patrum Congregationis Sancti Mauri (qui Sermo in antiquis editionibus erat 23. inter quinquaginta Homilias) capite 12. ubi reddens rationem hujus diſceptationis, ait: *Natum quippe erat inter Judæos, qui crediderant, & eos, qui Fideles ex Gentibus facti erant ſcandalum.* Ergo à converſione Cornelii (ne dicam & ante ipſam) habuit Sanctus Jacobus locum, & tempus, ut poſſet prædicare in Hiſpaniâ non ſolùm Judæis, ſed etiam Gentibus, per novennium, quod erat ampliſſimum tempus ad hanc expeditionem.

394 Confirmatur hoc exemplo Sancti Pauli, de quo ſcribit Cardinalis Baronius potuiſſe octo annis peragrare non ſolùm Hiſpanias, ſed univerſum Orbem Romanum, ac Barbarorum regiones; ipſum Cardinalem audiamus ad annum Chriſti 61. numero 2. ubi ait:

*Octo*

*Octo illi, qui intercedunt anni usque ad ipsius* (S. Pauli) *consummatum martyrium, non tantum fuerint illi satis ad Hispanias peragrandas, sed universum planè Orbem Romanum, ac Barbarorum externas regiones adeundas.*

Si autem octo anni satis fuerunt Sancto Paulo ad peragrandum non tantùm Hispanias, sed universum Orbem Romanum, ac Barbarorum regiones, potiori jure dicendum est, novem annos, qui fluxere à conversione Cornelii usque ad martyrium Sancti Jacobi, satis fuisse ad veniendum in Hispaniam, & revertendum in Orientem. Unde expeditio Hispanica Sancti Jacobi nullo pacto repugnat tempori, quo apertum est Gentibus ostium Fidei; ne dicam Sanctum Jacobum Judæis in Hispaniâ prædicaturum, non opus habuisse expectare tempus, quo liceret prædicare Gentibus, si quodpiam fluxit tempus ab Ascensione Christi, quo fas non fuerit Euangelium Gentibus prædicari, de quo maximè dubito, ne dicam me oppositum firmissimè tenere.

395 Adeo non defecit Sancto Jacobo tempus ad veniendum in Hispaniam, hîcque prædicandum, ut locus fuerit conjecturæ Sapientissimi Viri suspicantis, Sanctum Jacobum non tantùm semel, sed bis venisse in Hispaniam, & bis rediisse Jerosolymam. Is est Doctissimus Thomas Frances de Urritigoiti in Certamine Scholastico Expositivo, Argumento pro Deiparâ, Disputatione 7. Sectione 4. numero 18. pag. 405. Secundæ partis, columna 1. Tantùm abest, ut Sancto Apostolo Jacobo defuerit tempus ad veniendum, & revertendum semel, quo nos contenti sumus. Licèt Apostolos non semel adiisse loca, in quibus prædicabant, confirmetur exemplo Sancti Pauli, qui non semel accessit ad Damascum, Iconium, Pisidiam, Pamphiliam, Ephesum, & Romam, ter verò ad Antiochiam, Lystram, & Corinthum, & saltem quater ad Jerusalem, ut videre est in Actibus Apostolorum.

SUB-

## SUBSECTIO.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non repugnat præcepto Chriſti Domini.*

396 POſtremum argumentum, quo tentatum eſt probari, fuiſſe impoſſibilem expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi Zebedæi, deductum eſt ex quodam præcepto Chriſti, quo dicitur prohibuiſſe Apoſtolis exire Jeroſolymis ante duodecim annos, ut haberi dicitur ex Apollonio antiquo Scriptore, de quo Euſebius Cæſarienſis lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 18. ait:

> *Ad hæc tamquam ex veterum traditione hæc refert: Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent.*

Ex quo ſic argumentantur: Si Sanctus Jacobus non potuit exire Jeroſolymis, non potuit prædicare in Hiſpaniâ; ſed non potuit exire Jeroſolymis; ergo non potuit prædicare in Hiſpaniâ. Quòd non potuerit exire Jeroſolymis, ex eo patere dicitur, quia dicitur occiſum fuiſſe ante duodecimum annum ab Aſcenſione Domini, quando præcepto Chriſti prohibente, non poterant Apoſtoli exire Jeroſolymis.

397 Hoc argumentum licèt fuerit unum ex iis, quibus hæc expeditio oppugnata eſt tempore correctionis Breviarii Romani ſub Clemente VIII. tamen cùm fuerit contemptum ab illis, qui idem Breviarium accuratiùs recognovere tempore Urbani VIII. inter quos fuit & ipſe Sapientiſſimus Pontifex, non timeri ſolet ab Aſſertoribus ſententiæ affirmantis expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, imò flocci fit ab Hiſtoriæ, & Critices peritis, cùm facilimo negotio ſolvatur. Quia tamen nuper prodiit maiori-

maioribus (ut non attentâ Hiſtoriâ, neque Critice, credunt nonnulli) viribus inſtructum, diutiùs immorandum duco in oſtendendâ illius debilitate.

398 Arbitrantur nonnulli, hoc argumentum eſſe ſi minus negantis ſententiæ Achillem, ſaltem illius Aiacem, poſtquam prodiit in arenam ſeptemplici clypeo munitum, dum dicitur, illam Traditionem ſeptem titulis eſſe venerandam.

1. Quia eſt Traditio ſcripta ab Euſebio Cæſarienſi, antiquo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptore.

2. Quia eſt Traditio aſſerta à Sanctiſſimo Martyre Thraſea.

3. Quia eſt Traditio ſcripta ab Apollonio, item Sanctiſſimo Martyre.

4. Quia eſt Traditio accepta ex Clemente Alexandrino.

5. Quia Clemens ea, quæ ſcripſit, excepit ab iis, qui ea acceperunt à diſcipulis Apoſtolorum.

6. Quia ſi non creditur huic Traditioni de duodecim annis, quibus Apoſtoli commorari deberent Jeroſolymis, neque credendum erit Traditioni de Accuſatore Sancti Jacobi ab ipſo ad Fidem converſo.

7. Quia eſt Traditio confirmata rerum eventu, affirmato à Sanctis Leone I. & Gregorio I. Summis Pontificibus, aliiſque gravibus Authoribus.

Quæ ſingula, quanti ponderis ſint, examinandum eſt ſingulis Aſſertionibus.

## ASSERTIO XVII.

*Non eſt certum, Euſebium ſcripſiſſe de illo præcepto commorationis Apoſtolorum Jeroſolymis per duodecim annos ex Traditione, neque hoc credidiſſe Traditionem eſſe; imò neque illos duodecim annos ſcripſiſſe.*

399 BEneficio Critices cognoſcitur non eſſe certum, Euſebium ſcripſiſſe illud præceptum ex Traditione relatum fuiſſe ab Apollonio, verba enim Euſebii, licèt ex interpretatione Joannis Chriſtophorſoni Angli Ciceſtrenſis quondam Epiſcopi habeant:

> *Præterea ait ſe Traditione accepiſſe ſervatorem mandatum ſuis dediſſe Apoſtolis, ne ad duodecim annos Hieroſolymis decederent.*

Tamen juxta interpretationem Ruffini Aquileienſis, ſic habent:

> *Qui quaſi ex Traditione priorum ſe accepiſſe aſſeruit. Salvatorem præcepiſſe Apoſtolis ſuis, ut ne ante duodecimum annum ab Hieroſolymis diſcederent.*

Deinde ex correctiſſimâ verſione Henrici Valeſii, ita expreſſa ſunt:

> *Ad hæc tamquam ex veterum Traditione hæc refert, Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent.*

Et aliud eſt dicere abſolutè, *Traditione* accepiſſe, ac dicere *quaſi ex Traditione*, vel *tamquam ex Traditione*; quaſi Traditio enim non eſt Traditio; tamquam Traditio non eſt Traditio; ſicuti non eſt idem dicere: *Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*; (Geneſ. 3. 22.) ac dicere: *Adam unus ex nobis factus eſt.*

Neque

Neque est idem dicere : *Spiritum tamquam Columbam descendentem, & manentem in ipso*; (Marci 1. 10.) ac dicere *Spiritum Columbam descendentem, & manentem in ipso.* Certum est autem, versiones Ruffini, & Henrici Valesii dicentes *quasi ex Traditione*, & *tamquam ex veterum Traditione*, quatenus apponunt *quasi*, vel *tamquam*, esse fideliores, appositioresque ad verba Eusebii, quàm versio Christophorsoni, quæ scribit : *ait se Traditione accepisse*, ut patebit conferenti has versiones cum originali Græco Eusebii, quod videre est è regione versionis Henrici Valesii, editâ Parisiis per Antonium Vitrè anno 1659. in fol. & Moguntiæ typis Christian. Gerlach, & Simon. Beckenstein anno 1672. item in fol. Nam in Græco est particula ὡς, quæ Latinè redditur per *quasi*, vel *tamquam*, quam non expressit Christophorsonus, & expressere Ruffinus, & Valesius. Quòd autem illa particula reddatur per *quasi*, vel *tamquam*, notum est legentibus Lexica Græca. Et Robertus Constantinus latissimè agit de illâ particulâ tum in Lexico Græco, ubi duas columnas voluminis in folio ejus explicatione complet, tum in Appendice ipsius Lexici, in quâ quintum Opusculum inscribitur : *Vocabuli ὡς significationes*; in quo ostendit, eam particulam triginta duobus modis accipi, quos singulis exemplis probat. In Lexico autem docet, hanc particulam cùm *tamquam* significat, esse similitudinis, improprietatisque notam. Sanctus autem Hieronymus in Epistolâ ad Theodoram, seu Epitaphio Lucinii Bætici ait : *Ubi similitudo promittitur, veritas denegatur.*

400 Hæc quidem de particulâ Græcâ ὡς; si verò loquamur de particulis Latinis, *quasi*, & *tamquam*, quibus usi sunt Eusebii interpretes, Ruffinus, & Valesius, etiam certum est, significare imaginem, non veritatem; quocirca audiendus est Laurentius Valla lib. 2. Elegantiarum Latinæ linguæ cap. 36. ibi :

*Velut, & veluti, & uti, tria hæc ſimiliora ſunt in ſignificatione illis tribus, quaſi, tamquam, ceu, quàm aliis tribus, ſicut, ſicuti, ut; ea enim ſex ſuperiora imaginem innuunt.*

Quid autem ſit innuere imaginem, explicat idem Valla ibidem:

*Significant enim imaginem, id eſt, non ipſam planè veritatem.*

Igitur, ſi illud præceptum habitum fuit *quaſi ex Traditione*, vel *tamquam ex Traditione*, non habitum fuit ex verâ traditione, ſed ex imagine traditionis.

401 Unde quaſi Traditio non eſt vera Traditio, ſed ut ita dicam, eſt ſomnium Traditionis; inque hujus dicti patronum advoco clariſſimum, præſtantiſſimumque Eccleſiæ Doctorem Sanctiſſimum Auguſtinum, qui enarratione in Pſalmum 18. Serm. 1. n. 5. ait:

*Novit enim charitas veſtra, quia qui ſomnium indicat, addit* quaſi: *Quaſi ſedebam, quaſi loquebar, quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi diſputabam. Totum quaſi, quia cùm evigilaverit, non invenit, quod videbat. Quaſi theſaurum inveneram, dicit mendicus. Si* quaſi *non eſſet, mendicus non eſſet: ſed quia* quaſi *erat, mendicus eſt. Itaque modo qui ad lætitias ſæculares oculos aperiunt, & cor claudunt, tranſit* quaſi *eorum, & venit verum ipſorum.* Quaſi *ipſorum felicitas eſt ſæculi, verum ipſorum pœna eſt.*

402 Ex quibus verbis conſtat, Sanctum Auguſtinum oppoſuiſſe id, quod eſt *quaſi* illi, quod eſt verum; unde ex mente Sanctiſſimi Doctoris, quaſi Traditio non eſt vera Traditio.

403 Neque me ab hâc ſententiâ deterrent verba Sancti Ambroſii in cap. 23. Sancti Lucæ dicentis de Chriſto: *Ut ſciat* quaſi *hominem paſſum eſſe, non* quaſi *Deum*; neque illud

illud Sancti Joannis cap. 1. vers. 14. *Gloriam* quasi *Unigeniti à Patre.* Ubi textus Græcus pro *quasi* habet ὡς neque tandem verba Concilii Tridentini Sessione 13. cap. 8. dicentis : *Qui mos tamquam ex Traditione Apostolicâ descendens jure, ac merito retineri debet.* Non, inquam, me deterrent, quia licèt certum sit, quòd, ut ait Sanctus Gregorius Magnus lib. 18. in Job cap. 16. *In Sacro eloquio* quasi *aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate*; & quamquam æquè certum sit, particulam ὡς aliquando affirmandi vim habere, ut docent Sanctus Joannes Chrysostomus Homil. 12. in Joannem, Theophilactus in Joann. 1. & in Epistol. ad Philippenses cap. 2. & Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. Epistol. 473. tamen hoc non semper evenit, sed tantummodo, quando particulæ *quasi*, vel *tamquam* possunt resolvi per particulam *utpote*, quod non cadit in eum Eusebii locum, de quo agimus; particulâ enim *utique*, quæ est confirmativa, & causativa, solùm uti possumus, quando confirmamus ea, quæ aliunde scimus, & suadere volumus, unum esse causam alterius; seu cùm volumus restringere rem cognitam, & de illâ sumptâ reduplicativè (ut loquuntur Logici) aliquid enuntiare. Hinc quando Sanctus Ambrosius dixit, Christum *quasi hominem passum esse*, confirmavit Christum esse hominem, quod aliundè sciebat, & ostendit ideo passum fuisse, quia homo erat, & passibilis, non verò quia Deus erat, & impassibilis; ac proinde usus est particulâ *quasi*, ut causativâ, restrictivâ, & reduplicativâ, & efficiente hunc sensum : *Passum utpote hominem.* Eodem modo loquutus est Sanctus Joannes, & Concilium Tridentinum. Dictio autem *utpote*, apposita verbis Eusebii, non efficeret rectum sensum. Si enim versioni Christophorsoni adderetur, *ait se utpote Traditione accepisse*, vel versioni Ruffini, *quia utpote ex Traditione priorum se accepisse asserit*, vel denique versioni Valesii, *utpote ex veterum Traditione*

*ditione hæc refert*; nunquam illud *utpote* caderet ſuper rem aliundè cognitam, ut cadunt verba Tridentini Concilii, Sancti Ambroſii, & Sancti Joannis; unde nihil confirmaret, ac proinde non aptè apponeretur verbis Euſebii particula *utpote*, quæ eſt confirmativa: ergo dicendum eſt, illas particulas *quaſi*, vel *tamquam* apud Euſebium non eſſe confirmativas, neque reſtrictivas, neque reduplicativas, cùm non poſſint reſolvi per particulam *utpote*. Unde non eſt certum, illam Apollonii narrationem ſcriptam fuiſſe ab Euſebio ut veram Traditionem.

404 Hoc modo ſolvi poſſe argumentum deductum ex Traditione Apollonii, dixerunt olim nonnulli, quorum meminit Pater Antonius Caracciolus noſter in illuſtrium Controverſiarum Bigâ, Controverſia 1. de Acceſſu Beati Jacobi ad Hiſpaniam, n. 10. ibi:

> *Nonnulli, ut huic argumento faciant ſatis, obſervant Traditionis vocabulum, quod citra dubitationem Latinè legitur apud Euſebium, Græcè dubitando ſcriptum fuiſſe* ὡς ἐκ παραδόσεως *tamquam ex Traditione.*

405 Poſt illos à Patre Caracciolo deſignatos, incedit recens propugnator Hiſpanicæ expeditionis Sancti Jacobi Joannes de Ferreras, quem numero 11. laudavi, & nunquam mihi ſine præfatione honoris nominandus, qui in Diſſertatione de Prædicatione Euangelii in Hiſpaniâ per Sanctum Jacobum Apoſtolum Zebedæum, num. *6*. ait:

> *Verba... expreſſa ab Henrico Valeſio non afferunt* ſe Traditione accepiſſe: ſervatorem mandatum dediſſe Apoſtolis, ne ad 12. annos Hieroſolymis decederent, *ſed ſolum*: tamquam ex veterum Traditione, *quibus non expreſſit eſſe veterum Traditionem. Sed à ſe reputari quaſi talem.*

406 Noviſſimè, & nuperrimè Reverendiſſimus Pater D. Hieronymus Contador de Argote ex noſtris Cle-

ricus

ricus Regularis, unus ex quinquaginta viris Regalis Academiæ Historiæ Lusitanæ, vir studiis deditissimus, Latinis, Græcisque literis instructus, de Republicâ literariâ non uno tantùm volumine benemeritus, cui comissum est à Regali Academiâ scribere monumenta ad Historiam Primatialis Ecclesiæ Bracharensis, etiam eâdem ratione ostendit, illud argumentum deductum ex Traditione Apollonii refelli posse; namque in Opusculo Lusitanè scripto, cui titulus: *Dissertaçaõ da Vinda de Santiago a Hespanha, provada, e sustentada com a Doutrina do Maximo Doutor S. Jeronymo*, fol. 19. postquam eruditè exposuit significationes illius Græcæ particulæ, subjungit:

> *E assim da authoridade de Eusebio naõ se póde inferir, que aquella narraçaõ de Apollonio fosse verdadeira Tradiçaõ, mas huma opiniaõ, que disso tinha alguma semelhança, a qual porèm naõ cria o mesmo Eusebio.*

Quæ verba sic Latinè efferuntur:

> *Itaque ex authoritate Eusebii non potest inferri illam narrationem Apollonii fuisse veram Traditionem; sed tantum fuisse quandam opinionem non nihil Traditioni similem, cui tamen non credebat ipse Eusebius.*

Ex dictis manifestè patet argumentum illud de Traditione moræ Hierosolymitanæ duodecim annorum, non roborari authoritate Eusebii.

407 Neque insolitum, vel novum est, nonnulla recipi quasi Traditiones, quæ tamen Traditiones non possunt esse propter insuperabilem contradictionem, ortam ex pugnâ cum testimonio, vel facto quopiam certissimo, & indubitato; ut sunt illa, de quibus Sanctus Hieronymus in caput 1. Aggæi ait:

> *Sed & alia, quæ absque authoritate, & testimoniis Scripturarum, quasi Traditione Apostolicâ spontè reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.*

Hinc

408 Hinc eſt, quòd non ſolùm beneficio Critices, ſed etiam ope Hiſtoriæ perſpicitur, Euſebium non credidiſſe illi quaſi Traditioni, vel ſomnio Traditionis, quia Euſebius in Chronico ad annum Chriſti trigeſimum octavum ſcripſit:

*Petrus Apoſtolus Antiochenam Eccleſiam fundavit, ibique Cathedram adeptus.*

Et ad annum Chriſti 44. ſcripſit:

*Petrus Apoſtolus natione Galilæus Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primum Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur.*

409 Cathedra autem Antiochena, juxta Euſebium fundata à Sancto Petro anno Chriſti trigeſimo octavo (hoc eſt quinque annis à morte Chriſti) ſtare non poteſt cum commoratione Apoſtolorum per duodecim annos: ergo Euſebius, qui aſſeruit eam Cathedram erectam eo anno, non credidit illi exiſtimatæ Traditioni de morâ duodecim annorum Jeroſolymis.

410 Denique non eſt omnino certum, Euſebium eo loco ſcripſiſſe potius duodecim annos, quàm duos annos; nam proclive fuit ut Librarius pro duobus annis ſcripſerit duodecim annos, præſertim, ſi hos numeros ſcripſit non extenſis dictionibus, ſed notis numeros indicantibus, & pro *B.* quod ſignat duos, ſcripſerit I *B.* quæ ſignant duodecim, vel per errorem, vel datâ operâ addendo iota, quod ſuſpicatus eſt eraſum fuiſſe ab authographo, vel non viſum propter minimam illius caracteris, ſeu notæ figuram. Quod libentiùs crediderim, quàm Apollonium, vel Euſebium erraſſe, cum pro anno ſecundo duodecimum ſcripſerit, ut exiſtimavit Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico Diſſert. 2. de Sedibus Antiochenâ, & Romanâ numero 2. Iſte autem numerorum error potuit etiam irrepſiſſe in Exemplaria Græca

Digitized by Google

Græca Clementis Alexandrini, & hinc profluere in translationes Latinas tam Clementis, quàm Eusebii, ex quibus illum hauserint alii, qui postea scripserunt de his duodecim annis, quos proinde non est certum scriptos fuisse ab Eusebio, si res appendatur ad lancem criticam, cum illis duodecim annis repugnet Historia.

## ASSERTIO XVIII.

### *Traditio de Apostolorum morâ Hierosolymis per duodecim annos, non roboratur authoritate S. Thraseæ Martyris.*

411 FAcili negotio (prælucente Critice) probandum est Traditionem, de quâ loquimur, non roborari authoritate Sancti Thraseæ Martyris; Eusebius enim, qui hujus narrationis Apollonii meminit, & ex ipso Apollonio etiam meminit Thraseæ Martyris, non dicit Traditionem acceptam fuisse per istum Martyrem, ab illoque ad Apollonium transmissam; nam lib. 5. Histor. Eccles. cap. 17. juxta versionem Joannis Christophorsoni, loquens de Apollonio, inquit:

> *Porrò Thraseæ cujusdam* ex numero Martyrum, *qui tum erat, meminit. Præterea ait se Traditione accepisse Servatorem mandatum suis dedisse Apostolis, ne ad duodecim annos decederent.*

Juxta versionem verò Henrici Valesii lib. 5. cap. 18. ait:

> *Meminit etiam cujusdam Thraseæ, qui circa hæc tempora Martyr fuit. Ad hæc tamquam ex veterum Traditione hæc refert, Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent.*

Eusebio consonat Nicephorus Callistus Historiæ Ecclesi-

aſticæ lib. 4. cap. 25. juxta verſionem Joannis Langi, ubi totidem penè verbis de Apollonio ſcribens, ait:

> *Meminit quoque Thraſeæ cujuſdam Martyris. Præterea ex veterum Traditione ſe accepiſſe ſcripſit, Chriſtum Apoſtolis præcepiſſe, ut ne ante duodecimum annum Hieroſolymis diſcederent.*

Ex his apertè conſtat, non ſcribi eam Traditionem fuiſſe affirmatam à Martyre Thraſea, ſed ſolùm ab Apollonio; unde nullum robur poteſt accipere ab authoritate Martyris, à quo non eſt relata.

412 Non ignoro, non ſolùm Salmeronem, & Tirinum, ſed etiam Mariannam, & Cardinalem Bellarminum adſcripſiſſe Traditionem illam Thraſeæ Martyri, ſed fortaſsè nullus eorum adiit exemplaria Græca Euſebii, & omnes decepti ſunt verſione Ruffini editionis Baſileenſis Henrici Pieri, in quâ contra Græci Codicis fidem tribuitur Thraſeæ Martyri ea Traditio, nam lib. 5. cap. 18. loquens de Apollonio, ait:

> *Meminit autem, & Thraſeæ cujuſdam Martyris, qui quaſi ex Traditione priorum ſe accepiſſe aſſerit, Salvatorem præcepiſſe Apoſtolis ſuis, ut ne ante duodecimum annum ab Hieroſolymis diſcederent.*

Quæ verſio maximè diſſidet à Græco exemplari, ut patebit componenti Latina Ruffini cum Græcis Euſebii.

413 Sed demus, eam Traditionem fuiſſe affirmatam à Sanctiſſimo Martyre Thraſea; num ideo fateri cogimur ipſam eſſe indubitatam? Minimè ſuſpicabor Sanctiſſimum Virum voluiſſe fallere; ſed unde adigar ad aſſerendum, ipſum non potuiſſe falli? Thraſeam lego Martyrem, ſed non lego virum ſolertiſſimum, non lego Sapientiſſimum, non lego Doctiſſimum; unde igitur perſuadebor, non potuiſſe falli Thraſeam unum tantum hominem, eumque privatum. Licèt Sanctus fuerit, & Martyr. Ut Martyr

eſt

est idoneus veritatis Fidei testis, nam ut ait D. Augustinus enarratione in Psalm. 118. Serm. 9. n. 2.

> *Illos, qui propter testimonium Christi, diversis passionibus humiliati sunt, & usque ad mortem pro veritate certarunt, non testes, quod Latinè utique possumus, sed Græcè Martyres appellamus.*

Sed non ideo quia Martyr, est eo ipso indubitatus testis veritatis ad Fidem non spectantis.

414 Dici potest, hunc Sanctum Martyrem Thraseam fuisse non privatum hominem, sed Episcopum Eumeniæ, apud Smyrnam martyrio consummatum, cujus meminit Martyrologium Romanum die 5. Octobris, de quo Baronius in Notis ad Martyrologium scribit mirificè nobilitatum esse ob egregia certamina contra Cataphrygas suscepta. Sed quare Apollonius non meminit illius ut Episcopi, sed tantùm ut cujusdam Martyris? Quare Eusebius, illius, ut cujusdam Martyris lib. 5. Historiæ cap. 18. cùm tamen cap. 24. ejusdem libri, ex Epistolâ Polycratis ad Papam Victorem, inter magna quædam lumina, quæ in Asiâ extincta sunt, ab ipso numeretur *Thraseas Eumeniæ Episcopus, & Martyr, qui Smyrnæ requievit*? Eodem modo, & ejusdem penè verbis loquitur Nicephorus Callistus lib. 4. Histor. Eccles. cap. 25. de Thrasea Apollonii: *Meminit quoque Thraseæ cujusdam Martyris.* De Thrasea autem Eumeniæ Episcopo, cap. 23. ejusdem libri ait:

> *Præterea Polycarpus Smyrnensis Episcopus, & Martyr, item Thraseas Eumeniæ Episcopus, idemque Martyr, Smirnæ morte sopiti sunt.*

Si unus erat Thraseas Martyr, & Episcopus, cur utrobique non vocatur Episcopus? Observo in Nicephori versione, Thraseam Apollonii scribi per *e* simplex, Thrasæam verò Episcopum scribi per *æ* diphtongum; unde possum inferre diversitatem, sed id fortasse fuerit error, vel inter-

pretis, vel Typographi, nam Nicephorum Græcè non legi: & in Græco Euſebii utroque loco Thraſeas habet in penultimâ *e* tenue.

415 Etiamſi concedamus hunc Thraſeam fuiſſe Sanctum, & Epiſcopum, num ideo impoſſibile eſt, fuiſſe falſam Traditionem ab illo aſſertam? Sanctus fuit, Epiſcopus fuit Papias; qui (ut legitur apud Euſebium libro 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 39.) *in proœmio librorum ſuorum, ſe quidem Sanctorum Apoſtolorum ſpectatorem, atque auditorem fuiſſe non dicit: ſed ab eorum familiaribus normam Fidei ſe accepiſſe teſtatur his verbis: Nec pigebit, inquit, ea, quæ quondam à ſenioribus didici, ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus noſtris adſcribere, ut veritas eorum noſtrâ quoque aſſertione firmetur. Non enim, ut plerique ſolent, eos unquam ſectatus ſum, qui verbis affluerent, ſed eos potius, qui verum docerent: nec eos, qui nova quædam, & inuſitata præcepta, ſed illos; qui Domini mandata in figuris tradita, & ab ipſâ veritate profecta memorabant.*

416 Quiſnam Author dignior fide videbitur, quàm Sanctus, & antiquiſſimus hic Epiſcopus Papias? Præſertim ſi attendantur fontes, ex quibus dicit ſe hauſiſſe, quæ ſcripſit; proſequitur enim:

> *Quod ſiquis interdum mihi occurrebat, qui cum ſenioribus verſatus fuiſſet, ex eo curioſè ſciſcitabar, quænam eſſent ſeniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Mattheus, quidnam cæteri Diſcipuli Domini dicere ſoliti eſſent: quidnam Ariſtion, & Joannes Presbyter, Diſcipuli Domini prædicarent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere poſſe exiſtimabam, quantam ex hominum adhuc ſuperſtitum vivâ voce.*

417 Et tamen antiquiſſimus hic Author, Epiſcopus, & Sanctus aliquot ſcripſit Traditiones falſas; audiamus Euſebium eodem loco de Sancto Papia loquentem. *Idem*

*præterea*

Digitized by Google

*præterea Scriptor* (Sanctus Papias) *alia nonnulla nudæ vocis Traditione ad se perveniſſe teſtatur, novas quaſdam ſcilicet Servatoris parabolas, ac prædicationes, aliaque fabulis propiora. Inter quæ & mille annorum ſpatium, poſt corporum reſurrectionem fore dicit, quo Regnum Chriſti corporaliter ſtet in Orbe terrarum.*

418 Si Sanctus Papias Epiſcopus plures Traditiones falſas ſcripſit, quidni unam falſam Traditionem ſcripſerit Sanctus Thraſeas Epiſcopus? Si Sanctus Papias deceptus eſt circa mille annos, quidni deceptus etiam fuerit Sanctus Thraſeas circa duodecim annos?

419 Sed fuerit idem Martyr, & Epiſcopus, nunquid ideo quidquid dixerit, vel ſcripſerit in re Hiſtoricâ, erit indubitata fidedignum? Nunquid eo ipſo quòd Martyr, & Epiſcopus, adigemur ad credendum Traditioni ab ipſo prolatæ? Sanctus erat, Martyr fuit, Epiſcopus extitit, non Eumeniæ tantùm, ſed totius Orbis, utpote Pontifex Romanus Sanctus Anicetus I. Epiſtol. ad Epiſcopos Galliæ, quæ extat 1. tomo Conciliorum Collectionis Binii, pag. 27. ait:

> *Scimus enim Beatum Jacobum, qui dicebatur Juſtus, qui etiam ſecundùm cărnem frater Domini nuncupatus eſt à Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis. Hieroſolymorum Epiſcopum eſſe ordinatum; ſi autem non minus, quàm à tribus Apoſtolis tantus Vir fuit ordinatus Epiſcopus: patet profectò*, eos formam, inſtituente Domino, tradidiſſe, *non à minus quàm tribus Epiſcopis, Epiſcopum ordinari debere.*

420 Et tamen certum eſt, hanc non fuiſſe Traditionem Divinam Chriſti Domini, neque Apoſtolicam Sanctorum Petri, Jacobi, & Joannis; tunc enim conſtituiſſet legem, in quâ Romanus Pontifex non poſſet diſpenſare, & certum eſt ſæpius Romanos Pontifices, eoſque Sanctiſſimos conceſſiſſe, ut Epiſcopi conſecrarentur à paucioribus

ribus, quàm à tribus Epiſcopis; nam Sanctus Gregorius Magnus conceſſit Anglis, ut conſecratio fieret ab uno Epiſcopo. Sanctus Pius V. conceſſit, ut in Indiâ Occidentali conſecraretur Epiſcopus Electus ab uno tanto Epiſcopo, aſſiſtentibus duobus Canonicis, ut teſtatur Machadus tom. 1. lib. 4. part. 6. tract. 2. docum. 6. n. 4. & 5. Gregorius XIII. conceſſit Patriarchæ Æthiopiæ, ut ab uno Epiſcopo conſecraretur, ut teſtatur Henriques in Summâ lib. 10. de Ordinat. cap. 24. Et ut alios prætéream; ætate noſtrâ conceſſit Clemens X. ut aliquot Epiſcopi conſecrarentur in Luſitaniâ à ſolo Archiepiſcopo Sidonienſi Nuntio Apoſtolico, aſſiſtentibus duobus aliis non Epiſcopis, ut videre eſt apud Nogueira de Bullâ Cruciatâ Diſput. 1. Sect. 5. n. 29. Ergo dicendum eſt, Traditionem illam relatam à Sancto Aniceto Romano Pontifice, & Martyre non fuiſſe certam, non obſtante illius ſanctitate, martyrio, & Summo Pontificatu.

421 Sed quia Critici dubitant de hâc Sancti Aniceti Papæ, & Martyris Epiſtolâ, lubet adducere exemplum Sancti Irenæi Epiſcopi, & Martyris, de cujus operibus nemo dubitat; qui lib. 2. adverſus hæreſes, capite 39. aſſerit, Chriſtum mortuum fuiſſe cùm eſſet ætatis quadraginta, aut quinquaginta annorum, de quâ loquens, ait:

> *Quam habens Dominus noſter, docebat, ſicut Euangelium, & omnes ſeniores teſtantur, qui in Aſiâ apud Joannem diſcipulum Domini convenerunt, id ipſum tradidiſſe eis Joannem. Permanſit autem cum eis uſque ad Trajani tempora. Quidam autem eorum, non ſolùm Joannem, ſed & alios Apoſtolos viderunt, & hæc eadem ab ipſis audierunt, & teſtantur de hujuſmodi relatione.*

Quo cernitur, Sanctum Irenæum fuiſſe deceptum circa ætatem Chriſti, ex Traditione cognitam, ſicuti illi, quos ſuppreſſis nominibus refellit Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Doctrinâ

Doctrinâ Christianâ cap. 28. qui ex ignorantiâ Historiæ existimarunt, Christum Dominum quadraginta sex annorum ætate passum: deceptus est Traditione falsâ Sanctus Irenæus Episcopus, & Martyr, & Pater secundi sæculi, discipulus Sancti Polycarpi, qui fuit discipulus Sancti Joannis Apostoli, quidni deceptus fuerit Traditione falsâ Sanctus Thrasæas Episcopus, & Martyr, ætate recentior?

422 Sed quorsum ego advoco aliorum exempla, cùm habeam exemplum Sancti Thrasææ Episcopi, & Martyris, nam ipse Thrasæas Episcopus, & Martyr cum pluribus aliis Episcopis Asiæ ratus est, habuisse Traditionem de celebrando Paschate lunâ quartadecimâ; ut scribit Polycrates apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. & apud Sanctum Hieronymum de Scriptoribus Ecclesiasticis §. de Polycrate; & tamen ista pretensa Traditio erat contraria Traditioni Apostolorum, ut testatur idem Eusebius eodem libro cap. 23. Igitur in materiâ Traditionis vel Thrasæas, aliique decepti sunt, vel Eusebius deceptus est, quodcumque detur, elevat authoritatem Traditionis, quæ Thrasææ tribuitur, & ab Eusebio refertur; nam si Thrasæas deceptus est in unâ Traditione, non datur maior ratio, cur non vereamur deceptum fuisse in aliâ; idem dicendum, si Eusebius deceptus. Unde igitur cogemur credere, fuisse certam illam Traditionem de præcepto impositio Apostolis, ne ante duodecim annos egrederentur Hierosolymis, licèt eam asseruerit Thrasæas Sanctus, Martyr, & Episcopus? Ergo ea Traditio nullo modo roboratur authoritate Sancti Thrasææ Martyris.

ASSER-

Digitized by Google

# ASSERTIO XIX.

## *Traditio de Apoſtolorum mora Hieroſolymis non roboratur authoritate Sancti Apollonii Martyris.*

423 POſtquam oſtendimus, illam Traditionem immeritò attribui Sancto Thraſeæ Martyri, vidimuſque, illam ex eo capite nullam ineluctabilem vim accipere, ſequitur demonſtrandum, multò minus illam accipere ab authoritate Sancti Apollonii Martyris; quod paucis conficio ope Critices, & Hiſtoriæ.

424 Nam Apollonius, quem de illâ Traditione ſcripſiſſe refert Euſebius, non fuit Sanctus Apollonius ille, de quo mentio eſt in Martyrologio Romano die 18. Aprilis per hæc verba:

> *Romæ Beati Apollonii Senatoris, qui ſub Commodo Principe, & Perennio Præfecto à ſervo proditus, quòd Chriſtianus eſſet, juſſus, ut rationem Fidei ſuæ redderet, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit, & nihilominus ſententiâ Senatûs pro Chriſto capite truncatus eſt.*

425 Quàm diverſus autem fuerit ab iſto Sanctiſſimo Martyre Apollonio, Apollonius ille, qui de Traditione duodecim annorum ſcripſit, patet ex Divo Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de utroque ſcribit. De Martyre ſiquidem ait:

> *Apollonius Romanæ urbis Senator ſub Commodo Principe, à ſervo Severo proditus, quòd Chriſtianus eſſet impetrato, ut rationem Fidei ſuæ redderet, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit, & nihilominus ſententiâ Senatûs pro Chriſto capite truncatus eſt.*

De

De Apollonio autem, qui Traditionis illius dicitur meminisse, jam dixerat:

> *Apollonius vir disertissimus scripsit adversus Montanum, Priscillam, & Maximillam insigne, & longum volumen.*

Et infra:

> *Dicit in eodem libro quadragesimum esse annum, usque ad tempus, quo ipse scribebat librum, ex quo hæresis Cataphrygarum habuerit exordium.*

Et denique subjungit, Tertullianum elaborasse librum adversus Apollonium.

426 Distinctio utriusque Apollonii, jam ante Sanctum Hieronymum colligi poterat ex Historiâ Eusebii, nam de Sancto Apollonio Martyre lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 21. editionis Valesianæ ait:

> *Denique Romæ Apollonium quendam è numero Fidelium, qui in humanioribus literis, & in Philosophiâ eximius habebatur, in judicium adduxit, &c.*

Vel ut habet versio Christophorsoni:

> *Apollonium virum inter Fideles politioris literaturæ studiis, & Philosophiæ notitiam plurimum celebratum, in judicium adducit.*

De Apollonio autem, quem illam Traditionem duodecim annorum asserit referre, ait eodem libro 5. cap. 18. ejusdem versionis:

> *Sed & Apollonius Ecclesiasticus Scriptor supradictam Cataphrygarum hæresim adhuc suâ ætate vigentem refutare aggressus, peculiare adversus eos volumen condidit.*

Constat igitur ex Sancto Hieronymo, & ex Eusebio, duos olim fuisse Apollonios, alterum Scriptorem Ecclesiasticum, alterum humanioribus literis celebrem; hunc coronâ martyrii redimitum, illum, quem Martyrem fuisse non constat; & hic est, quem Eusebius asserit de eâ Traditione duodecim annorum referre.

427 Sed nemo meliùs nobis hanc duplicis Apollonii differentiam demonſtrabit, quàm alter eorum, nempe Apollonius Scriptor Eccleſiaſticus, ipſe illius Traditionis Scriptor, ex quo Euſebius hæc deſcripſit lib. 5. cap. 17. verſionis Chriſtophorſoni:

> *Idem iſte Apollonius in eodem libro commemorat, quòd quadrageſimus jam annus, in quo quidem ad hoc opus ſcribendum ſe contulit, agebatur, ex quo Montanus illam confictam, & commentitiam prophetiam inceperit.*

Sed hæreſis Montani incepit circa annum decimum nonum Antonini Pii, ut ait Sanctus Epiphanius contra hæreſim 48. quæ eſt Phrygaſtarum, ſive Montaniſtarum. Annus autem decimus nonus Antonini Pii eſt annus centeſimus quinquageſimus ſeptimus à Nativitate Chriſti, quo erat Romanus Pontifex Sanctus Pius, ad quem delata fuit hæreſis Montani.

428 Si autem anno centeſimo quinquageſimo ſeptimo addantur quadraginta anni, poſt quos Apollonius ſuum opus contra Montaniſtas incepit, cognoſcemus, cœpiſſe ſcribere anno centeſimo nonageſimo ſeptimo, ſub Pontifice Romano Sancto Victore Africano, imperante Septimio Severo, qui ſucceſſit Didio Juliano, cujus prædeceſſor fuerat Ælius Pertinax, qui Imperium accepit invitus poſt mortem Commodi, ſub quo Martyrio coronatus fuerat Sanctus Apollonius; Commodus autem ſtrangulatus fuit die ultimo anni Domini centeſimi nonageſimi ſecundi. Ac proinde in propatulo eſt, deceptos fuiſſe eos, qui hos duos Apollonios in unum, eumque Martyrem conflarunt. Conſtatque illam Traditionem duodecim annorum nullo pacto roborari poſſe authoritate Sancti Apollonii Martyris, qui jam ad ſuperos aliquot annos ante evolaverat, quàm alter Apollonius de illâ Traditione ſcriberet.

Quid

429 Quid si dixerim, librum Apollonii (quicumque iste fuerit) fuisse corruptum ab Hæreticis, qui, teste Eusebio lib. 5. cap. 27. versionis Joannis Christophorsoni, corruperunt exemplaria Sacræ Scripturæ, quæ Apollonii dicebantur? sed hoc prætermitto, quòd aliæ versiones, imò & editiones, pro Apollonio, Apollonidem substituunt.

430 Sed etiam si illa Traditio fuisset asserta à Sancto Apollonio Martyre, non eo ipso redderetur indubitata ob eandem rationem, quam supra exposuimus, cùm de Sancto Thrasea Martyre.

## ASSERTIO XX.

### *Traditio de Apostolorum morâ Hierosolymis per duodecim annos non roboratur authoritate S. Clementis Alexandrini.*

431 GRavissimum utique pondus haberet illa Traditio, si à Sancto Clemente Alexandrino scripta fuisset; utpote à Viro Doctissimo Panteni auditore, & Origenis Magistro, cujus, ut ait Sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, *feruntur insignia volumina, plenaque eruditionis, & eloquentiæ tam de Scripturis Divinis, quàm de sæcularis literaturæ instrumento.* Sed illam Traditionem non fuisse scriptam à Clemente Alexandrino asserendum duxi, hocque meum assertum à me ope Criticæ probandum, habeo polliceri.

432 Quòd Sanctus Clemens, scribens de Apostolorum morâ Hierosolymis per duodecim annos, non ex suâ, sed ad summum ex aliorum mente loquatur, facilè cognoscet, qui legerit Clementis Alexandrini Stromatum

lib. 6. qui extat in Bibliothecâ PP. editionis Aniſſonianæ anni 1677. tom. 3. pag. 176. col. 2. g. ubi ait:

> *Propterea dixit Petrus, Dominum dixiſſe Apoſtolis; Si-quis ergo velit ex Iſrael duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittuntur ei peccata poſt duodecim annos. Egredimini in mundum, ne quis dicat non audivimus.*

Nam apertè cernitur, quòd quidquid illud eſt, quod hîc ſcribitur de duodecim, ſcribitur, non ex mente Clementis, qui ſcribit, ſed ex mente, & ſententiâ Petri, qui dixit. Ex ſententiâ Petri, cujus eſt Prædicatio eo loco ſæpiùs citata. Cujus autem Petri fuerit hæc Prædicatio, dicit Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſiaſticæ ſæculo 2. cap. 7. art. 7. §. 1. pag. 305. ſe ignorare; quod maximoperè miror in Viro Doctiſſimo, & Clementi Alexandrino addictiſſimo, à cujus calamo, & ore audit *Sanctus Clemens*; cùm omnibus conſtet *Prædicationem Petri* eſſe librum apochryphum, à primis naſcentis Eccleſiæ ſæculis affictum Petro Principi Apoſtolorum. Cujus jam olim meminerunt Euſebius Cæſareenſis lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 3. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ubi dicit, Prædicationem Petri eſſe tertium librum inter Apochryphos Principis Apoſtolorum nomine editos. De eo etiam meminit Syxtus Senenſis Ordinis Prædicatorum in Bibliothecâ Sanctâ lib. 2. verbo *Petrus Apoſtolus*, pag. 91. mihi. Et Paulus Minerva ejuſdem Ordinis, in libello de libro Apochrypho, verbo *Petri Apoſtoli Prædicatio*, pag. 89. mihi.

433 Nullus verò Scriptor authoritatem tribuit iis rebus, quas ex mente aliorum ſcribit, ut frequenter dici ſolet de variis ſententiis, quæ leguntur in libris Sanctorum Patrum, quibus illi non dicuntur adhærere, licèt eas referant. Benè igitur potuit Sanctus Clemens Alexandrinus

Digitized by Google

nus eam ſententiam de duodecim annis (quæcumque illa ſit) referre ex Prædicatione Petri, quin ipſi ſubſcriberet, neque illi ullum pondus adderet.

434 Dixi (quæcumque illa ſit) quia non eſt certum eo loco apud Sanctum Clementem Alexandrinum haberi præceptum de exeundo Hieroſolymis poſt duodecim annos, legendo: *Poſt duodecim annos egredimini*, non verò promiſſionem veniæ poſt duodecim annos à converſione legendo: *Remittuntur ei peccata poſt duodecim annos*; ut legitur in correctiſſimis editionibus Clementis Alexandrini, ut jam obſervatum eſt à noſtro Academico Patre Hieronymo Contador Clerigo Regulari. Quâ lectione, & diſtinctione corruit tota vis argumenti deducti ex Clementis Alexandrini loco.

435 Sed mihi neceſſarium non eſt uti hâc ſolutione, neque aliis adductis eruditiſſimè, & acutiſſimè à Patre Contador; ut refellam argumentum deductum ab authoritate Sancti Clementis Alexandrini: teneo enim, ipſum non deſcripſiſſe ea fragmenta Prædicationis Petri, quæ in illius libris reperiuntur, ſed aſſuta fuiſſe ab Hæreticis Sancti Clementis Stromatis; idque pluſquam centum annos à morte Sancti Clementis; nam tempore Euſebii Cæſareenſis, qui obiit anno quarti ſæculi quadrageſimo, non legebantur in Operibus Clementis Alexandrini fragmenta Prædicationis Petri, quæ nunc in illis reperiuntur; neque enim Sanctus Clemens unquam uſus eſt teſtimonio deſumpto ex Prædicatione Petri, ut neceſſariò colligitur ex verbis Euſebii Cæſareenſis lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 3. ubi ait:

> *Librum verò, qui Actus Petri dicitur, & Euangelium ejus nomine inſcriptum, Prædicationis quoque, & Revelationis ejuſdem libros pro Catholicis ſcriptis nunquam eſſe habitos conſtat: quandoquidem nec vetuſtiorum quiſquam,*

*quam, nec recentiorum Eccleſiæ Scriptorum deſumpto ex iis libris teſtimonio uſus fuit.*

Ex quâ Euſebii ſententiâ hoc argumentum conficio: nullus Scriptor Eccleſiaſticus uſus fuit teſtimonio deſumpto ex Prædicatione Petri, ut teſtatur Euſebius: ſed Sanctus Clemens Alexandrinus fuit Scriptor Eccleſiaſticus, ut nemo negabit: ergo Sanctus Clemens Alexandrinus non eſt uſus teſtimonio deſumpto ex Prædicatione Petri. Ergo ea fragmenta, ſive eæ laciniæ Prædicationis Petri, quæ nunc videntur in libris Sancti Clementis Alexandrini, fuerunt aſſuta poſt mortem non ſolùm Sancti Clementis, ſed etiam Euſebii multò poſterioris, pluſquam centum annos.

436 His conſonat, quæ ſcribit Vir Doctiſſimus, qui latere voluit ſub nomine D. Andreæ Durana in Defenſione adventûs, & prædicationis Sancti Jacobi Maioris in Hiſpaniâ pag. 26. ubi dicit, ſibi videri non fore temerarium judicium illius, qui crederet illa, quæ dicuntur de Apoſtolis non exeuntibus Jeroſolymis ante duodecim annos fuiſſe intruſa in libros Sancti Clementis Alexandrini, & Apollonii à quopiam Hæretico è grege Montaniſtarum, à quibus non admittebantur ad pœnitentiam illi, qui gravem culpam commiſerant; ſic enim Hæretici illi volebant oſtendere ſe rigidè obſervare purum Euangelium.

437 Prudenter ſuſpicatur Durana, hanc fabulam introductam fuiſſe à Montaniſtis, qui, teſte Sancto Epiphanio, contra hæreſem 48. erant *addicti ſpiritibus erroris, & fabuloſitatis*: ſed de quibuslibet aliis Hæreticis antiquis poſſumus ſuſpicari illam fabulam intruſiſſe, nam ut ait Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis lib. 3. de Summo Bono cap. 12. ſententiâ 6.

*Tanta eſt Hæreticorum calliditas, ut falſa veris, bonaque malis*

*malis permiſceant : ſalutaribuſque rebus plerunque erroris ſui virus interſerunt, quo faciliùs poſſint, pravitatem perverſi dogmatis ſub ſpecie perſuadere veritatis.*

438 Cùm autem liber ille inſcriptus *Prædicatio Petri* ſit fœtus Hæreticorum Ebionitarum, ut ait Dupin; nil mirum eſt in illo reperiri Traditionem falſam; in more enim poſitum habent Hæretici Traditiones confingere, ut Divus Hieronymus in caput primum Aggæi, de Hæreticis loquens, ait:

*Sed & alia, quæ abſque authoritate, & teſtimonio Scripturarum, quaſi Traditione Apoſtolicâ ſponte recipiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.*

439 Et expreſsè de Ebionitis refert Sanctus Epiphanius contrà Hæreſim 30.

*Utuntur autem & aliis libris, nimirum circuitionibus Petri appellatis per Clementem ſcriptis, multa corrumpentes in ipſis, & pauca vera relinquentes.*

En quantum roboratur illa quaſi Traditio Apollonii authoritate Sancti Clementis Alexandrini, qui nihil de illâ ſcripſit, neque ex ſuâ, neque ex aliorum mente.

## ASSERTIO. XXI.

*Traditio illa de morâ Apoſtolorum Hieroſolymis per duodecim annos non roboratur authoritate S. Clementis Alexandrini. Quatenus ille ea, quæ ſcripſit, excepit ab illis, qui ipſa acceperunt à diſcipulis Apoſtolorum.*

440 SUpervacaneum videri poterit tempus inſumere in diluendo iſtiuſmodi argumento, poſt-

poſtquam oſtendimus, Sanctum Clementem Alexandrinum nihil deſumpſiſſe ex Prædicatione Petri; ſed poſcit ordo doctrinæ, ut diſſipemus etiam illam authoritatis ſpeciem, quam præ ſe fert commemoratio priſcorum hominum, qui à diſcipulis Apoſtolorum acceperunt ea, quæ poſtea Sanctum Clementem docuerunt.

441 Certum eſt; Patres eò maiorem authoritatem habere, quò antiquiores fuerunt, Chriſtoque, & Apoſtolis propiores; ex hoc autem capite magna eſt apud omnes Sancti Clementis Alexandrini authoritas, qui cùm vixerit initio tertii ſæculi, audire potuit auditores eorum, qui Apoſtolorum extitere diſcipuli, graviſſimumque pondus acceſſurum eſſe videretur illi Traditioni de morâ Apoſtolorum Hieroſolymis per duodecim annos, ſi à Sancto Clemente ſcriberetur tamquam acceptâ à maioribus, qui ſe illam ab Apoſtolorum diſcipulis accepiſſe teſtarentur.

442 Dixi *Videretur*, nam non ideo indubitata dicenda eſſet ea Traditio, quia ab Apoſtolorum diſcipulis profecta; non enim omnes Apoſtolorum diſcipuli extiterunt teſtes digni, quibus à cordatis hominibus crederetur; nam penè omnes Hæretici primi ſæculi fuerunt auditores Apoſtolorum, & tamen plurima per Orbem ſparſerunt monſtruoſiſſima mendacia. Non equidem credo, Sanctum Clementem Alexandrinum, qui fuit Vir Sapientiſſimus, ab ullo horum deceptum fuiſſe; ſcio enim, ipſo docente, quinam fuerint fontes, unde manarunt illius doctrinæ flumina; ait enim lib. 1. Stromatum:

> *Non eſt autem* hoc *ſcriptura artificioſè comparata ad oſtentationem, ſed mihi ad ſenectutem reconduntur monimenta, oblivionis medicamentum, verè imago, & adumbratio evidentium, & animatarum illarum orationum, quas dignus habitus ſum, qui audirem, & VIRORUM BEATORUM QUIQUE RE VERA ERANT*

*ERANT MAXIMI PRETII, ET ÆSTIMATIONIS, horum unus quidem in Græciâ Jonicus, alii verò in Magnâ Græciâ. Alter eorum erat ex Cœlesyriâ, alter ex Ægypto, alii autem ex Oriente, & ejus alter quidem Assyrius, alter verò in Palæstinâ Hebræus, ex alto ductâ origine. Cùm autem in eum ultimum incidissem, erat autem primus potestate, conquievit in Ægypto, venans ea, quæ latuerant. Sicula revera apis, Prophetici, & Apostolici prati flores decerpens, synceram quandam, & incorruptam cognitionem ingeneravit eorum, qui audiebant animis. Sed qui veram quidem beatæ doctrinæ servabant Traditionem, statim à PETRO, ET JACOBO, ET JOANNE, ET PAULO Sanctis Apostolis, ita ut filius acciperet à patre (pauci autem sunt patribus similes) ad nos quoque, Deo volente, pervenerunt, illa à maioribus data, & Apostolica deposituri semina.*

443 Cùm verò illa, quæ apud Clementem Alexandrinum (quæcumque illa sint) de illis duodecim annis descripta sint ex libro inscripto *Prædicatio Petri*, ut constat ex lib. 6. Stromatum Clementis, ubi ea Prædicatio Petri frequenter citatur, scilicet: *Dicit Petrus in Prædicatione: Cognoscite ergo &c.* & iterum: *Deinde subjungit* &c. *Ipse Petrus explanabit, subjungens* &c. *Sic rursus infert hoc modo* &c. *Præter Petri Prædicationem* &c. & tandem: *Propterea dicit Petrus, Dominum dixisse Apostolis: Si quis* ergo velit ex Israel, & propter nomen meum *credere in Deum, remittuntur ei peccata post duodecim annos* &c. Item verò in Petri Prædicatione dicit Dominus &c. *Unde etiam Petrus in Prædicatione loquens de Apostolis, dicit* &c. *Et paulo post rursus infert Divinâ Providentiâ factas esse Scripturas, sic referens: Sciebamus enim Deum hæc verè jussisse: & absque Scripturâ nihil dicimus.* Et cùm Prædicatio Petri non sit liber alicujus Authoris, qui

ſuam doctrinam exceperit ab Apoſtolis, vel ab eorum diſcipulis, ſed liber apochryphus, ſcriptus ab Hæreticis, & continens errores Ebionitarum, ut obſervat Dupin; vel ſanè corruptus ab Ebionitis, de quibus & illud ait Sanctus Epiphanius contra trigeſimam ſectam:

> *Utuntur autem & aliis libris, nimirum Circuitionibus Petri appellatis, per Clementem ſcriptis, multa corrumpentes in ipſis, & pauca vera relinquentes.*

Et infra de ipſis Ebionitis:

> *Itaque in Circuitionibus totum in ſe ipſos tranſtulerunt, mentientes contra Petrum multis modis.*

Benè ſequitur, illos duodecim annos, qui reperiuntur in libro Clementis Alexandrini, non accipere pondus ab authoritate eorum, qui audierunt diſcipulos Apoſtolorum, unde tantum abeſt, ut ea Traditio relata ab Apollonio roboretur ab antiquitate, & ſynceritate doctrinæ S. Clementis Alexandrini, ut imò potiùs inde locus detur ſuſpicioni, eam Traditionem intruſam fuiſſe in librum Apollonii ab Hæreticis, ſicut intrúſa fuit in librum Clementis. Fortaſsè enim jam antiqui Hæretici commenti ſunt illam Traditionem, ut illâ uterentur ad inferendum bellum Eccleſiæ, ſicuti Lutherani, & Calviniſtæ utuntur eâdem Traditione ad oppugnandam Eccleſiam Romanam, ut videre eſt apud Cardinalem Bellarminum lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 6. §. *Præterea.*

# ASSERTIO XXII.

## *Traditio de commoratione Apostolorum Hierosolymis per duodecim annos non roboratur fide, quæ adhibenda est Traditioni de conversione Accusatoris Sancti Jacobi Maioris.*

444 QUi roborare intendit authoritate Clementis Alexandrini, Traditionem de commoratione Apostolorum Hierosolymis per duodecim annos, hoc etiam utitur argumento:

> *Si hæc Traditio Clementis Alexandrini nihil valet, nihil etiam valebit alia de accusatore Jacobi ad martyrium, qui à Sancto Apostolo ad Fidem conversus simul cum illo occubuit, quæ historia à nemine negatur, & nullum antiquum Authorem habet præter Eusebium lib. 2. Histor. cap. 9. eam ex authoritate Clementis Alexandrini referentem.*

445 Sed, ut verum fatear, hujus argumenti vim non agnosco, illudque (nisi me mea fallit existimatio) se ipsum jugulare videtur; nam magna est diversitas utriusque Traditionis, quæ ex ipso argumento eruitur, ubi habemus Traditionem de accusatore, & ab Eusebio referri, & à nemine negari; Traditio autem de commoratione duodecim annorum, non solùm ab Eusebio non refertur ex authoritate Clementis Alexandrini, sed ex ipso Eusebio infertur, eam fuisse assutam Stromatis Clementis Alexandrini; ut supra ostendimus, & à pluribus negari, illam duodecim annorum commorationem non negabit argumenti Author; negatur enim à Chrystophoro de Castro, in Historiâ Deiparæ, cap. 18. quæst. 2. assert. 3. pag. 442.

Negatur à Joanne Fernandes de Velaſco Comite-ſtabuli Caſtellæ in Vindiciis Hiſpaniæ, pag. 27.

Negatur à Cardinali Baronio ad annum Chriſti 44. n. 13. & ad an. Chr. 39. n. 22.

Negatur à Didaco de Caſtillo in Defenſione adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cap. 20.

Negatur à Ferdinando Oxea in Hiſtor. Sancti Jacobi cap. 15. n. 5. fol. 69.

Negatur à Joanne Salazar de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cap. 11. pag. 128.

Negatur à Gaſpare Sanctio citato tract. 1. cap. 6.

Negatur à Cornelio à Lapide in Acta Apoſt. cap. 12. verſ. 1. §. *Quæres* 2.

Negatur à Michaele Erze Ximenes in Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpan. part. 1. tract. 7. cap. 11. n. 1.

Negatur à Franciſco Macedo in Diatriba de adventu Sancti Jacobi in Hiſpan. cap. 10. §. 1. pag. 64.

Negatur à D. Joanne Ferreras in Diſſertatione de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, n. 6.

Et noviſſimè negatur à Patre Contador in Diſſert. de Adventu Sancti Jacobi Luſitanè ſcriptâ.

446 Quonam igitur jure argui poteſt à Traditione, quam nemo negat, ad Traditionem à tot, tantiſque viris negatam? Traditionem de accuſatore Sancti Jacobi vocat Euſebius Hiſtoriam fidedignam, ut conſtat ex Græco textu, quem quoad hoc rectiùs vertit Ruffinus, ait enim.

> *De hoc autem Jacobo Clemens Alexandrinus, etiam hiſtoriam quandam dignam memoriâ in ſeptimo diſpoſitionum ſuarum libro ſcribit, perlatam ad ſe uſque ex Traditione maiorum.*

Traditionem verò de commoratione duodecim annorum vocat fabulam, ſuſpicaturque eſſe fœtum delirantis cerebri Hæretici cujuſpiam eorum temporum, diſertiſſimus Durana,

Digitized by Google

Durana, Vir emunctiſſimæ naris, Gallus, probitate, & animi candore, æquè, atque eruditione præſtantiſſimus, in ſuâ nunquam ſatis laudatâ Defenſione adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, pagina 21. & 26. Quodnam igitur argumentum deduci poteſt ex Hiſtoriâ, eaque memoriâ digna, ad fabulam?

447 Præterea eam Traditionem de Accuſatore Sancti Jacobi, neque ipſi Hæretici negare audent, eam enim referunt verbis Euſebii Centuriatores Magdeburgenſes, Centuria 1. lib. 2. cap. 10. col. 436. D. Traditio verò de duodecim annis à tot Catholicis Scriptoribus negatur, quot ſupra retulimus, plurimiſque aliis.

448 Ulteriùs: Traditio de Accuſatore Sancti Jacobi eſt ſcripta à Sancto Clemente, quia ad ipſum perlata ex Traditione maiorum. Traditio verò de duodecim annis extat nunc in libro Sancti Clementis ex Prædicatione Petri, quæ eſt liber ab Hæreticis confictus, vel certè corruptus, ut ſupradiximus. Quænam igitur comparatio Hiſtoriæ ſcriptæ ab antiquo, graviſſimoque Eccleſiæ Patre, ad Traditionem eductam ex libro ab Hæreticis, ut minimum, corrupto?

449 Denique, (quod mihi ſemper maximi ponderis erit, quidquid dicant alii) Traditio de Accuſatore eſt recepta ab Eccleſiâ Romanâ, ab illâ in Romano Sacrarum precum Breviario repoſita, ab illâque nobis quotannis legi juſſa in die Sancti Jacobi Maioris. Traditió verò demorâ Apoſtolorum Hieroſolymis per duodecim annos, non ſolùm eâ prærogativâ non gaudet, ſed cùm olim irrepſiſſet in Martyrologium Romanum, ab illo expuncta eſt authoritate Eccleſiæ, ut conſtat conferenti Martyrologium Romanum, recognitum juſſu Gregorii XIII. cum antiquioribus Martyrologiis Uſuardi, & Romano poſt Uſuardum, in quibus ad diem quintamdecimam Julii legebatur

tur diviſio Apoſtolorum anno duodecimo, vel tertio decimo poſt Aſcenſionem Domini, ut obſervavit Salmeron tom. 12. tract. 37. pag. 245. dicens:

> *Martyrologium Romanum habet anno 13. poſt Chriſti mortem, diviſionem Apoſtolorum in diverſas provincias eſſe factam; ac diviſioni ſtatum, ac ſolemnem diem aſſignat 15. Julii.*

Quæ tamen nunc in Martyrologio Romano correcto juſſu Gregorii XIII. non leguntur: ſed expuncta ſunt juſſu Eccleſiæ quæque conformia erant Traditioni Apollonii: ergo ex reprobatione Traditionis Apollonii reprobatæ ab Eccleſiâ, non poteſt argui, reprobandam eſſe Traditionem de Accuſatore Sancti Jacobi approbatam ab Eccleſiâ; ac proinde illa Traditio Apollonii non roboratur à fide, quæ præſtatur Traditioni de Accuſatore Sancti Jacobi.

## ASSERTIO XXIII.

### *Traditio de commoratione Apoſtolorum duodecim annis in Hieruſalem, non roboratur eventu rerum, aſſerto authoritate Maximorum, Sanctiſſimorumque Pontificum Leonis I. & Gregorii I.*

450 DIcitur ab Eruditiſſimo, recentiſſimoque impugnatore expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi:

> *Tandem veritas in hâc Traditione contenta probatur à Sanctiſſimis Pontificibus Leone I. & Gregorio I. à Venerabili, Sanctiſſimoque Beda, ab Alphonſo Toſtato Abulenſi Epiſcopo, à piiſſimo, celeberrimoque Sacræ Scripturæ interprete Alphonſo Salmerone, à Doctiſſimis Viris Jacobo*

Digitized by Google

*Jacobo Tirino, Jacobo Gordono, Joanne Bussieres, quanvis enim plerique illorum, Clementis Alexandrini, Thrasææ, Apolloniique, Martyrum, & Eusebii Cæsareensis expressè non meminerint, reapse tamen dicunt, & probant Apostolorum divisionem ad prædicationem in Gentibus, eorumque digressum è regionibus Judæorum factum non fuisse, nisi anno decimo secundo ab Ascensione Domini in Cœlum, quæ ipsissima est doctrinâ in hâc Traditione contenta.*

Cùm tamen Tostatus, Salmeron, Tirinus, & Gordonus citentur tamquam Assertores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, ipsi viderint quâ consequutione admiserint illam Apostolorum divisionem post duodecim annos; fortassè enim invenere viam, (quod quidem non est difficile, ut postea videbimus) quâ salvâ illâ Traditione duodecim annorum, posset affirmari illa Jacobæa expeditio. Joannes autem Bussieres, Author disertissimus, & politissimus, & quod caput est quoad præsentem controversiam, in Historiis versatissimus (ut de ipso ait Nuthanael Soutuvellus in Bibliothecâ Scriptorum Societatis Jesu) ut non adstruit expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, immeritòque numeratur inter præstantissimos adversarios, sententiæ neganti talem expeditionem repugnantes, ita non favet illi Traditioni, cùm dicat, illam Apostolorum divisionem factam ante duodecim annos, licèt de duodecim annis mentionem non faciat; quod sic ostendo.

451 Bussieres in fine primæ partis sui operis inscripti: Flosculi Historiarum, ait:

*Jesus Christus anno mundi* 4086. *V. C.* 785. *vitæ Sanctissimæ* 33. *eam in Calvariæ monte impiissimâ Pilati sententiâ Cruci affixus, humani generis hostia posuit.*

Deinde secundâ parte ejusdem operis, postquam dixerat:

*Anno*

*Anno Chriſti 41. Claudius Druſi filius, Caligulæ Patruus alio amentiæ genere fœdavit imperium &c.*

ſubjungit:

*Eodem anno* (hoc eſt Chriſti 41.) *Agrippa ille regnare juſſus à Caio catenâ ferreâ in auream verſâ (adeo vincula captivis, & Regibus communia ſunt) auctus, & confirmatus à Claudio, Jacobum affinem Domini Hieroſolymis capite minuit,*

Deinde narrato carcere, è liberatione Sancti Petri, ſubdit:

*Ex Judæorum ſævitiâ in reliquum Orbem disjecti Apoſtoli, præclari Imperatores ſibi ſuas quiſque provincias partiuntur, futuri de Orci præſide triumphatores: ſed prius collatâ, quâ ſe dignoſcerent, teſſerâ, Symbolum totius Fidei normam, & Canonem inſcripſerunt.*

Poſtea narratâ infelici morte Agrippæ proſequitur:

*Anno Chriſti 43. Petrus Eccleſiam in Orbis Capite poſiturus, unde ut à fonte in terras omnes derivaretur, Romæ Sedem conſtituit.*

Ecce Buſſieres narrantem Chriſti mortem anno Sanctiſſimæ vitæ trigeſimo tertio, & Apoſtolos partientes provincias anno quadrageſimo ſecundo, & Sanctum Petrum jam Romæ ſedentem anno tertio ſupra quadrageſimum. Subducantur à numero annorum quadraginta duorum, triginta tres anni vitæ Chriſti, & reliqui erunt non duodecim, ſed novem anni inter mortem Chriſti, & diviſionem Apoſtolorum. Quomodo igitur aſſerit Buſſieres, illam diſceſſionem factam fuiſſe poſt duodecim annos à morte Chriſti?

452 Hæc ideo adduxi, ut aliquantulum recrearer inter ſuaviſſimos Hiſtoriarum floculos, ab elegantiſſimo Viro cultos; non autem, quod magna intereſſe exiſtimaverim, quid hâc de re ſenſerit, ſcripſeritque illo in libello Author diſertiſſimus, dulce Galliæ ſuæ decus. Pergo igitur

igitur ad ostendendum quod proposui: Nempe *Traditionem de commoratione Apostolorum duodecim annis in Hierusalem, non roborari authoritate Maximorum, Sanctissimorumque Pontificum Leonis I. & Gregorii I.*

453 Sanctus Leo I. Pontifex Maximus, Magnus à maioribus cognominatus ob excellentissimum doctrinæ, & curæ Pastoralis studium, qui vixit quinto sæculo, evectus nanque fuit ad Divi Petri Sedem anno quadragesimo supra quatercentesimum: adducitur ad roborandam illam Traditionem Apollonii, quia quanvis (ut fatetur Neotericus Adversarius) S. Clementis Alexandrini, Thrasææ, Apolloniique, & Eusebii Cæsareensis expressè non meminerit, reapse tamen, & dicit, & probat *Apostolorum divisionem ad prædicationem in Gentibus, eorumque digressum à regionibus Judæorum factum non fuisse, nisi anno duodecimo ab Ascensione Domini in Cœlum, quæ ipsissima est doctrina in hâc Traditione contenta.* Hæc Neoterici Adversarii verba sunt. Verba autem Sancti Leonis, quæ ad hoc probandum adducuntur, sunt deprompta ex illius Sermone I. in Natali Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli (qui extat tom. 7. Bibliothecæ Patrum editionis Anissonianæ, pag. 1052. E.) & sic habent:

> *Nam cùm duodecim Apostoli acceptâ per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis, ad Arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur salutem efficatiùs se ab ipso Capite per totum mundi corpus effunderet.*

454 En locum Sancti Leonis, sed ubi sunt hîc duodecim anni? Hîc leguntur quidem duodecim Apostoli, sed non leguntur duodecim anni. Legendum est hîc *duodecim Apostoli*, non est legendum *alii Apostoli*. Legitur *duo-*

*decim Apoſtololi*, ut intelligatur etiam Sanctum Jacobum Maiorem, qui fuit unus ex duodecim Apoſtolis, ſuſcepiſſe diſtributam ſibi terrarum partem, Euangelio imbuendam. Non autem legitur, omnes Apoſtolos egreſſos eſſe Jeroſolymis, cùm Sanctus Petrus profectus eſt Romam, & non ante ipſius diſceſſum. Non legitur, Sanctum Petrum profectum fuiſſe ſtatim, atque ipſi deſtinata fuit Arx Romani Imperii, nam aliud eſt *deſtinari* ad profectionem, & aliud proficiſci ad locum *deſtinatum:* prius enim eſt deſtinari ad quidpiam faciendum, vel patiendum, quàm id facere, aut pati; deſtinari enim idem eſt atque deſignari. Exemplo ſit illud Ciceronis lib. 3. de Officiis:

> *Cùm eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſâ poſtulaviſſet.*

Sed quorſum ego Ciceronem advoco pro explicando Divo Leone in causâ Sancti Jacobi, cùm in promptu ſit Divus Paulus, quem ſemper habebimus illius cauſæ patronum, qui 1. Corinth. cap. 4. v. 9. ait:

> *Puto enim, quòd Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos.*

Forſitan Sanctus Paulus morti deſtinatus, jam erat mortuus, loquebatur mortuus, ſcribebat mortuus, cùm ſcriberet morti deſtinatus? Minimè gentium: ergo neque Sanctus Petrus ex eo, quòd deſtinatur ad Arcem Romani Imperii, occupat Arcem Romani Imperii, ad quam non venit niſi anno duodecimo à morte Chriſti.

455 Nuſquam ergo in loco Sancti Leonis invenitur, id, quod Adverſarius intendit, nempè Apoſtolos non egreſſos fuiſſe Jeroſolymis ante necem Sancti Jacobi; imò Divus Leo docet oppoſitum, enumerans loca, quæ Sanctus Petrus peragraverat antequam Romam veniret: audiamus

diamus Magnum Leonem, qui eodem Sermone Sanctum Petrum alloquitur his verbis:

> *Ad hanc ergo urbem* (Romam) *tu Beatissime Petre Apostole venire non metuis; & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, sylvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum constantior, quam cùm supra mare gradereris, ingrederis. Jam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras: jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras; jam Pontum, Gallatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleveras: nec aut dubius de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas.*

456 Juxta hanc Sancti Leonis sententiam de expeditionibus Sancti Petri, digerit illarum tempora Adrianus Baillet in vitâ Sancti Petri §. 12. ubi scribit, Sanctum Petrum ab anno 36. recessisse à Judæâ, & prædicavisse Antiochiæ. Anno 37. reversum fuisse in Jerusalem. Anno 38. progressum fuisse in Asiam, & pluribus annis prædicavisse in Ponto, Bithyniâ, & Cappadociâ, hinc primâ vice profectum fuisse Romam, postea reversum fuisse in Judæam, ubi in carcerem conjectus est anno 43. Unde immeritò dicitur, priorem adventum Sancti Petri in urbem Romam confictum esse ab Assertoribus expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, cùm Baillet inter eos numerari non possit. Et æquè immeritò dicitur, Sanctum Leonem confirmare illam Apollonianam Traditionem. Videamus nunc, an eam magis confirmet Sanctus Gregorius, quàm Sanctus Leo.

457 Sanctus Gregorius I. Christianus Alexander, à magnitudine rerum gestarum Magnus appellatus, qui

vixit in fine ſexti ſæculi, & in principio ſeptimi, utpote qui collocatus eſt in ſolio Sancti Petri anno 590. & aſcendit in Cœlum anno 604. eſt alter Summus Pontifex, qui adducitur à Neoterico Adverſario ad roborandam illam Traditionem Apollonii; hic enim aſſerit, Sanctum Gregorium docere, Apoſtolos duodecim annos ab Aſcenſione Domini commoratos fuiſſe Jeroſolymis. Textus Sancti Gregorii, quo id probari intenditur, eſt deſumptus ex illius Homiliâ in feſto Aſcenſionis Domini; ubi explicans illud præceptum Chriſti Domini: *Prædicate omni creaturæ*; ait:

> *Poteſt etiam omnîs creaturæ nomine omnis natio gentium deſignari; ante etenim dictum fuerat*: in viam Gentium ne abieritis; *nunc autem dicitur*: Prædicate omni creaturæ, *ut ſcilicet priùs à Judæâ Apoſtolorum repulſa prædicatio, tunc nobis in adjutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis ſuæ teſtimonium ſuperba repuliſſet.*

458 Hic eſt locus Sancti Gregorii Magni, ſed duodecim anni ubi ſunt? Ego in verbis Magni Pontificis nil video, quod premat affirmantes expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; nihil, quod negantes juvet. Etſi utri parti illa favent, affirmanti potiùs, quàm neganti præſto ſunt. Nam ſi tunc Apoſtoli potuerunt prædicare Gentilibus, cùm à Judæâ illorum repulſa prædicatio, utique potuerunt prædicare primo anno ab Aſcenſione Domini, ex quo Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali, denuntiaverunt Apoſtolis, ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Jeſu; ut habetur Actorum cap. 4. verſ. 18. Potuerunt prædicare Gentilibus poſtquam Principes Judæorum, Magiſtratus cum Miniſtris *convocantes Apoſtolos cæſis denuntiaverunt, ne omninò loquerentur in nomine Jeſu, & dimiſerunt eos*, ut habetur Actor. cap. 5. v. 40.

Tunc

Tunc enim per Judæos repulsa est prædicatio Apostolorum à Judæâ; sed hoc accidit primo anno ab Ascensione Domini: ergo ex doctrinâ Sancti Gregorii Magni, Apostoli potuere exire de Jerusalem à primo anno post Ascensionem Domini: ergo ex doctrinâ Sancti Gregorii Magni, Sanctus Jacobus potuit proficisci in Hispaniam à primo anno post Ascensionem Domini; quod plus est, quàm id, quod intendunt illius expeditionis Assertores.

459 Non ergo roboratur Traditio Apollonii ullo ex septem capitibus propositis, cùm non roboretur à Sanctis Patribus Leone, & Gregorio, non à comparatione cum Traditione de Accusatore Sancti Jacobi; non ab authoritate eorum, à quibus didicit Sanctus Clemens Alexandrinus, non à Sancto Clemente Alexandrino, non ab Apollonio ut Martyre, non à Thrasea Martyre, non denique ab Eusebio Cæsareensi, ut abundè ostensum est.

460 Et licèt Sancti Leo, & Gregorius, aliique Sancti Patres assererent, Christum præcepisse Apostolis, ut duodecim annis morarentur Hierosolymis; non ideo probaretur, Sanctum Jacobum non potuisse prædicare Hispanis; nam ut videbimus Assertione 25. potuit prædicare Hispanis, etiam admisâ Traditione Apollonii, in quâ illi duodecim anni Hierosolymitanæ commorationis præscribuntur.

## ASSERTIO XXIV.

*Si ſententia de Apoſtolis commorantibus in Jeruſalem per duodecim annos, ut coagmentata ex libro Apollonii, & ex Prædicatione Petri, repugnaret expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, repugnaret etiam ipſius Martyrio, & expeditionibus Sancti Pauli.*

461 SEntent'a illa de morâ Apoſtolorum Jeroſolymis per duodecim annos, ut coagmentata ex libro Apollonii, & ex Prædicatione Petri, ſupponit, ſeu potiùs affirmat duplex Chriſti præceptum. Unum negativum, alterum poſitivum. Negativum ex libro Apollonii, poſitivum ex Prædicatione Petri; negativum de non exeundo Jeroſolymis intra duodecim annos; ſcribit enim Apollonius: *Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent*; ut legitur apud Euſebium lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 18. Poſitivum de exeundo Jeroſolymis ſtatim ac complerentur duodecim anni. Scribitur enim in Prædicatione Petri apud Sanctum Clementem Alexandrinum, Stromatum lib. 6. eâ diſtinctione, quâ volunt Adverſarii:

> *Propterea dicit Petrus, Dominum dixiſſe Apoſtolis: Si quis ergo velit ex Iſrael duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.*

462 Si autem primum præceptum negativum obſtitit

stitit Sancto Jacobo ne veniret in Hispaniam, ut supponunt adversarii, non advertentes, Sanctum Jacobum supervixisse illis duodecim annis, adhuc tres annos, ut videre est apud Continuatores Bolandi tom. 1. Actor. Sanctor. Aprilis pag. 12. n. 20. imò plures tribus annis, ut vidimus à num. 156. non minus illi obstitit præceptum positivum exeundi de Jerusalem, exactis duodecim annis; nam anno æræ vulgaris quadragesimo quarto, quo passus est, vel in Jerusalem, vel alibi, certè in Palestinâ jam transierat saltem triennium à fine illorum duodecim annorum, quo triennio *non possent tutâ conscientiâ* (ut ait Neotericus Adversarius) *Petrus, & Jacobus Hierosolymis, aut in aliis Judæorum regionibus toto eo tempore remanere.* Ergo cùm non posset commorari in Palæstinâ, non poterat occidi in Palæstinâ; cùm autem occisus fuerit in Palæstinâ anno æræ vulgaris quadragesimo quarto, ut admittitur à Neoterico Adversario, neque dici possit citra blasphemiam, Sanctum Jacobum tunc transgressum fuisse præceptum Domini in materiâ gravi, dicendum est, tale præceptum relatum in Prædicatione Petri, esse meram fabulam.

463 Æquè officiunt hæc duo præcepta expeditionibus Sancti Pauli; officit præceptum negativum, nam Sanctus Paulus ante duodecimum annum exiit non solùm Jerosolymis, sed terrâ Judæorum, profectusque est in Arabiam, ut ipse testatur ad Galatas cap. 1. vers. 17. quæ expeditio fuit anno æræ vulgaris 34. ut volunt Chronologi, vel 36. ut docet Cornelius à Lapide in Chronotaxi Actuum Apostolorum. Certè intra illos duodecim annos, quibus Apostoli, juxta Apollonium, prohibebantur exire Jerosolymis.

464 Officit præceptum positivum, nam Sanctus Paulus anno æræ vulgaris 58. hoc est, viginti octo annis post exactos illos duodecim, post quos, juxta Prædicationem Petri-

Petri, non poterant Apoſtoli tutâ conſcientiâ eſſe Jeroſolymis, ut dicit Neotericus Adverſarius, ſed debebant exceſſiſſe de terrâ Iſrael, erat Jeroſolymis, ubi in vincula conjectus eſt, ut legimus in Actis Apoſtolorum cap. 21. verſ. 33.

465 Cùm igitur certa ſint hæc geſta Sancti Jacobi, & Sancti Pauli; & pariter certum ſit, hos Apoſtolos in illis non peccaſſe, certum etiam remanet, talia præcepta, tam negativum, quàm poſitivum nunquam extitiſſe, ſed fuiſſe adinventa vel ab Hæreticis, vel à malè feriatis hominibus.

466 Et licèt quodlibet ex his præceptis non repugnaret factis certis, & in Sacrâ Scripturâ expreſſis, neutrum credendum eſſet, attentâ utriuſque materiâ. Non credendum eſſet primum, ſcilicet negativum Apollonii, nam quis, ut ait A Lapide in cap. 12. Actor. credat, Apoſtolos omnes decennium integrum (.vel ut exigit præceptum Apollonii duodecim annos) inſumpſiſſe prædicando Judæis, cùm pauci anni ſufficerent ad prædicandum per totam Judæam; cùm Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 61. n. 2. dicat, octo annos ſatis temporis fuiſſe, ut Sanctus Paulus percurreret univerſum mundum; & cùm Illuſtriſſimus Antonius Godeau in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ lib. 1. §. 26. ad annum Chriſti 61. pag. 214. ſcribat, Sanctum Paulum octo annis gyrum terræ circuire ſæpiùs, quàm ſemel?

467 Neque dicas, id credidiſſe Sanctum Joannem Chryſoſtomum, Sanctum Gregorium Papam, Venerabilem Bedam, Thraſeam, & Apollonium; nam de his poſtremis quatuor ſatis ſuperque dictum eſt; de primo autem, nempe de Sancto Joanne Chryſoſtomo, dicendum eſt, ipſum caruiſſe Hiſtoriis Apoſtolorum, ut ipſe teſtatur in Prologo Commentarii in Epiſtol. Sancti Pauli

ad

ad Philemonem. Deinde Sanctus Joannes Chryſoſtomus circa moram Apoſtolorum Hieroſolymis habuit ſententiam ſingularem, quam omnes deſeruere, niſi mavis dicere, eam fuiſſe ab aliquo ſciolo Hiſtoriæ, & Critices ignaro intruſam in opera Sanctiſſimi Doctoris id, quod legitur in illius Homiliâ 25. in Acta Apoſtolorum, nempe, quòd Apoſtoli *quandiù Paulus in Romam non pervenit, illic erant*, nempe Jeroſolymis: quod ſi intelligatur de omnibus Apoſtolis, ſuſtineri non poteſt; nam Sanctus Paulus non pervenit Romam, niſi anno ſexageſimo primo æræ vulgaris, quo plerique Apoſtolorum non ſolùm exierant de Paleſtinâ, ſed etiam de mundo, martyriis coronati; unde authoritas Sancti Joannis Chryſoſtomi licèt faveat præcepto negativo Apollonii, excludit tamen præceptum poſitivum Prædicationis Petri, de exeundo Jeroſolymis exactis duodecim annis; nam quando Sanctus Paulus pervenit Romam, jam efluxerant viginti à fine duodecim annorum, de quibus Prædicatio Petri: ergo ex illo loco Sancti Joannis Chryſoſtomi habetur, Apoſtolos permanſiſſe Jeroſolymis viginti annis poſt eos duodecim, quibus exactis, jubebantur exire Jeroſolymis.

468 Non magis ſibi conſtat, præceptum poſitivum, relatum ex Prædicatione Petri per ea verba, etiam interpuncta eo modo, quo volunt Adverſarii:

> *Propterea dixit Petrus, Dominum dixiſſe Apoſtolis: Si quis ergo velit ex Iſrael duci pœnitentiâ, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in mundum.*

Quid ſibi vult illud, *ſi quis velit ex Iſrael credere in Deum?* Nunquid Iſraelitæ non credebant in Deum? Sed fortaſsè aliud eſt credere ſimpliciter in Deum, & aliud credere in Deum propter nomen Chriſti. Quid ſibi vult, *remittentur ei peccata*, nullâ factâ mentione Baptiſmi? cùm Chriſ-

tus Dominus dixerit Marci 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Quid ſibi vult, nulla facta mentione Baptiſmi, illud *remittentur ei peccata.* Quæ verba innuunt Sacramentum Pœnitentiæ, juxta illud Joannis 20. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quæ verba neceſſariò intelligenda ſunt de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ut definitum eſt in Concilio Tridentino, Seſſione 14. Canone 3. de Sanctiſſimo Pœnitentiæ Sacramento. Nunquid ei, qui ex Iſrael vellet duci pœnitentia, & credere in Deum, conferendum eſſet Sacramentum Pœnitentiæ, non collato Sacramento Baptiſmi, cùm Baptiſmus ſit Janua Sacramentorum?

469 Denique in neutro ex duobus præceptis exponitur, quando incepturi erant illi duodecim anni, multòque minus, quando inceperint, cùm neque Apollonius, neque Prædicatio Petri declaret, quando Chriſtus illud impoſuerit Apoſtolis, an ante Paſſionem, an poſt Reſurrectionem, ut ſciremus, unde ſummendum eſſet principium illorum duodecim annorum; ut ſciremus, quando completum fuit tempus commorationis Apoſtolorum, quo ceſſaret præceptum negativum, & inciperet obligare præceptum affirmativum egrediendi in mundum.

470 Neque iſti duodecim anni poſſunt erui ex verbis Divi Pauli Act. 13. 46. *Ecce convertimur ad Gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus.* Quia hoc dictum eſt à Sancto Paulo, non in Judæâ, ſed in Græciâ, ut obſervavit Petrus Comeſtor in Hiſtoriâ Actuum Apoſtolorum cap. 71. & anno æræ vulgaris quadrageſimo ſexto (ut docet A Lapide in Chronotaxi Actuum Apoſtolorum) cùm jam à fine illorum duodecim annorum efluxiſſent ſex anni; & plures, ſi Sanctus Paulus reſpexit, (ut vult Lyranus in hunc locum) ad præceptum Chriſti expreſſum capite 10.

Sancti

Sancti Matthæi vers. 5. *In viam Gentium ne abieritis*; nam cùm Christus hæc dixerit biennio ante Passionem, sequitur, hos duodecim annos citiùs incepisse, & citiùs finitos esse. Unde longius extat tempus, quo Sanctus Jacobus posset venire in Hispaniam, admissâ illâ Traditione; quæ tamen (ut dixi) sibi non constat, sive ut scripta in libro Apollonii, sive ut scripta in Prædicatione Petri; ac proinde est mera fabula, ex quâ nihil inferri potest in re Historicâ, si expendatur ad facem Criticam, quod si feciſſent Adversarii, numquam illam producerent ad expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi seriò impugnandam.

## ASSERTIO XXV.

### *Etiam admissâ Traditione Apollonii de Apostolorum commoratione in Hierusalem duodecim annis, potuit Sanctus Jacobus Apostolus prædicare in Hispaniâ.*

471 ETsi Authores, quos supra recensui, fidem derogent illi Traditioni Apollonii, illamque rejiciant, ut repugnantem Sacræ Scripturæ, & ut adversantem sensui Ecclesiæ Catholicæ, deque illius maiestate non parum detrahentem, & denique licèt authoritate Ecclesiæ fuerit expuncta, expulsaque à Martyrologio Romano; ego tamen sequens eos, qui concedunt eam admitti posse, si rectè explicetur, illam nunc liberaliter admittendam putavi, & ne videar usurpare illud Alexandri *nihil interest quomodo solvatur*; non censuræ gladio scindendum, sed dexteritate solvendum duco eum nodum plus præ Gordiano, implexum; videtur enim dici posse de eâ

Traditione, quod de Gordianis vinculis dixit Curtius (lib. 3. cap. 1. n. 17.) *Serie vinculorum ita adſtrictâ, ut unde nexus inciperet, quove ſe conderet, nec ratione, nec viſu percipi poſſet.* Nam illius ut ignoratur origo, ita fortaſsè latet finis, in quem fertur. Hinc placet plures afferre ſolutiones, quarum quælibet elidit vim argumenti deducti ex præcepto, quo ſupponitur, vetitum fuiſſe Apoſtolis ante duodecim annos diſcedere Jeroſolymis.

## *Prima ſolutio.*

472 Cardinalis Bellarminus, ille Hæreticorum malleus, illud Sanctæ Eccleſiæ propugnaculum, illud Chriſtianæ Fidei columen, ille Catholicæ veritatis Aſſertor, & vindex, ut eum appellavit Cardinalis Centinus. Ille, quo nemo fuit (judicio Cardinalis Ubaldini) potior Sanctæ Fidei defenſor, ut meritò potuerit appellari Athanaſius, atque Auguſtinus ſuæ ætatis, denique doctrinâ Sanctis Eccleſiæ Doctoribus par, virtute ſpeculum ſanctimoniæ, Purpurâ forma Eccleſiaſticorum. Cardinalis, inquam, Bellarminus tom. 1. Controverſiarum, quem edidit anno 1581. aliquot ante annis quàm lis moveretur de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi libro 2. de Romano Pontifice, cap. 6. cùm videret illâ Traditione, tamquam ariete, percuti Cathedram Antiochenam Sancti Petri, ſic illam expoſui:

> *Neque his repugnat illa Thraſeæ Martyris Traditio: non enim Dominus imperavit, ut omnes Apoſtoli ad annos duodecim Hieroſolymis morarentur, id enim conſtat eſſe falſum ex Actibus Apoſtolorum cap. 8. 9. & 10. ubi legimus, Petrum profectum in Samariam, Lydiam, Joppem, & Cæſaream antequam in vincula conjiceretur, atque adeo ante annum duodecimum à Chriſti Paſſione, ſed ut non*
>
> *omnes*

Digitized by Google

*omnes inde recederent, verum aliquis semper, aut etiam aliqui ex Apostolis Hierosolymis manerent ad testimonium Hebræorum.*

Sicuti ergo Sanctus Petrus ante duodecim annos potuit exire non solùm ex Hierusalem, sed etiam ex Judæâ ad Antiochiam, ibique Cathedram per septem integros annos tenere; ante duodecimum annum ab Ascensione Domini, manentibus in illâ urbe SS. Apostolis Joanne, qui comitabatur Deiparam, & Jacobo Minore, qui erat illius Civitatis Episcopus, & forsitan alii Apostoli; ita potuit Sanctus Jacobus Maior exire ex Jerusalem, atque ex Judæâ, & in Hispaniam proficisci; unde adhuc admissâ gratis illâ Traditione commorationis duodecim annis in Hierusalem, non redditur impossibilis expeditio Hispanica Sancti Jacobi Maioris.

473 Eâdem viâ incedit Chrystophorus de Castro etiam Societatis Jesu, in libro, cui titulus *Historia Deiparæ Virginis Mariæ ad veritatem collecta, accuratèque discussa*, edita Compluti anno 1605. in quarto, in quo cap. 18. fol. 442. loquens de illo præcepto moræ duodecim annis, postquam dixerat:

*De præcepto verò illo ab Apollonio relato credimus ex apochrypho libro desumptum, & veriùs habendum quod Christus tradidit, & Apostoli mandarunt executioni, uti ex Apostolorum Historiâ deduximus. Siquidem ante duodecim annos vidimus Apostolos non tantum Ferosolymis, sed ex Judæâ ad externas nationes profectos, ut Petrum Romam, & alios in Cyprum, & Cyrenem, & sic Jacobum in Hispaniam: & post annos illos nondum erant aliqui egressi, ut de Joanne, qui Virgini adfuit, quoad vixit, probamus inferiùs cap. 20. num. 4.*

subjungit:

*Quod si vim aliquam habuisse præceptum illud est concedendum,*

*dendum, illa erit ne omninò intra duodecim annos deſereretur Judæa, quin in illâ prædicarent aliqui ex Apoſtolis, nam unum, aut alterum in Judæâ manſiſſe, & non penitùs deſtitutam, ex ipſâ Apoſtolorum conſtat Hiſtoriâ.*

## *Secunda ſolutio.*

474 Alias init vias Joannes Mariana Societatis Jeſu, Vir acerrimi judicii, quem licèt de rebus Luſitanis non optimè meritum, meritâ cæteroquin laude non fraudaverim. Is igitur in Diſputatione de adventu Jacobi Maioris in Hiſpaniam (quæ eſt primus ex ſeptem Marianæ Tractatibus, editis Coloniæ Agrippinæ, anno 1609. in folio) cap. 6. pag. 9. ait:

*Thraſeæ quidem Traditionem Apoſtolis eſſe præceptum, ne ante duodecim annos à morte Chriſti Hieroſolymâ diſcederent, vim magnam habere non negabo, idem tamen opponam ei Traditioni Petri Apoſtoli, non ſolùm Hieroſolymâ diſceſſum, ſed etiam in Urbem adventum ſecundo Claudii anno, Chriſti quadrageſimo quarto, nempè decimo præciſè, ex quo in terris eſſe deſiit. Quo argumento, & quoniam Marcus proximo anno ſcripſit Euangelium poſt diviſos Apoſtolos, uti illa verba indicant cap. 16. verſ. 20.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique. *Cardinalis Baronius anno Chriſti XLIV. cap. XI. contendit de ejus Traditionis tum veritate, tum authoritate meritò dubitari.*

## *Tertia ſolutio.*

475 Deinde alio pacto reſpondens, ait:

*Quid vis, Hieroſolymis non eſſe profectos Apoſtolos ante id tempus? Sed Petrus Actorum 9. verſ. 31. poſt mortem Stephani pertranſibat univerſos, Cornelium etiam è Gentibus*

*tibus baptizavit, cap.* 10. *vers.* 48. *At utrumque Divinâ revelatione factum excusas, sit sanè, neque ipse cogitabam Divinum præceptum violatum à Petro; sed cur non liceat idem de Jacobo interpretari? Jussos quidem Apostolos Hierosolymis resistere, Jacobum autem, quoniam mortis tempus instabat, ex Divino instinctu, & inflatu in provinciam suam abiisse? neque enim in Actis, aut aliis Divinis libris, omnia Apostolorum gesta sunt conscripta.*

## *Quarta solutio.*

476 Postremò addit tertiam illius argumenti solutionem, dicens:

*Quid denique prohibeat sic Divinam jussionem emollire, ut præceptum esset, ne dividerentur ante id tempus Apostoli non amplius redituri. Jacobus ita abiit, ut brevi esset in Judæam, & Hierosolymam reversurus.*

477 Tandem tres istos respondendi modos subsignans, respondit tacitæ objectioni:

*At rerum singularum idoneos testes requiris, meritò quidem, si novam inducere opinionem conaremur, ut autem susceptam tueamur, qualiscumque probabilis excusatio locum habeat.*

## *Quinta solutio.*

478 Clarissimus nostri Ordinis splendor Pater Antonius Caracciolus, *Vir* (ut ait Pater Silos parte 3. Historiarum Clericorum Regularium in Catalogo Scriptorum Cler. Reg. pag. 540.) *& prisci moris, ac priscæ eruditionis, peræquè pietate, ac doctrinâ spectatissimus*, validissimè, & omnium, quos legerim, modestissimè respondet illi Traditioni in jam laudatâ Controversiâ de accessu Sancti Jacobi

ad

ad Hiſpaniam à §. 10. ubi poſtquam aliorum argumenta contra Apollonianam Traditionem innuit, ſubdit:

*His, aliiſque multis, quæ ſtudioſo Sacrarum Hiſtoriarum facilè ſuppetent, profligari à non nemine poterit, penitùſque rejici dicta Apollonii malè fundata Traditio. At ego mitiùs, atque adeo reverentiùs cum vetuſto illo Theologo, quem Euſebius vetuſtus, & ipſe Hiſtoricus laudat, agendum puto. Patrum quipe dicta, quoad fieri licèt, non prorſus amoliri, ſed dexterâ aliquâ interpretatione emollire debemus. Dico igitur, quòd Illuſtriſſimus, & Eruditiſſimus Cardinalis Bellarminus jam antea dixit, & ſcripſit, illud Apollonii intelligi debere, Ne omnes ſimul Apoſtoli intra duodecim à Chriſti morte annos Feroſolymis excederent, ſed ſemper eorum aliquis ibi ſiſteret.*

## *Sexta ſolutio.*

479 Sextam ſolutionem ſuggerit ipſe Pater Caracciolus, eodem loco dicens:

*Vel ſi mavis, exponendum eſt. Ne ante id tempus Apoſtoli ex eâ Urbe prorſùs abirent non ampliùs redituri. Hàc quipe ratione omnes jam dictæ Apoſtolorum quorundam diſceſſiones fieri potuerunt ſervato interim Chriſti mandato, ne Feroſolymis, niſi poſt duodecim annos emigrarent. Solida, & apta videbitur ejuſmodi interpretatio, ſi conſideretur hâc eâdem ratione à Sacris Hiſtoricis dici, Petrum tenuiſſe Romanam Sedem ann. 25. & Antiochenam, antequam Romam adiiſſet ann. 7. videlicet non tot hos annos perpetuò Romæ, vel Antiochiæ manendo, ſed identidem redeundo. Quin & Baronius ipſe tom. 1. Annal. anno 58. hoc eodem modo exponit Lucæ verba Act. 18.* Sedit autem (*Paulus Corinthi*) annum, & ſex menſes docens apud eos verbum Dei. *Nimirum ut tametſi interea*

*interea aliò, atque aliò, ut occasio erat, abierit, continuò tamen eodem redierit. Et verò sic debere Lucam exponi, apertè ostendunt ipsiusmet Pauli verba* 2. *Cor.* 12. Ecce jam tertiò hoc venio ad vos. *Similiter Act.* 20. *scriptum est, Paulum mansisse triennium Ephesi, cùm tamen constet, non semper ibi eo triennio stetisse, sed ad alias interdum abiisse civitates: Verum quia identidem Ephesum rediit, ideo triennium ibi mansisse narratur. Igitur Assumptum illud in argumento, aut penitùs rejectum, aut idoneâ, & rationabili interpretatione expositum, nihil prorsus habebit virium adversus nostram de Jacobi ad Hispanias accessu sententiam.*

## *Septima solutio.*

480 Eruditissimus Pater Hieronymus Contador, & nostri Ordinis, & nostræ Academiæ socius aliâ incedit viâ in Dissertatione Lusitanè conscriptâ de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, in quâ postquam rejecerat illam Apollonii Traditionem, ostendit etiam, illâ admissâ, stare posse sententiam de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi. Illius verba non transcribo Lusitano sermone, quia ea Dissertatio impressa est cum reliquis Actis hujus secundi Academiæ anni; sed ea latinè reddo, ex eo §. *Mas concedido, que essa Tradiçaõ:*

*Sed dato eam Traditionem fuisse veram, non ideo sequebatur S. Jacobum non habuisse tempus, quo veniret prædicatum ad Gentiles in Hispaniâ; quocirca advertendum est, tres, vel quatuor circunstantias sciri certò, vel quasi certò, quæ ad hunc calculum sunt necessariò observandæ.*

*Prima est, Christum cœpisse prædicare anno quinto decimo, ut colligitur ex Sancto Luca capite* 3. *qui illi anno adscribit Baptismum Christi.*

*Secunda eſt, Chriſtum Dominum noſtrum prædicaſſe tribus annis.*

*Tertia eſt, S. Jacobum occiſum fuiſſe eo anno, quo ſupervenit Judææ ſæva quædam fames, imperante Claudio, ut etiam infertur ex Actibus Apoſtolorum* cap. 11.

*Quarta eſt, famem ſupradictam eveniſſe anno quarto Imperii Claudii, juxta Dionem Caſſium, relatum à Lorino in Commentar. Actuum Apoſtolor. cap. 11. verſ. 27. idem ait Oroſius cap. 6. libri 7. Hiſtoriæ ſuæ: Euſebius, aliique Authores præſtantiſſimi.*

*Hoc poſito, demonſtremus rationem, quâ etiam admiſſâ Traditione de prohibito Apoſtolis egreſſu ad prædicandum ante duodecim annos ab Aſcenſione Domini, adhuc etiam ſuperaret tempus, quo Sanctus Jacobus veniret in Hiſpaniam.*

*Chriſtus Dominus egreſſus eſt ad prædicationem anno quinto decimo Tiberii, hoc eſt, Conſulibus Appio Julio Silano, & Publio Selio Nerva, & hic fuit primus annus prædicationis Domini, qui eſt vigeſimus octavus æræ vulgaris, & trigeſimus veræ. Subſequutus eſt ſecundus annus deinde tertius prædicationis Domini, quo & paſſus eſt, & aſcendit ad Cœlos, quod contingit anno 17. Tiberii, Conſulibus Longino, & Vinicio, & hic etiam numeratur primus annus præcepti impoſiti Apoſtolis de non exeundo Hieroſolymis, qui eſt annus trigeſimus æræ vulgaris, & ſecundus ſupra trigeſimum æræ veræ. Ab hoc igitur anno, uſque ad primum Claudii, procedunt undecim Conſulatus, hoc eſt, undecim anni, ut videri poteſt in Romanis faſtis. Ac proinde anno primo Claudii, qui fuit primus ſupra quadrageſimum æræ vulgaris, & tertius ſupra quadrageſimum veræ, impleti ſunt duodecim anni prohibitionis, & jam hoc anno exierunt Apoſtoli ad prædicandum. Triennio poſt afflixit fames Judæam quarto anno*

*Claudii,*

*Claudii, quo fuit morte affectus Sanctus Jacobus, unde ipsi per tempus licuit venire in Hispaniam, & reverti in Jerusalem, parte primi anni Imperii Claudii, integro secundo anno, toto tertio, & parte quarti, hoc est, pene tribus annis; quo planum remanet, fastisque Romanis demonstratum, potuisse Divum Jacobum & venire in Hispaniam, hîcque prædicare.* Hæc Pater Contador.

## *Octava solutio.*

481 Licèt quælibet ex præcedentibus septem solutionibus sufficiat ad dejiciendum Aiacem illum septemplici clypeo armatum, tamen lubet adjicere octavam, in quam ipse, velut in proprium gladium incumbat, nempe solutionem, quâ argumentum illud deductum à Traditione Apollonii dicente, *Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent*, se ipsum prosternat.

482 Petenda est hæc solutio à significatione hujus vocis *Hierosolyma*; hoc loco Henschenius in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam, exercitat. 3. Hierosolymorum nomine, non modò Judæam, & Palæstinam, sed Syriam universam intelligit. Longiùs protendit Hierosolymorum fines, qui ait: *Nomine illo* Hierosolymis *intelligenda omnis regio Judæorum, & Synagogarum Judaicarum.* Non opponitur huic explicationi Vir Eruditissimus, qui latere voluit sub nomine D. Andreæ Durana, in Defensione adventûs, & prædicationis Sancti Jacobi, pag. 21. Ego autem illam libenter accipio, nam ex illâ sequitur, integris illis duodecim annis potuisse Apostolos omnes (non solùm Sanctum Jacobum) prædicare in Hispaniâ, quia si poterant prædicare in regionibus Synagogarum Judaicarum, certè Hispania tunc temporis regio etiam erat Sy-

nagogarum Judaicarum, utpote in quâ erant Judæi, ut cum S. Joanne Chryſoſtomo vidimus ſupra num. 391.

483 Nam Apoſtolos prohiberi *Jeroſolymis excedere, diſcedere, abire*, nihil aliud eſt, quàm ipſos prohiberi *ab Hieruſalem ſegregari, ſeparari, ſejungi.* Unde integra Euſebii ſententia ſic vertenda eſt: *Aiebat tamquam ex Traditione, Servatorem præcepiſſe ſuis Apoſtolis, ne intra duodecim annos à Hieroſolymis ſegregarentur, ſepararentur, ſejungerentur.* Sic enim vertit illam ſententiam Eruditiſſimus Abbas D. Benedictus Bacchinus (cujus benignitatem expertus ſum olim Mutinæ, ubi illius ſapientiam admiratus ſum, & ubi à clariſſimi hujus Viri humanitate accepi ejus operum, quæ jam tunc ediderat, volumina) in Diſſertatione de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Originibus, parte 1. capite 194. ubi ſubjungit:

> Separari *autem* ſegregari, ſejungi, *idem eſſe intelligo, ac alteram Eccleſiam fundare, quæ à Hieroſolymitanâ minimè penderet; quatenus intra duodecim annos, & Apoſtolorum Collegium, cui Petrus præerat tamquam novæ Legis Synedrium maius, Hieroſolymis tantum ſederet, totique Judæorum credentium cætui jus diceret.*

484 Potuit ergo S. Jacobus intra illos duodecim annos prædicare Judæis Hiſpaniæ, quin ſegregaretur à Jeruſalem, hoc eſt, quin fundaret Eccleſiam à Jeroſolymitanâ Eccleſiâ independentem; ſed etiam tum dependentem.

485 Et hinc eruitur nova cauſa, propter quam Sanctus Jacobus regreſſus fuerit Jeroſolymam ut Urbem, quæ tunc adhuc erat Caput Religionis.

486 Confirmatur illa explicatio exemplo Eccleſiæ Romanæ, quæ nunc qua patet Orbis extenditur, & ubicumque ſunt Catholici, eſt Eccleſia Romana, ſic olim ubicumque erant Judæi, erat Synagoga, & erat Jeruſalem in ſenſu explicato.

Hic

Digitized by Google

487 Hic autem modus intelligendi vocem *Hierosolyma* in Eusebio lucem accipit à loco Prædicationis Petri, apud Sanctum Clementem Alexandrinum, ubi legitur: *Si quis ergo velit ex Israel duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum.* Ubi innuitur, duodecim annis prædicandum fore toti populo Israel, hic autem populus tempore Apostolorum non erat conclusus in Jerusalem, neque in Syriâ, sed jam dispersus per totum Orbem, & certè in Hispaniâ, ut ex Sancto Joanne Chrysostomo diximus supra num.482. Ergo necessariò exituri erant Apostoli finibus Syriæ illis duodecim annis, Christum annuntiaturi Judæis, qui per Orbem dispersi erant, ut impleretur præceptum Christi, quo jussit Apostolis, ut priùs prædicarent Judæis, quàm Gentibus, juxta illud Actor.1.vers.8. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & usque ad ultimum terræ*, neque enim Judæi per Orbem dispersi desiverant esse tam filii Abrahæ, & populus Israel, quàm illi, qui incolebant Palæstinam; & magis indigebant prædicatione Euangelii, quàm habitantes in Syriâ, hi enim, utpote viciniores Jerosolymis, magis instructi erant de Morte, & Resurrectione Christi, quæ illic prædicabantur ab Apostolis, & discipulis: ergo intra illos duodecim annos potuit prædicare in Hispaniâ Judæis, quin transgrederetur præceptum Christi, quod supponimus verè traditum à maioribus, & ab Apollonio, Sancto Clemente Alexandrino, Eusebioque scriptum. Unde etiam non explosâ (ut explodi debet) illâ Apollonii Traditione, nihil concluditur contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, cùm octo sint respondendi modi, quorum quolibet illud argumentum juguletur; quod proinde contemptum meritò fuit à Sapientissimis Recognitoribus Breviarii Romani, tempore eruditissimi Pontificis Maximi

ximi Urbani VIII. & immeritò nobis in hâc causâ obtruditur, ac ſi ignorarentur vires Hiſtoriæ, & Critices, quibus illud argumentum ſternitur, quantumvis ſeptem confirmationibus armatum, cùm per octo vias vulneribus pateat; hoc eſt, cùm quâlibet ex octo reſponſionibus, diluatur.

## SECTIO III.

### *Aſſeritur, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non poſſe oppugnari teſtimoniis Summorum Pontificum.*

488 PLures Romanos Pontifices opponi expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, contendunt illius Adverſarii, Critices incurioſi, & Hiſtoriæ negligentes, quo tamen negotium minimè faceſſunt ejus expeditionis propugnatoribus, Hiſtoriæ clypeo, & Critices gladio armatis. Jam ſuprà numero 458. vidimus, quàm immeritò nuper productus fuerit contra veram ſententiam S. Gregorius Magnus; numero verò 454. demonſtravimus, Sanctum Leonem Magnum etiam nuper productum, non ſolùm Adverſariis minimè favere, ſed etiam pro illam expeditionem aſſerentibus ſtare; modò ſupereſt oſtendere, veræ ſententiæ minimè obſtare tres Pontifices Maximos, jam duobus proximis ſæculis contra illam immeritò productos, vel à novitatis, potiùs quàm veritatis amatoribus, vel ab Hiſtoriam, aut Criticem, aut utranque negligentibus. Pontifices ſunt Sanctus Innocentius I. Sanctus Gregorius VII. & Clemens VIII.

ASSER-

Digitized by Google

# ASSERTIO XXVI.

## *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non impeditur authoritate Sancti Innocentii I. Pontificis Maximi.*

489 UNum ex argumentis, quo oppugnatores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, in ipsam insurrexere sæculo sexto decimo, desumptum est ex authoritate Sancti Innocentii I. Pontificis Maximi, qui Sancti Petri Cathedram conscendit anno secundo sæculi quinti in Epistola 1. quæ est ad Decentium Episcopum Eugubinum, quæ reperitur tomo 1. Conciliorum Collectionis Severini Binii pag 608. & apud Ughellum in Italiâ Sacrâ tom. 1. columna 676. primæ editionis (in secundâ editione Ughelli non extat hæc epistola) ubi de Ecclesiâ Eugubinâ, & à Gratiano conjecta est in Decretum Dist. 11. cap. 11. *Quis nesciat*, ubi Innocentius ait:

> *Cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes: aut legant, si in istis provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legent, quia nusquam invenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à quâ eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur omittere.*

Ex hâc authoritate sic arguunt: Sanctus Innocentius asserit, manifestum esse, nullum Apostolum in Hispaniis instituisse Ecclesias: ergo asserit, manifestum esse, Sanctum Jacobum in Hispaniis non prædicasse. Rursus Innocen-

nocentius aſſerit, nullum inveniri, aut legi Apoſtolum, qui in Hiſpaniis docuerit: ergo nuſquam invenitur, aut legitur, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniam.

490 Huic argumento adeo fidunt Adverſarii, ut Chriſtianus Lupus, Doctiſſimus Auguſtinianus, in librum Tertul. de Præſcriptionib. adverſus Hæreticos cap. 20. pag. 380. relatis verbis Sancti Innocentii, ſcripſerit:

*Quæ verba durè concutiunt Sancti Jacobi apud Hiſpanos prædicationem.*

491 Qui Critices ignarus hæc Doctiſſimi Lupi verba legeret, Aſſertoribus illius prædicationis ab Innocentio I. maximè timendum duceret; ſed ipſemet Chriſtianus Lupus eos timore ſolvet, dum contentus eſt dicere paginâ proximè antecedenti: *Apud Hiſpanos prædicatio non careat ſcrupulis.* Si enim quæ opponuntur expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, non ſunt, niſi ſcrupuli, perſeverat inconcuſſa, vel ſaltem immota illius certitudo. *Eſt enim ſcrupulus* (verba ſunt Gabrielis, Lectione 8. ſuper Canone Miſſæ) *ſeu hæſitatio, dubitatio quædam, ſeu formido, conſurgens ex aliquibus conjecturis debilibus, & incertis; & hic ſtat cum morali certitudine.* Si ergo quæ opponi videntur expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ſunt ſcrupuli, deſpicienda ſunt, tamquam ea, quæ conſurgunt ex conjecturis debilibus, & incertis; & non tollunt ſententiæ affirmanti moralem certitudinem; ac proinde Sancti Innocentii I. verba non officiunt prædicationi S. Jacobi apud Hiſpanos; etiamſi daremus hanc ab illis verbis S. Innocentii durè concuti; ſemper enim, ut ſtatim videbimus, immota permanet, ſicuti ſcopuli, qui licèt à fluctibus duriſſimè concutiantur, nihilominus immoti, imò & immobiles perſeverant.

492 Juvenis quidam Luſitanus, ingenio, & eruditione clarus,

*Qui mores hominum multorum vidit, & Urbes.*

Utpote

Utpote qui non ſolùm Hiſpaniam, Galliam, & Italiam, ſed etiam Hollandiam, Germaniam, & Hungariam peragravit, & qui in patriam rediens, primus in Luſitaniam invexit dubitationem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, mihi dixit, nihil ſibi æquè perſuadere, Sanctum Jacobum non veniſſe in Hiſpaniam, atque citatam Epiſtolam Sancti Innocentii I. A me autem rogatus, num crederet illam Epiſtolam eſſe Sancti Innocentii? ingenuè reſpondit, ſe nullam illi fidem præſtare. Cui repoſui: *Quare ergo dubitas de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, nixus authoritate Epiſtolæ, cui non credis?* Nihil reſpondit; ſed poterat verè reſpondere, ſe neque adventui Sancti Jacobi credere, neque Epiſtolæ Sancti Innocentii credere, quia ſibi, ut Sexti Empyrici, & Pyrrhonis Sectatori propoſitum erat de omnibus dubitare, & nihil aſſerere de iis, quæ ad Fidem Catholicam non pertinent.

493 Recentior verò Adverſarius expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi de nobis ait:

> *Mirum eſt, quot effugia quærant, & quomodo in omne ſe latus vertant Adverſarii, ut vim hujus argumenti declinent.*

Cui reponendum, ideo multa effugia à nobis quæri, quia multa ſunt effugia; in omne nos latus verti; qui quocumque vertamur, argumenti vim, ſiqua eſt, declinamus.

494 Fateor, Sanctum Innocentium fuiſſe virum Sanctiſſimum, & Legum Eccleſiaſticarum peritiſſimum. Non cogor tamen ideo fateri, fuiſſe Hiſtoriarum ſcientiſſimum. Deinde aſſero dicendum eſſe, vel iſtam Epiſtolam ad Decentium eſſe ſuppoſititiam, aut interpolatam; vel certè continere aliquot incerta, difficiliaque probatu.

495 Durum mihi videtur aſſerere, iſtam Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam, ne videar ſubſcribere Guillielmo Cave id affirmanti, ex Magdeburgenſibus, ex Tilemanno, Oſi-

andro, Fulcone, & aliis. Ne videar ſubſcribere Eraſmo Roterodamenſi; cùm à Clariſſimis Scriptoribus Catholicis recipiatur, & laudetur. Et licèt Cave pro ſuâ ſententiâ citet Danielem Papebrochium S. J. in Catalogo Pontificum, pag. 61. tamen non mihi eam perſuadet; nam Papebrochii verba ſunt:

> *Ejuſmodi datæ præter reliquarum Innocentii Epiſtolarum morem quibuſdam ejus Epiſtolis additæ, eo tempore, quo cæteræ ad ipſum etiam ex Concilio directæ inveniuntur ſcriptæ ſine Conſule, multum NOBIS DE SUPPOSITIONE SUSPECTÆ SUNT, etſi ipſæ Epiſtolæ probæ alioquin viderentur, & germanæ.*

Cùm autem Epiſtola ad Decentium ſit una ex iis, quibus adjecta eſt data, præter morem Epiſtolarum Innocentii, eſt etiam ex iis, quarum datis dicit Papebrochius: *Nobis de ſuppoſitione ſuſpectæ ſunt, etſi ipſæ Epiſtolæ probæ alioquin viderentur, & germanæ.*

496 Cùm autem illi Epiſtolæ adjecta ſit ab alienâ manu datâ XIV. Kalendarum Aprilis, Theodoſio Auguſto ſepties, & Palladio Viris Clariſſimis Conſulibus, ut legitur tom. 1. Conciliorum parte 1. pag. 609. Collectionis Severini Binii, editionis Colonienſis anno 1618. jam conſtat, illam Epiſtolam non extare omninò ſynceram.

497 Si autem illa Epiſtola, quoad aliquam ſui partem non eſt ſyncera, quidni dicamus aſſuta illi fuiſſe ea, quæ probatiſſimis repugnant? Officioſior enim mihi videtur eſſe erga Sanctos Patres, qui aſſerit eſſe intruſum in eorum opera, quidquid eſt à veritate alienum, quàm is, qui dixerit eos ſcripſiſſe, quæ ignorarunt; homines enim erant.

498 Hac fortaſsè de causâ illa Epiſtola inſerta non fuit à Nicolao Coleto in ſecundâ editione Italiæ Sacræ anni 1717. licèt extet in primâ; ne ſcilicet produceretur iterum

Digitized by Google

terum instrumentum, quod apud nonnullos est dubiæ fidei.

499 Si autem concedamus illam Epistolam non esse suppositititiam, neque interpolatam, non ideo tamen causâ cademus.

500 Sumus in re Historicâ; & licèt sciamus, Sanctum Innocentium fuisse Virum Sanctissimum, non ideo tamen adigimur ad asserendum fuisse Historiarum, & provincialium Traditionem scientissimum. Scimus, ipsum scripsisse (dato quòd illa Epistola non sit interpolata) *legant si in istis provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse.* Scimus eodem modo, ipsum subjecisse: *Quod si non legunt, quòd nusquam invenitur.* Sed nescimus, quid responderint tunc Ecclesiæ Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Siciliæ, & Insularum interjacentium. Scimus tamen, quid respondere potuissent.

501 Scimus, docente Cardinale Baronio, ad annum Christi 51. num. 54. Italiam potuisse respondere, inveniri in suis Traditionibus, Sanctum Barnabam Apostolum prædicavisse in Italiâ.

502 Scimus, Galliam potuisse respondere, legi in Martyrologio Eusebii Cæsarienſis, Sanctum Philippum prædicavisse in Galliâ.

503 Scimus, Africam potuisse respondere, in eodem Martyrologio legi, Sanctum Simonem Apostolum prædicavisse in Ægypto, quæ regio est in Africâ. Scimus potuisse respondere, in Lybia prædicasse Sanctum Judam Apostolum, qui & Lebbæus dictus est, nam Sanctus Paulinus, qui vixit eodem tempore, quo Sanctus Innocentius I. scripsit Carmine 26.

*Lebbæum Libyes, Phryges accepere Philippum.*

Scimus potuisse respondere, legi in Sancti Joannis Chrysostomi Homiliâ de duodecim Apostolis, Sanctum Tho-

mam Apoſtolum prædicaſſe in Æthiopiâ, quæ eſt in Africâ: *Thomas baptiſmate Æthiopes dealbat.*

504 Scimus potuiſſe reſpondere S. Matthæum prædicaſſe in Æthiopia, quæ eſt in Africa; hocque conſtare ex Origene *lib.* 3. in Geneſim, ex quo illud deſumpſere Socrates *lib.* 1. *cap.* 19. Abbo Floriacenſis *Serm.* 5. Quod Socrate, & Abbone antiquior ſcripſerat Venantius Fortunatus, *lib.* 7. *Carmine* 3. *verſ.* 147.

*Inde triumphantem fert India Bartholomæum*
*Matthæum eximium Nadaber alta virum.*

Et clariùs *lib.* 1. *de Partu Virginis*, *verſ.* 295.

*Matthæus Æthiopes, Epheſinos valva Joannis.*

Et quod magis eſt, Martyrologium Romanum, quod XI. Kal. Octobris ait: *Natalis Sancti Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, qui in Æthiopia prædicans, martyrium paſſus eſt.* Et quod mihi maximum eſt, idem affirmat Breviarium Romanum in Feſto S. Matthæi, *lect.* 4.

505 Denique ſcimus, potuiſſe reſpondere omnes has Eccleſias, Sanctum Paulum non fuiſſe conſtitutum Sacerdotem à Sancto Petro, neque ab ejus ſucceſſoribus, & fuiſſe Apoſtolum, & docuiſſe in Italiâ, in Galliâ, in Hiſpaniâ, in Africâ, in Siciliâ, & Inſulis interjacentibus.

506 Ex his, quæ ſcimus, has provincias potuiſſe reſpondere, diſcimus quid à nobis reſponderi debeat Adverſariis ex authoritate Innocentii I. impugnantibus Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Nempè nos non urgeri poſſe authoritate, quæ convincitur adverſari non ſolùm Traditionibus Hiſpaniæ, ſed etiam Italiæ, Galliæ, Africæ, & Siciliæ; repugnare authoritati Sancti Joannis Chryſoſtomi antiquioris Sancto Innocentio; Sancti Paulini ipſi Sancto Innocentio coætanei, & Venantii Fortunati, qui licèt fuerit junior Sancto Innocentio, utpote mortuus ſexto ſæculo, cùm Sanctus Innocentius obierit quinto;

Digitized by Google

quinto ; fuit tamen Hiſtoriarum peritiſſimus, ut ex illius operibus conſtat ; nam cùm tot Apoſtoli prædicaverint in locis, in quibus Sanctus Innocentius negavit eos prædicaviſſe, quia id ignoravit, vel oblitus eſt, quid mirum ignoraſſe, aut non meminiſſe, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, quæ magis à Româ diſtabat, quàm Galliâ, in quâ prædicavit Sanctus Philippus, & Sanctus Paulus, & quàm ea pars Italiæ, quæ dicitur Inſubria, in quâ prædicavit Sanctus Barnabas Apoſtolus? Nihil ergo contra nos conficitur authoritate S. Innocentii I. ſcidimuſque Hiſtoriæ veritatis gladio nodum iſtum Gordianum.

507 De verbis hujus Epiſtolæ Sancti Innocentii contra nos adductis, loquens Dupin in Bibliothecâ Authorum Eccleſiaſticorum, tom. 3. pag. 93. mihi, ait Gallicè, quæ ſic Latinè reddo :

> *Inter alia hunc Pontificem hic proferre tanquam indubitata ea, quæ non carent difficultate, & in quibus bene probandis, ſatis laboraturus foret idem Sanctus Innocentius. Unde probaturus eſſet Pontifex, Apoſtolos per ſe ipſos ſtabiliiſſe omnia puncta diſciplinæ? Unde ſciri poteſt, illos omnes omnia uno, eodemque modo conformi ſtabiliiſſe? Et quando concederetur, omnes Apoſtolos ſtabiliiſſe eaſdem praxes, eaſdemque cæremonias in omnibus Eccleſiis, quas ipſi fundaverant ; nunquid inde ſequeretur, neceſſe fuiſſe ipſas ſemper obſervari? Quis neſcit diſciplinam poſſe, & debere mutari ſecundùm diverſas temporis circunſtantias? Unde probatur diſciplinam ſtabilitam à Sancto Petro exactiùs obſervatam ab Eccleſiâ Romanâ, quam aliæ Eccleſiæ obſervaverint diſciplinam acceptam ab Apoſtolis, qui illas fundaverant ?*

Subjungit autem Dupin, quod maximé è re noſtrâ eſt ; interrogat enim, quânam ratione certum ſit, Eccleſias Galliæ, Hiſpaniæ, & Africæ omnes fuiſſe fundatas ab illis,

illis, quos illuc miſerat Sanctus Petrus, aut ejus ſucceſſores? Et deinde interrogat Dupin, an neceſſarium eſſet adſtringere omnes Eccleſias ad mutandos uſus, & conſuetudines, quibus pacificè fruebantur, ut arriperent uſum, & conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ? Et tandem addit, poſſe excitari plures quæſtiones his ſimiles circa hoc Innocentii principium, in quibus ſolvendis valdè laborandum eſſet. Hæc eſt mens Dupin circa illam Innocentii primi Epiſtolam, ex quâ Adverſarii, qui Criticen, & Hiſtoriam negligunt, exiſtimant educi inevitabile telum adverſus Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

508 In eundem ſenſum ſcribit Sebaſtianus Tillemontius, ubi de Sancto Innocentio I. articulo 12. pag. 661. dicens, Sanctum Innocentium in hâc Epiſtolâ ad Decentium plura ſupponere ſatis difficilia, quorum primum eſt. Nullum Apoſtolum, præter Sanctum Petrum, prædicaſſe in Occidente, cùm tamen, ait Tillemontius, neceſſe ſit excipere ſaltem S. Paulum, & S. Joannem.

509 Secundum, omnes Eccleſias Occidentis referre originem ſuam ad Eccleſiam Romanam, cùm acceperint Fidem vel à Sancto Petro, vel ab ejus ſucceſſoribus. Quod tamen non credetur de Eccleſiâ Lugdunenſi.

510 Tertium, Apoſtolos diſpoſuiſſe omnia, & ſingula, etiam particularia, quæ ſpectant ad politiam Eccleſiaſticam.

511 Quartum, ſemper obſervatum fuiſſe Romæ exactè, quidquid Sanctus Petrus illic ſtabilivit, quin quidpiam ſit imminutum, vel adauctum.

512 Quintum, non eſſe permiſſum ulli Epiſcopo quidpiam de novo conſtituere, vel introducere in Eccleſiam ſuam, quod alibi eſt in praxim deductum.

513 Ex dictis conſtat, gratis dici magnam adhibitam fuiſſe diligentiam, & inquiſitionem à Sancto Innocentio,

centio, ut sciret, an aliquis Apostolorum Hispaniam adierit Euangelii docendi gratiâ; nam non est fundamentum ad credendum, maiorem ab ipso adhibitam fuisse diligentiam ad sciendum, an alius Apostolus prædicaverit in Hispaniâ, quàm an alius Apostolus prædicaverit in Italiâ, vel Africâ; sed constat fugisse illius diligentiam, Sanctum Barnabam prædicasse in Italiâ, Sanctos Simonèm, Judam, & Thomam prædicasse in Africâ: ergo non est mirum fugisse illius diligentiam, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ.

514 Hinc etiam patet, gratis dici, Sanctum Innocentium, priusquam hanc Epistolam scriberet, legisse monumenta, in quibus à Sancto Clemente, Sancti Petri discipulo, reconditæ erant memoriæ antiquissimorum Martyrum; nam Sanctus Innocentius scripsit hanc Epistolam anno 416. quando jam non extabant ea monumenta, sed incensa fuerunt omnia acta Martyrum in persecutione decimâ, jussu Diocletiani, quæ præcipuè exarsit anno 303. ut testatus est lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. & 3. Eusebius Cæsareensis, qui obiit circa annum 340. prius pluſquam septuaginta annis, quàm Sanctus Innocentius scriberet illam Epistolam. Et de tempore persecutionis decimæ sub Diocletiano loquens Cardinalis Baronius in Tractatu de Martyrologio Romano, quem præfixit Notis in ipsum Martyrologium, ait:

> *Tunc temporis in tanto Christianarum scripturarum naufragio factam esse lacrimabilem illam actorum Martyrum jacturam, nulla est penes nos dubitatio, tuncque sublata illa nobilissima rerum gestarum monumenta, tanto labore collecta, tot cognitoribus comprobata, ac tanto denique studio custodita: vixque ex tam immenso naufragio per paucas tabulas remansisse putamus.*

515 Quomodo ergo poterat Sanctus Innocentius I. legisse

legiſſe monumenta Romana, quæ jam ante centum annos interierant?

516 Et licèt Sanctus Innocentius legiſſet ea monumenta Romana, gratis dicitur in iis lecturum fuiſſe memorias præcipuè Apoſtolorum, glorioſaque martyria eorum, & provincias, in qùibus docuerunt, & paſſi ſunt; nam neque hoc demonſtrat immeritò citatus Baronius uſpiam, multòque minus in præcapitulatione ad Notas Martyrologii Romani, qui nullum tractatum ſcripſit hoc titulo inſignitum. Quod poſt titulum *De Martyrologio Romano*, ſubjicitur hic titulus minutiori caractere: *Præcapitulatio dicendorum*, hoc innuitur Elenchus argumentorum decem capitum, in quæ dividitur ille tractatus de Martyrologio Romano. Vocavit autem eum Elenchum præcapitulationem, imitatus Joannem Molanum, qui ſcribens tractatum de Martyrologiis ad calcem Martyrologii Uſuardi, editionis Lovanienſis anni 1573. quem in 23. capita diviſit, eorum primo præfixit hunc titulum: *Præcapitulatio dicendorum*, in eoque capite texuit Elenchum reliquorum 22. capitum, adſcribens uniuſcujuſque argumentum; & perveniens ad ultimum, ſic habet: *Caput 23. Habebit concluſionem, in quâ coronidis vice inſeretur, quod oporteat tardum, & modeſtum eſſe in reprehendendo.* Quod eo in capite egregiè docet, probatque duplici teſtimonio Sancti Auguſtini.

517 Et tantum abfuit Cardinalis Baronius ab aſſerendo in monumentis à Sancto Clemente colligi juſſis, eſſe memorias Apoſtolorum, illorumque prædicationem, ut capite 1. illius tratactus de Martyrologiis ex libro de Romanis Pontificibus, qui à Recentioribus quibuſdam citari conſuevit nomine Sancti Damaſi Pontificis Maximi Luſitani, de Sancto Clemente hæc deſcripſerit:

*Hic fecit ſeptem regiones dividi Notariis fidelibus Eccleſiæ,*

*cleſiæ, qui geſta Martyrum ſolicitè, & curioſè unuſquiſque per regionem ſuam perquirerent.*

Ergo illa monumenta non continebant memorias Apoſtolorum; nam ſi illas continuiſſet, prius de Apoſtolis, quàm de Martyribus facienda erat mentio. Præterea videtur, illa monumenta ſolùm continuiſſe martyria, quæ contingebant intra regiones Urbis Romæ. Cùm autem omnes Apoſtoli, præter SS. Petrum, & Paulum, paſſi ſunt procul Româ, non pertinebat ad Notarios Romanarum regionum de illis ſcribere: ergo quomodo poterat Sanctus Innocentius, etiamſi illa monumenta ſuo tempore extarent, in illis legere provincias, in quibus Apoſtoli prædicaverant? Ergo quomodo ſatis, ſuperque ſunt prædicta monumenta ad eam Sancti Innocentii negationem verificandam?

518 Accedit quòd Sanctus Joannes Chryſoſtomus, qui obiit anno 407. & literas dedit ad Sanctum Innocentium, literaſque ab illo recepit, jam dolebat non extare Hiſtorias Apoſtolorum, ut videre eſt in illius procœmio in Epiſtolam ad Philemonem: ergo mirum non eſt, Sanctum Innocentium non legiſſe Hiſtorias, quæ jam ſuo tempore non extabant, & ignoraſſe aliarum provinciarum Traditiones Hiſtoricas, curaretquea bolendas conſuetudines, quarum origo non probabatur referri ad Apoſtolos. Nam ex verbis Sancti Innocentii colligitur, ipſum non eſſe revocaturum eas conſuetudines, licèt diverſas à conſuetudinibus Eccleſiæ Romanæ, ſi probaretur illas ortum duxiſſe ab Apoſtolis, illud enim exprimit illa enuntiatio conditionata, *ſi non legunt, quia nuſquam invenitur, oportet eos ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit*; quæ habet hunc ſenſum, *ſi autem legatur; quia uſpiam invenitur, non opus eſt, ſeu non oportet eos deſerere ſuas conſuetudines, licèt ſint diverſæ ab illis, quas Eccleſia Romana cuſtodit.* Tuncque ſpe-

ctabat ad illas provincias, ſi vellent conſervare ſuas conſuetudines, allegare illas fluxiſſe ab Apoſtolis, quod an fecerint, vel facere voluerint, ignoratur.

519 Præterea poterat non legi, poterat non inveniri ſcriptum, alios Apoſtolos prædicaſſe in illis provinciis, & nihilominus poterat in illis extitiſſe talium Apoſtolorum prædicatio; quia certum eſt multa in Primitivâ Eccleſiâ accidiſſe, quorum memoria interiit corruptis, vel deperditis libris, & tamen poſtea cognita ſunt ſive per documenta à latebris eruta, ſive per miracula, ſive per revelationes.

520 Deinde defectus Scriptorum non inducit defectum Traditionum, ſed Traditio ſupplet defectum librorum; imò Traditio nihil aliud eſt, quàm de patribus ad filios liber ſucceſſivus, ut ex Diſertiſſimo Hiſtorico Luſitano Hyacintho Freire de Andrade, ſcripſit Eruditiſſimus Academiæ noſtræ ſocius Franciſcus Leitaõ Ferreira in tomo 2. Novæ Artis Argutiarum lect. 25. §. 4. num. 14. Unde licèt tempore Sancti Innocentii non extaret in libris memoria Apoſtolorum, qui prædicaverant in Italiâ, in Galliis, in Hiſpaniis, in Africâ, in Siciliâ, & in Inſulis interjacentibus; tamen poterat extare in Traditionibus, quæ cùm ſint verbum non ſcriptum, non dependent à libris.

521 Quocirca audiendus eſt Vir Clariſſimus Franciſcus à Sancto Auguſtino Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam cap. 10. §. 5. pag. 83. ubi ait:

> *Adjicio: quocumque tandem ſenſu verba ſumantur, non ruere Traditionem, cùm Innocentius ſolùm mentionem Scriptorum faciat, negetque uſpiam legi. Potuit enim non legi, & tamen tradi. Quo nihil Traditioni detrahitur, quâ nos quidem, uti ſupra ſæpiùs diximus, nitimur, nec multum de Authoribus laboramus.*

Cùm

522 Cùm autem illæ Traditiones essent provinciales, non tenebatur Sanctus Innocentius omnes perspectas habere, cùm ad Fidem, aut mores non pertineat cognitio primorum Agricolarum, qui Religionem plantavere; neque enim minus tenemur credere mysteriis Fidei, atque observare præcepta Euangelii, si ignoraverimus, quis Prædicator prius illa maioribus nostris annunciaverit, ut lepidè animadvertit Fleury in Prologo primi tomi Historiæ Ecclesiasticæ.

523 Secundus modus solvendi hoc argumentum, desumi potest ex Glossâ in cap. *Quis nesciat*, Distinct. 11. quæ exponit illud Sancti Innocentii: *Legant si in istis provinciis alius Apostolus invenitur, aut legitur docuisse.* Dicens per verbum *alius Apostolus*, significari idem ac *contrarius Apostolus*; & in hoc sensu certum est, quòd in illis provinciis non docuit alius Apostolus, quia certum est, quòd in illis provinciis non docuit ullus Apostolus contrarius Sancto Petro. Et cùm nos non dicamus, neque quis dicere possit, Sanctum Jacobum fuisse Apostolum contrarium Sancto Petro, non tollit authoritas Sancti Innocentii, Sanctum Jacobum docuisse in Hispaniâ.

524 Tertius modus solvendi hoc argumentum, desumitur à Decisione Sanctæ Rotæ Romanæ coram Coccino 1. Martii, anno 1630. n. 34. ubi post adductum testimonium Innocentii, subditur:

> *Huic objecto responsum fuit per Dominos conclusionem prædictam, quod scilicet nullus ex Apostolis præter Beatum Petrum Ecclesias in præfactis Regionibus fundaverit, esse intelligendam, ut nullus sine mandato, jussu, permissione, ac Beati Petri authoritate Ecclesias instituerit juxta solutionem Glossæ* in dicto capite Quis nesciat, in verbo Apostolus, *quam veluti magis receptam, ac veriorem referunt, & sequuntur ibidem*

Archidiaconus num. 2. Turrecremata n. 1. Gemin. num. 7.

525 Unde infertur in eâdem Deciſione, num. 36. *Hinc propterea manifeſtè apparet in nihilo diſpoſitioni* Text. in d. cap. Quis neſciat *advenſari, quod Beatus Jacobus ſuppoſitâ Petri authoritate, atque mandato, Sedem Cathedralem Cæſarauguſtanam inſtituerit.*

526 His conſonant, quæ leguntur in Myſticâ Civitate Dei, parte 3. lib. 7. cap. 13. n. 230. ubi dicitur, Sanctum Petrum diſtribuiſſe ſingulis Apoſtolis provincias, in quibus erant prædicaturi, & inter eos impoſuiſſe Sancto Jacobo Maiori Fidei prædicationem in Judæâ, Samariâ, & Hiſpaniâ.

527 Imò conſonant etiam dicta Neoterici Adverſarii dicentis, *quòd Apoſtolorum omnium authoritas, aut juriſdictio, quo ad ejus reſtrictionem, vel ampliationem à Petro Summo Pontifice dependebat.*

528 Sed non inde inferendum eſt, Sanctum Jacobum, vel alios Apoſtolos fundaſſe omnes Eccleſias ſub Epiſcopis, & in ſtatu perfecto; quocirca audiendus eſt Sanctus Epiphanius lib. 3. contra Hæreſes, hæreſi 75. ubi ait:

> *Non enim omnia ſtatim potuerunt Apoſtoli conſtituere.... Ubi verò non eſt inventus quis dignus Epiſcopatu, permanſit locus ſine Epiſcopo.*

Et inferiùs:

> *Singulæ res non ab initio omnia habuerunt, ſed progreſſu temporis ea, quæ ad neceſſariorum perfectionem requiruntur, parabantur.*

529 Ex hâc Sancti Epiphanii doctrinâ deducitur, Apoſtolos, & per conſequens, Sanctum Jacobum non ſemper tradidiſſe Eccleſiis omnia, quæ ſpectabant ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſed plura prudentiæ, & ſeduli-

tati

rati Episcoporum reliquisse pro temporum oportunitate ordinandâ. Quod confirmatur exemplo Sancti Pauli ad Titum scribentis cap. 1. vers. 5.

> *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Præsbyteros, sicut & ego dispossui tibi.*

Ergo licèt negetur ab Innocentio, quempiam Apostolum instituisse disciplinâ Ecclesiasticâ Ecclesias Hispaniæ, non ideo negatur, quempiam Apostolum prædicasse Euangelium in Hispaniâ: ergo nihil officit Sanctus Innocentius expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi.

## ASSERTIO XXVII.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non negatur authoritate S. Gregorii VII. Pontificis Maximi.*

530 ANtiquum est argumentum, utpote Romæ propositum tempore Clementis Octavi (ut testatur D. Didacus de Castilho in Prologo libri inscripti *Defensa de la venida, y predicacion Euangelica de Santiago en España*) contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quod eruere tentant ex authoritate Sanctissimi Pontificis Gregorii VII. qui vixit undecimo sæculo, utpote qui in Cœlum abiit anno Christi 1085. & anno 1074. Alphonso, & Sancio, quorum alter regnabat in Legione, & Castellâ, alter verò in Navarrâ, (non verò Sancio Regi Aragoniæ, ut animadvertit Ferreras ad annum Christi 1074.) scripsit Epistolam, quæ est 64. libri 1. & reperitur in Binii Collectione Conciliorum tomo 3. parte 2. pag. 274. & tomo 3. Epistolarum Decretalium Summorum

rum Pontificum Editionis Romanæ anno 1591. pag. 599. in illâque ait:

> *Cùm Beatus Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem Epiſcopos ab Urbe Româ ad inſtruendos Hiſpaniæ populos à Petro, & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructâ Idololatriâ, Chriſtianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, ordinem, & officium in Divinis cultibus agendis oſtenderunt, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicavere: veſtra diligentia non ignoret, quantam concordiam cum Romanâ Urbe Hiſpania in Religione, & ordine Divini Officii habuiſſet, ſatis patet.*

531 Primus, (quem ſciam) qui ex hoc Sancti Gregorii VII. loco deſumpſit argumentum contra expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi, fuit Cardinalis Baronius tomo nono Annalium, ad annum Chriſti 816. n. 51. & ex hoc teſtimonio duo hîc intulit; unum, Sanctum Jacobum non prædicaſſe in Hiſpaniâ; alterum, ſententiam de ejus prædicatione in Hiſpaniâ vel non fuiſſe cognitam, vel ſi fuit cognita, certè non fuiſſe creditam ad finem undecimi ſæculi, hoc eſt, anno 1074.

532 Poſt Cardinalem Baronium, eodem Sancti Gregorii VII. teſtimonio uſus eſt contra noſtram ſententiam Natalis Alexander, Diſſert. 15. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam primi ſæculi, uſus eſt & Sebaſtianus Tillemont; neque me latet à quodam viro Doctiſſimo affirmatum eſſe ex hoc teſtimonio erui argumentum inſuperabile adverſùs ſententiam, aſſerentem prædicationem Hiſpanicam Sancti Jacobi; mihi tamen è contra videtur, illud argumentum nullam vim exerere poſſe contra noſtram ſententiam, imò potiùs non nihil roboris contra adverſarios nobis ſuppeditare, (quantum poteſt authoritas junioris, quod ſanè non eſt multum,) jam expono. Unde ad hoc dicendum

dicendum moveor jure, an injuriâ, lector ſtudio partium liber, eſto judex.

533 Nihil nocet Sanctus Gregorius VII. noſtræ ſententiæ. Primò, quia licèt ſileat, non negat Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, argumentum autem à ſilentio nullius eſt roboris, ut latè demonſtrabimus totâ Sectione *6*. per ſex Aſſertiones, maximè Aſſertione 44.

534 Secundò, quia licèt argumentum à ſilentio aliquam vim haberet, totam amitteret, quando ſilentium eſſet è re Authoris ſilentis, hujuſque ſcopo faveret; ut evenit in hoc caſu Sancto Gregorio VII. nam cùm illius ſcopus eſſet oſtendere, Hiſpaniam in ordine Officii Divini magnam concordiam habuiſſe cum Urbe Romanâ, ad hoc oſtendendum, nihil eum juvabat prædicatio Hiſpanica Sancti Jacobi, imò ipſi officere poſſet, quia in iis, quæ ſpectant ad diſciplinam, non tenebantur Eccleſiæ ab diverſis Apoſtolis fundatæ eoſdem Canones obſervare, licèt Eccleſia Romana ſemper curaverit omnes ad unam, eandemque normam pertrahere; unde utile erat Sancto Gregorio ſilere prædicationem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quam, ut Vir Sanctus, & ingenuus, non poterat negare.

535 Tertiò, quia etiamſi non ſileret, ſed expreſsè negaret adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cùm eſſet teſtimonium Authoris Recentioris, utpote viventis ad finem undecimi ſæculi, non poterat in re Hiſtoricâ præjudicium inferre ſententiæ à prioribus aſſertæ; noſtra autem ſententia, etiam id confitentibus Adverſariis, maximè Natali Alexandro, jam invaluerat poſt octavum ſæculum; nam undecimo ſæculo, & ante Gregorii VII. Pontificatum, pluſquam centum quinquaginta annis ſcripſerant eam expeditionem Sanctus Notkerus, & Siſnandus Epiſcopus Irienſis; nono ſæculo eandem ſcripſerat

ſerat Walafridus Strabo, & ante ipſum Freculphus Epiſcopus Lexovienſis. Ad finem octavi ſæculi eandem ſcripſerat Beatus Præsbyter Libanienſis; ut prætéream Venerabilem Bedam, cæteroſque anteriores, de quibus nobis intentatur lis inferiùs decidenda. Quanta ergo contra iſtos authoritas Sancti Gregorii uno, altero, & tertio ſæculo junioris?

536 Quartò, quia Sanctus Gregorius non fuit admodùm inſtructus circa res Hiſpanicas, etiam recentiores expeditione Sancti Jacobi, quod ex eo patet, quia libro 1. Epiſtolâ 7. ſcripſit ad Hiſpanos:

> *Non latere vos credimus, Regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprii juris Sancti Petri fuiſſe, & adhuc, (licèt diù à Paganis ſit occupatum) lege tamen juſtitiæ non evacuatâ, nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere.*

Et ſimilia ſcripſit libro 4. Epiſtol 28. in hoc enim, ut probat doctiſſimus Ferreras tom. 5. Hiſtoriæ Hiſpaniæ ad annum Chriſti 1074. num. 8. deceptus eſt Sanctiſſimus Pontifex, unde non eſt idoneus teſtis ad res Hiſpanicas aſſerendas, vel negandas, multòque minus eas, quæ ſunt antiquiores, ac proinde nihil intereſſet, etiamſi expreſsè negaviſſet expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, rem antiquiſſimam.

537 Quintò, quia hoc eodem teſtimonio, quod contra nos producitur, oſtendit Sanctus Gregorius inſignem memoriæ lapſum, dum ſcribit: *Cùm Beatus Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet.* Nam Sanctus Paulus nunquam ſignificavit ſe adiiſſe Hiſpaniam, neque id ſignificare poterat anno, quo eam Epiſtolam ſcripſit ad Romanos. Si autem Gregorius non meminit ſententiæ Divi Pauli, quem præ manibus habebat, & quem referebat, quid mirum, oblitum fuiſſe expeditionis Sancti Jacobi,

& antiquissimæ, & quæ sibi, ad id, quod persuadere volebat, nihil inserviebat; imò potiùs fortasse obstabat, ut jam innuimus.

538 Neque reddit certius, & validius hoc testimonium illa Sancti Pontificis asseveratio (cui nimis non nemo fidit) quâ scripsit ad duos illos Reges: *Cum... vestra vigilantia non ignoret*; nam eâdem securitate scripserat ad Hispanos citatâ Epistolâ 7. libri 5. *Non latere vos credimus Regnum Hispaniæ ab antiquo proprii juris Sancti Petri fuisse*; & tamen hoc erat falsissimum, ut vidimus cum Ferreras.

539 Sextò, quia hoc testimonium videtur se ipsum destruere, quia si Sanctus Paulus significat, se adiisse in Hispaniam, ut ait Summus Pontifex; quomodo illi septem discipuli *Christianitatem fundaverunt*? Nam vel Sanctus Paulus venit in Hispaniam antequam venirent septem discipuli, vel post illorum adventum? Si venit ante discipulos, quomodo illi *Christianitatem fundaverunt*? An ne nihil fecerat Sanctus Paulus in Hispaniâ? Si venit post discipulos, vel non prædicavit, vel prædicavit ubi jam prædicatus erat Christus, & tunc certè non fuit primus, & unicus Prædicator Hispaniæ, ut susceptit probandum (licèt irrito conatu, & infeliciter, quia inefficaciter) Recentior Adversarius expeditionis Hispanicæ S. Jacobi.

540 Dixi *videri* illud testimonium se ipsum destruere, non autem se destruere, quia si rectè intelligatur, sibi constat; nam potuit Sanctus Paulus venire in Hispaniam, & angustiâ temporis pressus (aliò eum vocante Spiritu Sancto) abire, quin totam Hispaniam converteret. Deinde mittere eos septem Episcopos, qui fundarent Christianitatem in locis, in quibus non erat adhuc fundata. Plantarent Religionem in locis, in quibus non dum erat plantata. Et sic nulla in hoc testimonio S. Gregorii VII. erit contradictio.

541 Nunquam tamen ex hoc loco poteſt deduci argumentum efficax contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quam tacet ; imò ex illo nonnulla deducuntur, quæ ſolvunt argumenta aliquot adverſus illam facta; nam ex hoc loco Sancti Gregorii VII. plura deducuntur, quæ noſtram ſententiam de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi confirmant.

542 Primum eſt ex ipſâ prædicatione Sancti Pauli in Hiſpaniâ; nam ſi poſt prædicationem Sancti Pauli, adhuc ſeptem Epiſcopi potuerunt Chriſtianitatem fundare, Religionem plantare, quidni potuerit prædicare Sanctus Paulus Hiſpanis, in locis aliquot, in quibus Sanctus Jacobus non prædicaverat, vel confirmare ipſos, quos Sanctus Jacobus converterat? Non enim inſolitum erat Sancto Paulo, confirmare eos, quibus alii Apoſtoli prædicaverant, juxta illud Actor. 15.41.

*Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans Eccleſias : præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum.*

Quidni egerent confirmatione Sancti Pauli Eccleſiæ, quibus prædicaverant alii Apoſtoli; ſi illâ egebant etiam illæ, quibus prædicaverat ipſe Sanctus Paulus, juxta illud Act. 15. 36.

*Dixit ad Barnabam Paulus : Revertentes viſitemus fratres per univerſas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo ſe habeant.*

Et ſi aliæ Eccleſiæ egebant confirmatione, quidni egerent etiam Eccleſiæ Hiſpaniæ poſt prædicationem Sancti Jacobi?

543 Secundum eſt, ſi poſt prædicationem Sancti Pauli in Hiſpaniâ, remanſit in Hiſpaniâ Idololatria deſtruenda ab illis ſeptem Epiſcopis, quid mirum, ſi poſt prædicationem Sancti Jacobi, remanſerit in Hiſpaniâ Idololatria deſtruenda à Sancto Paulo? Et ſi affirmatio prædicationis

tionis ſeptem Epiſcoporum in Hiſpaniâ non opponitur affirmationi prædicationis Sancti Pauli, quomodo affirmatio prædicationis Sancti Pauli opponetur affirmationi præcedentis prædicationis Sancti Jacobi?

544 Tertium eſt, & in hâc quæſtione maximè notandum, utpote ſummi momenti. Si Sanctus Gregorius VII. undecimo ſæculo potuit, dicere miſſos fuiſſe hos ſeptem Epiſcopos, nullo producto antiquiore teſte, & creditur Sancto Gregorio VII. quare non eſt credendum Sancto Notkero, qui aliquot annis antequam ſcriberet Sanctus Gregorius, affirmavit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, licèt nullum produxerit teſtem antiquiorem? Quare non eſt credendum Walafrido Straboni, eandem expeditionem ſcribenti nono ſæculo? Quare non eſt credendum Freculpho, eandem ſcribenti ante Walafridum Strabonem? Quare non eſt credendum Beato, eandem expeditionem narranti octavo ſæculo? Quare non eſſet credendum Venerabili Bedæ, ante Beatum Præsbyterum Libanienſem, eandem ſcribenti? Quare non eſſet credendum Sancto Iſidoro, illam ſeptimo ſæculo ſcribenti, etiamſi nullum producat teſtem antiquiorem?

545 Si autem dixeris, Sanctum Gregorium accepiſſe hos ſeptem Prædicatores in Hiſpaniam miſſos ex Sancto Adone Viennenſi, in ſuo Martyrologio, Idibus Maii, nihil proficies, quia Sanctus Ado non dicit, eos ordinatos fuiſſe Epiſcopos, ut dicit Sanctus Gregorius VII. Si dixeris, eos Epiſcopos accepiſſe ex Uſuardo, & Beda, qui in ſuis Martyrologiis ad eundem diem eos vocant Epiſcopos, recurrit argumentum, & quæro, unde eos accepit Venerabilis Beda? Vel quomodo credendum eſt Venerabili Bedæ, eos ſeptem Epiſcopos numeranti ſine antiquiore teſte? Si autem non eſt credendum Venerabili Bedæ, Patri ſeptimi, & octavi ſæculi, multò minus credendum eſt Sancto Gre-

gorio VII. Authori undecimi ſæculi ; ſi verò credendum eſt Venerabili Bedæ, Patri octavi ſæculi, ſine antiquiore teſte aſſerenti ſeptem Epiſcopos Prædicatores Hiſpaniæ coætaneos Divo Paulo; quare credendum non eſſet Sancto Iſidoro, prædicationem Hiſpanicam Sancti Jacobi coætaneam Divo Paulo, etiam ſine antiquiore teſte aſſerenti?

546 Neque dicas cum Cardinale Baronio ad annum Chriſti 816. num. 51. Sanctum Gregorium VII. omnia ea, quæ in hâc Epiſtolâ ſcripſit, accepiſſe ex antiquitatis promptuariis, nempe ex teſtimonio Prædeceſſorum Romanorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum Hiſpaniæ ; nam Sanctus Gregorius non dicit, ſe ex illis promptuariis antiquitatis accepiſſe ſeptem illos Epiſcopos, ſed ſolùm, quòd Hiſpania ex diſcipulis Apoſtolorum ſuſcepiſſet Religionis exordium, ſic enim ait:

> *Unde cùm non dubitetis vos ſuſcepiſſe Religionis exordium, reſtat etiam, ut inde etiam recipiatis in Eccleſiaſtico ordine Divinum Officium. Quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Epiſcopum vos docet Epiſtola: Quod Hormiſdæ ad Hiſpalenſem miſſa decreta inſinuant: Quod Toletanum, & Bracharenſe demonſtrant Concilia.*

547 Neque enim Sanctus Gregorius VII. poterat dicere, ſe accepiſſe eos ſeptem Epiſcopos ex Sancto Innocentio I. ad Eugubinum Epiſcopum ſcribente ; quia Sanctus Innocentius in eâ Epiſtolâ non meminit eorum ſeptem Epiſcoporum, ſed in communi, & indefinitè de iis, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes.

548 Neque poterat dicere Sanctus Gregorius VII. ſe accepiſſe eos ſeptem Epiſcopos ex Sancto Hormiſdâ, qui vixit initio ſexti ſæculi, & in eâ Epiſtolâ, quæ eſt ſexageſima prima inter Epiſtolas hujus Pontificis, nihil dicit de

Digitized by Google

de primis Prædicatoribus Euangelii in Hiſpaniâ. Extat autem hæc Epiſtola tom. 1. Epiſtolarum Decretalium Summorum Pontificum pag. 520. editionis Romanæ anno 1591. Neque Sanctus Hormiſdas citatus eſt à Sancto Gregorio VII. aliâ de cauſâ, niſi quia ſuis Epiſtolis ſcriptis tam ad Salluſtium (Epiſcopus Hiſpalenſis erat, quod Macedum latuit, ut videre eſt in illius Diatribâ de adventu Sancti Jacobi cap. 11. §. 1. pag. 94.) quàm ad Epiſcopos Hiſpaniæ, commendabat obſervantiam Conſtitutionum Romanæ Eccleſiæ, qui etiam erat ſcopus, in quem collineabat Sanctus Gregorius VII. iis literis ad duos Reges datis, aliiſque Epiſtolis, cujus propoſiti tam tenax fuit ille Pontifex, ut libro 3. Epiſt. 18. ſcripſerit Simeoni Hiſpaniarum Epiſcopo, ut pro hoc certaret, & uſque ad ſanguinis effuſionem deſudaret.

549 Neque tandem Sanctus Gregorius VII. poterat dicere, ſe accepiſſe illos ſeptem Epiſcopos ex aliquo Concilio Toletano, quia nullum Concilium ex Toletanis (neque ex aliis) ut omnibus excuſſis, obſervavit accuratiſſimus Macedo in citatâ Diatribâ cap. 11. §. 2. meminit horum ſeptem Epiſcoporum. Denique non poterat dicere Sanctus Gregorius VII. ſe accepiſſe illos ſeptem Epiſcopos ex Concilio Bracharenſi, quod celebratum eſt Ærâ 599. hoc eſt anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo primo, quia in eo Concilio nulla mentio eſt ſeptem illorum Præſulum, ſed tantùm (ex iis, ad quæ reſpiciebat Sanctus Gregorius VII.) ibi ſermo eſt de uniformitate tenendâ in Divino Officio juxta ritum, & ordinem Sedis Apoſtolicæ, (qui, ut diximus, erat ſcopus Sancti Gregorii VII.) ut videre eſt in Conciliis Hiſpaniæ, collectis à Garcia de Loaiſa, pagina 120. & in Collectione Cardinalis de Aguirre tom. 2. pag. 294.

550 Ergo dicendum eſt, antiquiorem Authorem, qui

qui meminit horum ſeptem Epiſcoporum, fuiſſe Venerabilem Bedam. Et ſicuti in hoc creditur Venerabili Bedæ, id ſine antiquiori teſte aſſerenti, ita credendum eſt Sancto Iſidoro, aſſerenti expeditionem Hiſpanicam, etiam ſine antiquiore teſte producto; cùm Sanctus Iſidorus ſit Author, ex quo, ut antiquiore, plura deſumpſit Venerabilis Beda; aut deneganda fides eſt iis, quæ de his ſeptem Epiſcopis aſſerit Sanctus Gregorius VII.

551 Dixi antiquiorem Authorem, qui de his ſeptem Epiſcopis meminerit, eſſe Venerabilem Bedam, quia in Martyrologio Sancti Hieronymi, ſeu potiùs Euſebii Cæſareenſis, ut docet Venerabilis Beda in Retractatione in Acta Apoſtolorum capite 1. non inveniuntur horum Sanctorum nomina Idibus Maii, neque alibi; ut videre eſt in ipſo Martyrologio, quod edidit Franciſcus Maria Florentinius, qua Notis, qua Exercitationibus explicatum, Lucæ anno 1668. in fol. paginis 1072.

552 Si autem dixeris, hos ſeptem Epiſcopos inveniri in veteri Martyrologio Romano, quod edidit Heribertus Roſveydus S. Jeſ. Antuerpiæ ex officinâ Plantinianâ anno 1613. in folio, nihil proficis, quia in primis, licèt in illo Martyrologio inveniantur illi ſeptem Sancti ut Epiſcopi, tamen non legitur ibi miſſos fuiſſe in Hiſpaniam, ſolùm enim ad diem 15. Maii in eo Martyrologio dicitur:

Idus Maii.

*Torquati, Ctheſiphontis, Secundi, Indalecii, Cæcilii, Eſicii, Euſraſii, qui Romæ ab Apoſtolis ordinati ſunt.*

Nullâ factâ mentione de prædicatione, multòque minùs de Hiſpaniâ, aliove loco, quò miſſi fuerint. Ergo ſine teſte antiquiore Venerabili Bedâ (qui eſt pluſquam ſeptem ſæcula poſterior re narratâ) credendum eſt Sancto Gregorio VII. eos ſeptem Epiſcopos fuiſſe miſſos ab Apoſto-

Apostolis in Hispaniam; quare igitur non esset credendum Sancto Isidoro, antiquiori Venerabili Bedâ, ac proinde propiori rei narratæ, asserenti Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, cùm in hâc prædicatione nulla sit repugnantia?

553 Quartum est, si Venerabilis Beda, Usuardus, & Sanctus Ado asserunt, Sanctos illos septem Episcopos fuisse Confessores, unde accepit Sanctus Gregorius VII. eos fuisse Martyres, dicit enim: *Sanguine suo Ecclesias dedicavere.* Non ex Scriptoribus, non enim extant acta horum Martyrum, ut testatur Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium ad Idus Maii : ergo illorum martyria cognoscuntur ex Traditione Ecclesiarum Hispaniæ, ut ibidem asserit Baronius, dicens:

> *Cùm ex his aliqui inveniantur dicti Martyres à nonnullis, licèt eorum martyrii acta non habeantur, antiquæ tamen Traditioni Ecclesiarum, in quibus, ut patroni coluntur, acquiescendum putamus.*

Si ergo acquiescendum putat Baronius Traditioni non plurium, quàm ad summum septem Ecclesiarum, asserenti hos septem Episcopos fuisse Martyres, quare non putabitur acquiescendum Traditioni ipsarum septem, omniumque Ecclesiarum Hispaniæ, asserenti hos septem Sanctos fuisse auditores Sancti Jacobi Apostoli in Hispaniâ prædicantis? Quare acquiescendum Traditioni paucarum Ecclesiarum, testanti fuisse Martyres, licèt Venerabilis Beda, Usuardus, & S. Ado asserant fuisse Confessores; & non acquiescendum Traditioni omnium Ecclesiarum Hispaniæ, tenenti fuisse discipulos Sancti Jacobi, nullo antiquo Authore contradicente.

554 Quintum est, si credendum est Sancto Gregorio VII. asserenti ex Traditione paucarum Ecclesiarum, quarum sunt patroni, hos septem Sanctos fuisse Martyres, licèt

licèt eorum martyria non ſint relata in Martyrologium Romanum, neque in Breviarium; quare non eſt credendum Sancto Notkero, Freculpho, & Beato, ex Traditione aſſerentibus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, licèt hæc non ſit in Martyrologio Romano, cùm tamen ſit in Breviario, in quo etiam hi Sancti dicuntur diſcipuli Sancti Jacobi in Hiſpaniâ prædicantis?

555 Ut clariùs intelligantur ea, quæ hucùſque diximus, & pro coronide hujus Aſſertionis juvat excribere diſcipulorum Sancti Jacobi Elogium, prout habetur in Martyrologio Franciſci Maurolyci Abbatis Meſſanenſis, Viri Clariſſimi, quem miris laudibus extollit Doctiſſimus Antonius Mongitore in Bibliothecâ Siculâ tom. 1. à pag. 226. in illo igitur Martyrologio ſcripto anno 1564. & edito Venetiis anno 1568. ad Idus Maii, hæc habentur:

> *Ipſo die memoria novem diſcipulorum, ex quibus Torquatus Gadium, Ctheſephon Almeriæ, Secundus Abylæ, Indalecius Vici, Cæcilius Heliberis, Heſychius Carthesiæ, Euphraſius Turris Juliæ Epiſcopi fuere, quos Jacobus Apoſtolus Zebedæi filius ex Hiſpaniâ Hieroſolymam ſecum duxerat: & qui Magiſtri ab Herode perempti Corpus in Galliciam retulere, inde Romam profecti, à Beato Petro ad prædictas Urbes deſtinati, ut Callixtus Papa ſcribit. Duo autem reliqui hujus Apoſtoli comites Athanaſius, & Theodorus in Hiſpaniâ relicti, juxta Magiſtri ſepulchrum, apud Compoſtellam tumulati jacent, ut in Epiſtolâ quâdam Sancti Leonis legimus. Ab his primum in Hiſpaniis Chriſtianæ Fidei doctrina propagata eſt.*

556 Nihil ex hîc narratis negatur à Sancto Gregorio VII. licèt plura ſilentio prætereantur, utpote ad ſcopum ſibi propoſitum non pertinentia.

Nota

557 Nota hîc Maurolycum dicere ab his Sanctis fuisse *propagatam* in Hispaniâ Fidem, non verò *Christianitatem fundatam*, neque *religionem plantatam*, ut dixit Sanctus Gregorius; quod optimè cohæret cum eo, quòd Fides primò fuerit prædicata à Sancto Jacobo, & postea à Sancto Paulo Apostolis in Hispaniis, quam postea hi septem Episcopi latiùs per easdem Hispanias propagaverunt. Neque enim novum, vel inauditum est, plures operarios in eâdem vineâ domini unum, post alium laborasse; juxta illud Divi Pauli ad Corinthios prima cap. 3. vers. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.*

558 Nequis autem posset suspicari, ante hos Sanctos Episcopos, neque Sanctum Jacobum, neque Sanctum Paulum prædicavisse in Hispaniâ, noluit Ecclesia Romana, ut in suo Martyrologio, accurante Cardinale Baronio, jussu Gregorii XIII. correcto, & aucto ad Idus Maii in Elogio horum septem Episcoporum, manerent illa verba, quæ in Martyrologio Usuardi (quo Ecclesia olim usa fuerat) leguntur: *Ad prædicandum verbum Dei ad Hispanias tunc adhuc Gentili errore implicatas, directi sunt.* Sed eorum loco adscriberentur ista: *Ad prædicandum verbum Dei in Hispaniâ directi sunt.*

569 Eadem, quæ Maurolycus scripsit in Siciliâ anno 1564. scripserat inter alia Primus Cabilonensis Episcopus in Galliâ anno 1450. de his Sanctis Episcopis in Topographiâ Sanctorum Christi Martyrum, quæ impressa reperitur non tantùm ad calcem citati Martyrologii Romani, quondam per Magistrum Bellinum de Padua, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini emendati, atque noviſſimè per Fratrem Petrum Morselim Minoritam diligentiùs recogniti, caracteribus Gotthicis impressi Parisiis anno 1573. Ait enim Illustrissimus Primus in eâ Topographiâ, verbo Compostella:

*Compoſtella Hiſpaniæ civitas in Gallicià. Hic Jacobus Apoſtolus Zebedæi filius, qui per Indiam, Samariam, & Aſiam Minorem prædicaverat, deinde diſcipulos duodecim aſſumens, quorum tres, ſcilicet Hermogenem antea Magum, mox Antiochenum Epiſcopum, Philetum ejus diſcipulum Archidiaconum, & Joſiam Herodis Dapiferum, quos ipſe convertit Hieroſolymis, novem verò in Gallicià priùs elegerat, & eorum duobus ibi dimiſſis, ſcilicet Athanaſio, & Theodoro, cum ſeptem reliquis, ſcilicet Torquato, Ctheſiphonte, Secundo, Indalecio, Cecilio, Heſychio, & Euphraſio Hieroſolymam rediit, & ibi cum Joſiâ, Herodis juſſu, Claudio imperante, decollatur, cujus corpus ſeptem diſcipuli ad Hiſpaniam relatum, in Urbe dictâ tumularunt. De cujus miraculis innumeris Calixtus Papa librum edidit.*

560 In quo teſtimonio nonnulla notanda exiſtimo, primum eſt, illud *per Indiam* videri mendum, quod irrepſit in illa duo exemplaria, quæ penes me habeo, legendumque *per Judæam.* De Aſiâ Minore litem non moveo, propter ea, quæ Aſſertione 50. dico de Marmaricâ, cùm vindico locum Sancti Iſidori; & propter ea, quæ dicuntur alibi de Sancto Jacobo prædicante in Armeniâ, antequam reverteretur Hieroſolymam. Secundum eſt, deceptum eſſe Cabilonenſem, ut exterum circa locum, quo primùm tumulatus fuit Sanctus Jacobus à diſcipulis, qui fuit Iria Flavia, non verò Compoſtella, quò poſtea translatus eſt. Sed valdè obſervandum eſt, hæc ſcripſiſſe Epiſcopum Cabillonenſem pluſquam centum annos in Galliâ, antequam prodirent Chronica Dextri, & Maximi in Hiſpaniâ.

561 Ex dictis conſtat apertè, illam Epiſtolam Sancti Gregorii VII. nihil obſtare expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi; unde argumentum ex illâ deductum, & Romæ propo-

propositum, meritò rejectum, contemptumque est à Correctoribus Breviarii Romani sub Urbano VIII. & pariter constat, non posse negari eam expeditionem à producentibus illud Sancti Gregorii testimonium secundùm omnes suas partes; neque enim fas est partem illius admitti ut veram, & partem rejici ut falsam.

562 Deinde illo testimonio jugulatur Adversariorum Achilles, nempe argumentum negativum; nam sine teste coætaneo rei narratæ asseritur, & creditur res antiquissima, nempe missio septem Episcoporum. Illo testimonio magis stabilitur Traditio, quæ noster est murus aeneus, dum hîc contra testes antiquiores asseritur, & creditur fuisse Martyres eos, qui non nisi ex Traditione noscuntur Martyres. Unde tantum abest, ut Sanctus Gregorius resistat expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, ut potiùs illius defensoribus suffragetur; unde mirandum non est à Doctore Bartholomeo Laurentio Canonico Cæsaraugustano in libro inscripto *Indice de los Authores, que tratan de la venida de Santiago a España*, edito Cæsaraugustæ anno 1591. & à D. Joanne de Salazar Archidiacono Ubetensi in Ecclesiâ Gienensi, in tractatu Apologetico *de la venida, y predicacion de Santiago Zebedeo Apostol en España*, cap. 18. n. 11. pag. 226. repositum fuisse hunc Sanctum Pontificem inter Assertores adventus Sancti Jacobi in Hispaniam. Certè hoc Sancti Gregorii VII. testimonio armata nostra sententia,

*Obruit adversas acies, revolutaque tela*
*Vertit in Authores, & turbine repulit hastas.*
Claudianus de 3. Consulatu Honorii.

# ASSERTIO XXVIII.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non refellitur ex Clemente VIII. Pontifice Maximo.*

563 POſtquam oſtendimus Pontifices à Cardinale Baronio adductos contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, nihil ipſi officere, ſupereſt demonſtrare à Clemente VIII. non fuiſſe expugnatam ſententiam, quæ pro eâ expeditione pugnat. Ad hoc præſtandum nos adigit, qui nuper ſcripſit:

> *Summus Pontifex Clemens VIII. adnitente Baronio, omnium Cardinalium in re Hiſtoricâ eruditiſſimo, ex eo Breviario* (Romano) *deleri, & expungi juſſit vocatam hanc Traditionem de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ.*

564 Cùm legi hanc propoſitionem, protinùs apud me ſtatui Neotericum illam falſis aliorum dictis deceptum ſcripſiſſe, neque unquam vidiſſe Breviarium ſolius Clementis VIII. authoritate recognitum. Nam adduci non poſſum, ut credam Virum Doctiſſimum, ſi illud Breviarium legiſſet, ſcripturum fuiſſe eam propoſitionem, cujus aperta falſitas demonſtratur ſolâ ejuſdem Breviarii inſpectione; cum falſitas illius propoſitionis deprehenſa, maximè noceat authoritati operis, in quo legitur; juſtumque lectoribus incutiat timorem ſimilis deceptionis in aliis propoſitionibus. Nam Breviarium Clementis VIII. authoritate recognitum (cujus penes me habeo duplex exemplar, primum editum Venetiis apud Cieras anno 1623. in folio; alterum Antuerpiæ ex officinâ Plantinianâ anno 1628. etiam in folio) die 25. Julii in quintâ lectione Officii de Sancto Jacobo, hæc habet:

*Verum*

Digitized by Google

*Verum Jacobus post Jesu Christi Ascensionem in Cœlum in Judæâ, & Samariâ prædicans ejus Divinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem Magum, ad Christianam Fidem perduxit. Mox Hispaniam adiisse, & ibi aliquos ad Fidem convertisse Ecclesiarum illius provinciæ Traditio est, ex quorum numero septem postea Episcopi à Beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt.*

565 Quâ ergo veritatis specie dici potest, Clementem VIII. jussisse deleri, & expungi de Breviario Sancti Pii V. si Clemens apposuit Traditionem, quæ in illo non erat? Addo, Clementem non solùm id non jussisse; sed neque id seriò jubere potuisse; impossibile enim erat, ut ea Traditio deleretur ex Breviario, in quo non erat exarata, expungeretur ex libro, in quo non erat scripta. In Breviario autem Sancti Pii V. nulla erat ejus Traditionis mentio, sed absolutè legebatur de Sancto Jacobo:

*Mox peragratâ Hispaniâ, & ibi prædicato Euangelio, rediit Hierosolymam.*

566 Solùm igitur jussit Clemens VIII. ut refunderetur in Traditionem Ecclesiarum Hispaniæ ea expeditio, quæ priùs absolutè legebatur. Quod tantum abest, ut sit jubere deleri, & expungi Traditionem, ut imò potiùs sit jubere, ut ea Traditio exaretur, & scribatur, ut factum est.

567 Non rejecit Clemens VIII. Traditionem Ecclesiarum Hispaniæ, sed illam sanctam, tectamque esse voluit, nam ut ait Lorinus in Acta Apostolorum cap. 12. vers. 2. *Huic tamen* (Traditioni) *quæ magni meritò fieri solet, noluit Pontifex derogare.*

568 Non obesse Clementem VIII. expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, censuerunt omnes Catholici, qui post Clementem VIII. pro illâ expeditione decertarunt; videbant enim judicio Sedis Apostolicæ decisum, esse Tradi-

Traditionem Eccleſiarum Hiſpaniæ, Sanctum Jacobum in Hiſpaniâ prædicaviſſe, hocque factum eſſe, adnitente ipſo Cardinale Baronio, qui & non obſcurè ſignificavit, ſe fuiſſe deceptum, quando tomo nono Annalium illam expeditionem in dubium revocavit, ut teſtatur D. Didacus del Caſtillo in Prologo defenſionis adventus Sancti Jacobi.

569 Adeo non obeſt Clemens VIII. expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ut maximè illi aſſerendæ proſit, nam omnem de illâ dubitationem pepulit; quocirca audiendus eſt Thomas Maluenda, Clariſſimi Ordinis Prædicatorum Nobilis Author, qui teſte Nicolao Antonio in Bibliothecâ Scriptorum Hiſpaniæ *Acerrimo fuit ingenio, totiuſque Sacræ, ac profanæ literaturæ capaci, prompto, & acri judicio, memoriâ ſingulari: doctrinæque inſigne meritum religionis, ac pietatis cura, & ſtudio cumulavit.* Thomas Maluenda, cujus ſunt, teſte eodem Nicolao Antonio, *datæ ad Cæſarem Cardinalem Baronium octo jam operis magni partibus in lucem emiſſis celebrem ſæculari anno literæ de iis, quæ tam in* Annalium *libris, quàm in Martyrologiis jam pridem editis* notis *non omninò ſibi placerent.* Thomas Maluenda, qui Miſſale, Breviarium, & Martyrologium Patrum Dominicanorum, Maiorum juſſu recognovit. Audiendus, inquam, eſt præſtantiſſimus Author Maluenda, qui libro 4. de Antechriſto cap. 5. ubi expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi eruditè, ac ſapienter propugnat, ait:

> *Sed jam publicæ Eccleſiæ Tabulæ omnem dubitationem abſterſerunt: ſiquidem Romanum Breviarium juſſu Clementis VIII. poſtremò recognitum, poſt varias eâ de re habitas conſultationes, tandem veritate acriter diſcuſſâ, hæc publicè in Eccleſiâ legenda propoſuit:* Jacobum Hiſpaniam adiiſſe, & ibi aliquos ad Fidem convertiſſe, Eccleſiarum illius provinciæ Traditio eſt.

*Sic*

*Sic igitur omnibus, quæ nobis objiciuntur, strenuè opponimus unicam, & solam Hispanicarum Ecclesiarum Traditionem, quam nihil unquam convellet, aut labefactabit: licebitque hîc etiam usurpare præclarum illud Sancti Stephani Papæ, & Martyris elogium, apud Sanctum Cyprianum Epistolâ septuagesimâquartâ*: Nihil innovetur, nisi quòd traditum est: *& illud Sancti Chrysostomi Homil. 4. in 2. Thessalonic.* Est Traditio? nihil quæras ampliùs.

570 Consultationes, de quibus hîc loquitur Maluenda, habitæ sunt cum Clarissimo Septemviratu, cujus operâ recognitum fuit Breviarium Romanum jussu Clementis VIII. Hi autem septem Viri fuere Cæsar Cardinalis Baronius; Sylvius Cardinalis Antonianus, uterque ex Congregatione Oratorii; Robertus Cardinalis Bellarminus, ex Societate Jesu; Ludovicus de Torres, Archiepiscopus Montis Regalis, postea S. R. E. Cardinalis; Joannes Baptista Bandinus, Canonicus Sancti Petri de Urbe, Secretarius; Michael Ghislerius nostræ Congregationis Clericus Regularis; & celeberrimus Bartholomæus Gavantus Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli, quorum singuli, quanti faciendi sint, dicemus in Appendice de Authoritate Breviarii Romani.

571 De hoc Clementis VIII. judicio loquens Eruditissimus Criticus D. Joannes de Ferreras in Dissertatione Apologeticâ de Prædicatione Sancti Apostoli Zebedæi in Hispaniâ §. 1. n. 2. ait:

*Mittimus controversiam hanc legitimè agitatam coram Sanctissimo Christi Vicario Romano Pontifice, qui ejus examen demandavit RR. Card. Baronio, Bellarmino, & Sylvio Antoniano, actâque juridicâ formâ pro nobis latam sententiam.*

572 Si igitur, teste Maluenda (nam Ferreras nondum

dum ſcripſerat Diſſertationem Apologeticam, quando Neotericus Adverſarius ea exaravit, de quibus hîc querimur) tam validè confirmatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi ex Breviario recognito, juſſu Clementis VIII. qui in eo exprimi juſſit Traditionem Eccleſiarum Hiſpaniæ, quo jure dici poteſt, hunc Pontificem juſſiſſe illam Traditionem deleri, & expungi ex Breviario Romano? Eodem ſane jure, quo impugnatur illa expeditio, quod quidem nullum eſt, niſi id, quo damnatur veritas, quo Hiſtoria proſcribitur, quo Critice relegatur.

## SECTIO IV.

### *Aſſeritur expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non oppugnari à Sanctis Patribus.*

573 ETſi expeditio Hiſpanica negata fuerit à Centuriatoribus Magdeburgenſibus, juratis Romanæ Eccleſiæ hoſtibus, & in dubium revocata à Cardinale Baronio, valido Romanæ Eccleſiæ propugnatore, & iterum negata à Joanne Launoio, gigante illo Gallo, qui bellum intulit Cœlo; à Natali Alexandro, adverſus cujus Hiſtoriam Roma intonuit, illamque poſtravit fulmine, Vaticano; à Sebaſtiano Tilemontio, ſuperioris ſæculi Ariſtarcho; ut præteream reliquos Gallos Concilio Tridentino Recentiores, quos concepta præjudicia adverſus Hiſpanorum pietatem coegere, ut contemptâ Hiſtoriæ fide, & prætermiſſo Critices examine, illam expeditionem negarent. Nemo, quem viderim, illam dixit adverſari Sanctis Patribus; quouſque Neotericus Adverſarius non contentus ſcripſiſſe, illam repugnare Sancto Hieronymo, Sancto Auguſtino, Venantio Fortunato, Sancto Adoni Viennenſi, Petro Venerabili, & Sancto Antonio Ulyſſi-

Ulyssiponensi, aliisque Patribus; addidit, illam affirmantes opponi communi sensui Sanctorum Patrum. Quod, quàm sit à veritate alienum, sex Assertionibus demonstrabimus.

574 Ordo doctrinæ postulat, ut priùs demonstretur illius expeditionis affirmationem, non repugnare communi sensui omnium Sanctorum Patrum; deinde, neque repugnare singulis Patribus, quibus eam adversari dicitur. Hinc postquam palàm fecero, eam sententiam non esse contra communem Sanctorum Patrum sensum, rejectis in commodiorem locum iis, quæ spectant ad Sanctum Hieronymum, contentusque iis, quæ circa alios Patres scribo suis in locis, hîc solùm contendam ea loca, quæ producuntur ex Sancto Augustino, Venantio Fortunato, Sancto Adone Viennensi, Petro Venerabili, & Sancto Antonio Ulyssiponensi nihil officere affirmantibus illam expeditionem. Quod etiam credibile est existimasse paucos eos Doctissimos Viros, qui præcesserunt Neotericum in oppugnandâ expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi; nam cùm ex unâ parte versarint nocturnâ, diurnâque manu Patrum exemplaria, & ex aliâ undique corrivarint, quidquid credidere adversus illam adduci posse, nunquam è Patrum pharetrâ eduxerunt sagittam, quam emitterent in propugnatores veræ sententiæ asserenti, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ. Optimè enim norant Viri Doctissimi, in aureâ Patrum pharetrâ non posse inveniri sagittas plumbeas, quæ simul atque scopum attigerint, hebetantur. Talia enim sunt tela, quæ contra hanc expeditionem torquentur, unde reperiri non possunt in Patrum armamentario. Ideo priores nostræ sententiæ Hostes, licèt totis viribus nisi sint illam evertere, nihilominus nullum dictum Sanctorum Patrum, quorum volumina extent, adversus illam direxere.

# ASSERTIO XXIX.

## *Sententia affirmans expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, non adverſatur communi ſenſui Sanctorum Patrum.*

575 POſtquam Neotericus Adverſarius dixerat, adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniâ repugnare Actibus Apoſtolorum, ſubjunxit:

> *Dico inſuper repugnare receptiſſimo dogmati, nempe* communiſſimo antiquorum, & recentiorum Patrum ſenſui, non eſt contradicendum, *at demonſtrandum eſt ſenſum omnium Patrum, qui de hâc materiâ locuti ſunt, nullum alium eſſe, quàm quòd ſolus Gentium Doctor, & nullus alius fuerit Apoſtolus Hiſpaniarum.*

576 Certè ſi ſententia affirmans expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, repugnaret Actibus Apoſtolorum, non poſſet non repugnare communi ſenſui Sanctorum Patrum, huic enim neceſſe eſt, ut contradicat quidquid Sacræ Scripturæ adverſatur; cùm tamen jam oſtenderimus Aſſertione 9. hanc expeditionem immeritò dici repugnare Sacræ Scripturæ, & ſignatè oſtenſum ſit, non probari repugnare Actibus Apoſtolorum, ut videre eſt Aſſertione 10. ſupereſt demonſtrare, æquè immeritò dici contradicere communi ſenſui Sanctorum Patrum, cui non contradicendum monet illud dogma receptiſſimum.

577 Ut ſolvam igitur illud argumentum, reſpondeo primò cum Eruditiſſimo Benedictino Didier in Diſſertationibus Hiſtorico-Criticis in Sacram Scripturam Diſſert. 19. conſenſui Patrum non eſſe contradicendum in iis, quæ ad Fidem, & bonos mores ſpectant, in quibus temerarium ſemper eſt, & valdè periculoſum, neglectis anti-

antiquorum Patrum sententiis, suis opinionibus indulgere, non ita in rebus Criticis, & Historicis, quæ discuti possunt, & debent, juxta severioris Critices leges, quas negligunt Adversarii expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, dum decipiuntur præconceptis Gallorum præjudiciis. In rebus enim Historicis communis consensus Sanctorum Patrum non habet authoritatem infallibilem. Fuisse autem Sanctum Paulum unicum Apostolum, qui prædicaverit in Hispaniâ, est res Historica, & quæ nullo pacto spectat ad Fidem, aut bonos mores; unde citra piaculum hâc in re possemus discedere à communi sensu Sanctorum Patrum, ex solidis fundamentis, rationibusque fortioribus. Cùm in hâc materiâ, utpote Historicâ, consensus Sanctorum Patrum non habeat authoritatem infallibilem, juxta doctrinam acerrimi Critici Melchioris Cani ex Ordine Prædicatorum Episcopi Canariensis lib. 7. de Locis Theologicis cap. 3. conclusione 4. ubi ait:

> *Omnium etiam Sanctorum authoritas eo genere quæstionum, quas ad Fidem diximus minimè pertinere, fidem quidem probabilem facit: certam tamen non facit.*

578 Imò neque in rebus ad Fidem spectantibus est infallibilis plurium Sanctorum Patrum authoritas, contradicentibus, aut tacentibus aliis, sed solùm quando idem unanimiter asserunt omnes Patres, ut docet doctissimus Petrus Annatus Congregationis Doctrinæ Christianæ Præpositus Generalis in Apparatu Methodico ad Positivam Theologiam lib. 4. articulo 3. pag. 251. expurgatæ editionis Venetæ anni 1717. Quomodo igitur habebunt authoritatem, cui contradici non possit in re Historicâ, in quâ licèt nullus è Patribus contradiceret, omnes reliqui tacent, præsertim cùm non solùm omnes reliqui taceant, sed nonnulli contradicant, ut evenit in nostro casu; nonnulli enim è numero Sanctorum Patrum asserunt, San-

ctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, quod ſatis eſt ad contradicendum iis, qui dixiſſent, ſolùm Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ: ergo non juſtè adducitur pro aſſerendo unico Apoſtolatu Sancti Pauli in Hiſpaniâ, re utique Hiſtoricâ, conſenſus Sanctorum Patrum.

579 Reſpondeo ſecundò, immeritò dici, demonſtratum eſſe ſenſum omnium Patrum nullum alium eſſe, quàm quòd ſolus Gentium Doctor, & nullus alius fuerit Apoſtolus Hiſpaniarum; cùm nullus ex Sanctis Patribus, qui à Neoterico Adverſario producuntur locis ab illo citatis, dicat ſolùm Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, ut lectori manifeſtè oſtenſum eſt ſuprà Aſſertione 13. Si igitur nullus Sanctus Pater dixit, Sanctum Paulum fuiſſe unicum Prædicatorem Hiſpaniæ, quomodo contradicet communi ſenſui Sanctorum Patrum, qui dixerit etiam Sanctum Jacobum in Hiſpaniâ prædicaſſe?

580 Reſpondeo tertiò, videri hoc argumentum ſe ipſum jugulare illâ reſtrictione (*qui de hâc materiâ locuti ſunt*) nam ne detur infallibilis conſenſus Sanctorum Patrum, non eſt neceſſe, ut aliqui contradicant, ſed ſatis eſt, quòd aliqui taceant, ut ſuprà diximus cum Annato; iſta autem reſtrictio (*qui de hâc re locuti ſunt*) ſupponit, aliquos de illâ non fuiſſe locutos, quod eſt aliquos tacuiſſe; ac proinde non dari de hâc re conſenſum infallibilem Sanctorum Patrum, cui non eſſet reſiſtendum, ſi eſſemus in quæſtione ſpectante ad Fidem, aut mores. Quod non accidit in re Hiſtoricâ.

581 Reſpondeo quartò, multò receptius certè eſſe apud Sanctos Patres, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, quàm Sanctum Jacobum in Hiſpaniam non veniſſe; & tamen plures Authores negant expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli, ut vidimus Aſſertione 13. & tamen non accuſantur contradictionis conſenſui Sanctorum Patrum;

trum; quare ergo impingetur hoc crimen asserentibus expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi?

582. Respondeo quintò, dici non posse contradicere communi sensui Sanctorum Patrum eam sententiam, quæ extat expressa in Breviario Romano, recognito jussu Urbani VIII. ne demus ansam Hæreticis, dicendi Ecclesiam Romanam recessisse à communi sensu Sanctorum Patrum; nosque illius filios non veritos esse id asserere.

583 Hujus autem rationis pondus ex eo cognoscitur, quia vel expeditio Hispanica Sancti Jacobi est res gravis, vel non? Si est res gravis, non licet dicere Ecclesiam approbasse, nec etiam permissivè sententiam contra communem sensum Patrum in re gravi. Si non est res gravis, neque interest quidquam, quòd Ecclesia permittat in Breviario Romano sententiam contradicentem communi sensui Sanctorum Patrum, cur nobis vitio vertitur asserere illam expeditionem, etiam casu, quo hæc sententia adversaretur communi sensui Sanctorum Patrum.

584 Deinde, si Historias permitti in Breviario Romano non est res gravis, ad quid tanta Romanorum Pontificum sollicitudo, in examinandâ veritate Historiarum, quæ in Breviario Romano describuntur? Sed de hoc pleniùs in Appendice de Authoritate Breviarii Romani.

585 Soluto argumento deducto ex asserto communi consensu Sanctorum Patrum, pergamus ad solvenda argumenta, eruta ex authoritate aliquot singularium Patrum.

# ASSERTIO XXX.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non expugnatur authoritate S. Auguſtini.*

586 OPponit Neotericus Adverſarius expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi locum Sancti Auguſtini, dicens illam falſam omninò demonſtrari ex Sancto Auguſtino, qui Epiſtolâ 136. ad Voluſianum, aliàs Epiſtolâ 9. (in editione Patrum Congregationis Sancti Mauri hæc Epiſtola non eſt 136. ſed 137. aliàs 3.) agens de Apoſtolorum prædicatione in Gentibus, ſic ait n. 16.

> *Numero exigui per mundum diſſeminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, perſecutionibus creſcunt, per afflictionum angustias, uſque in terrarum extrema dilatantur.*

Poſt hæc verba Sancti Auguſtini, ſubjungit Recentior Adverſarius: *Vides Auguſtinum defenſoribus iſtis Jacobææ prædicationis inefficacis reſiſtentem, contradicentem, repugnantem? illi enim dicunt*: Apoſtolus Jacobus populos Hiſpanos, cùm diù illis prædicaret verbum Dei, cui ipſe Dominus cooperabatur, & quod confirmabat ſequentibus ſignis, id eſt miraculis, non convertit. *Auguſtinus autem de prædicatione omnium Apoſtolorum, nullum excipiendo, loquens, dicit*: Apoſtoli populos, quibus Fidem prædicarunt, *non qualicumque*, ſed mirabili facilitate converterunt, inter inimicos, hoc eſt, inter idolorum cultores plurimorum filiorum, quos in Chriſto per Euangelium genuerunt, prole aucti ſunt, totumque hoc, *concludit Auguſtinus*, egregiè præſtiterunt uſque in terrarum extrema, *proindeque in Hiſpaniam*, dilatati. *Quis ergo Auguſtini authoritate poſthabitâ credat his Neotericis eam Hiſpaniæ nationi adverſùs S. Jacobum reluctationem effutientibus.*

Hæc,

587 Hæc, licèt eleganter prolata, nihil conficiunt contra nos, qui non dicimus, Jacobæam prædicationem fuisse inefficacem, cùm nos ab ipso conversos fuisse gloriemur. Dicimus quidem, Sanctum Jacobum pauciores convertisse, quàm illius æstuans zelus desiderabat. Nos gratias agimus Adversario, qui nobis concedit, quòd Apostoli illi, de quibus loquitur Sanctus Augustinus ad Volusianum, fuerint usque in terrarum extrema, proindeque in Hispaniam, dilatati. Nam si plures Apostoli fuerunt in Hispaniam dilatati: ergo non solus Sanctus Paulus venit in Hispaniam: ergo venit alius Apostolus ex illis, de quibus loquitur Sanctus Augustinus. Illud solùm nobis restat optandum, scilicet fuisse Divi Augustini illa verba, quæ pro Augustinianis verbis Adversarius scribit: *Mirabili facilitate converterunt inter inimicos, hoc est, inter idolorum cultores plurimorum filiorum, quos in Christo, per Euangelium spiritualiter genuerunt, prole aucti sunt.* Quia si hæc dixisset Sanctus Augustinus de prædicatione omnium Apostolorum, nullum excipiendo, ut ait Adversarius; cùm nullus excipiatur, etiam includeretur Sanctus Jacobus Maior; haberemusque ex Sancto Augustino, Sanctum Jacobum Maiorem plurimos genuisse spirituales filios inter idolorum cultores; authoritateque Sancti Augustini, tamquam clavâ Herculis Lybici, prosterneremus eos, qui negant, Sanctum Jacobum potuisse prædicare Gentilibus, qui erant idolorum cultores, dilueremus enim authoritate Sancti Augustini, unum ex argumentis, quibus impetitur expeditio Hispanica Sancti Jacobi.

588 Certè nobis conceditur inter Apostolos, de quibus loquitur Sanctus Augustinus ad Volusianum, fuisse aliquem, qui dilatatus fuerit usque in Hispaniam; etiam certum est, hunc non potuisse esse Sanctum Paulum: ergo aliquis Apostolus præter Sanctum Paulum prædicavit in Hispa-

Hiſpaniâ: ergo Sanctus Paulus non fuit unicus Euangelii Prædicator in totâ Hiſpaniâ, ut vult Adverſarius.

589 Sanctum Paulum non poſſe numerari inter eos Apoſtolos, de quibus loquitur Sanctus Auguſtinus ad Voluſianum, demonſtratur ex verbis ipſius Sanctiſſimi Doctoris, ait enim in eâ Epiſtolâ eodem numero 16.

> *Mittit Spiritum Sanctum, implet Fideles unâ in domo congregatos, & hoc ipſum promiſſum orando, atque deſiderando expectantes: Impleti autem Spiritu Sancto, loquuntur repentè linguis omnium Gentium, arguunt fidenter errores, prædicant ſaluberrimam veritatem, exhortantur ad pœnitentiam præteritæ culpabilis vitæ, indulgentiam de Divinâ gratiâ pollicentur. Prædicationem pietatis, veræque religionis ſigna congruentia, & miracula conſequuntur. Excitatur adverſus eos ſæva infidelitas, tolerant prædicta, ſperant promiſſa, docent præcepta. Numero exigui per mundum diſſeminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, perſecutionibus creſcunt, per afflictionum anguſtias uſque in terrarum extrema dilatantur.*

590 Ex quibus verbis apertè demonſtratur, Sanctum Auguſtinum ſolùm loqui de illis duodecim Apoſtolis, qui in unâ domo congregati, impleti ſunt Spiritu Sancto; ſed inter illos non erat Sanctus Paulus, quia nondum erat converſus: ergo ille Apoſtolus, qui juxta Sanctum Auguſtinum dilatatus eſt in Hiſpaniam, non erat, neque eſſe potuit Sanctus Paulus.

591 Licèt illud argumentum deductum ex S. Auguſtino docente, populos mirâ facilitate converſos fuiſſe ab Apoſtolis, non militet contra nos, qui aſſerimus, Sanctum Jacobum convertiſſe plurimos in Hiſpaniâ, etiam operæpretium me facturum exiſtimo, ſi oſtenderim, ipſum non nimis nocere Aſſertoribus duritiei Hiſpanorum in accipiendo

Digitized by Google

endo Euangelio, quæ in causâ esse potuit, ut Sanctus Jacobus pauciores converterit in Hispaniâ; quod certè fieri potuit, quin obstet doctrina Sancti Augustini de mirâ facilitate conversionum; nam isti Neoterici affirmare possunt reluctationem Hispanæ nationis, quin illam effutiant (quod illis objicit Adversarius) effutire enim est ineptè, & inconsultè loqui, ut docet Eruditissimus Lexicographorum Princeps Ambrosius Calepinus nobilis Augustinianus; vel dicere cum mendatio, ut tradit Nonius, apud ipsum. Nam licèt Sanctus Augustinus dixerit populos mirâ facilitate conversos, etiam dixit Apostolos passos fuisse persecutiones, & afflictionum angustias; unde non est contra authoritatem Sancti Augustini asserere, Sanctum Jacobum passum fuisse angustias propter paucitatem eorum, quos mirâ facilitate converterat, qui sibi videbantur pauciores (ut anni alii Jacobo Patriarchæ) propter magnitudinem amoris, quo Christum, animasque ab eo redemptas prosequebatur.

592 Neque redditur impossibilis ea reluctatio Hispanorum adversus prædicationem Sancti Jacobi ex eo dilemate, quod conficit Recentior Adversarius, nam potest concedi non solùm alterutra illius pars, sed utraque; unde falsò asseritur neutrum dici posse. Nam de barbarie antiquorum incolarum Hispaniæ, imò veterum Lusitanorum fidem facit Valerius Maximus lib. 7. cap. 3. num. 6. dicens de eorum populis: *Gens barbara, aspera, & regi difficilis, in exitum suum ruens, quam utilitatem auribus respuerat, oculis prævidit.* De Hispanis antiquis ait Justinus lib. 44. cap. 2. *Feris propiora, quàm hominibus ingenia ferunt.* Quibus verò vitiis immersi erant Hispani tempore Sancti Jacobi, innuit Joannes Beletus Theologus Parisiensis in Rationali Divinorum Officiorum cap. 140. de festo Sancti Jacobi, ibi:

*Feſtum hoc Jacobi eſt Maioris, fratris Joannis Euangeliſtæ, & filii Zebedæi: Hujus corpus quieſcit in Compoſtellâ, quæ Hiſpaniæ pars eſt. Miſſus enim fuit, ut Hiſpanis verbum Dei concionaretur. Sed propter MALITIAM, ET DURITIAM Principum, extra unum, ad Fidem Chriſti, neminem convertere potuit.*

Quod clariùs expoſuit Guillielmus Durandus, etiam Gallus, in Rationali Divinorum Officiorum lib. 7. cap. 17. ubi ait:

*Jacobus Maior filius Zebedæi, frater Joannis Euangeliſtæ miſſus eſt ad prædicandum Hiſpanis, ſed cùm non poſſet niſi unum Principem ibi convertere, rediit Hieroſolymam.*

Malitia ergo, & duritia Principum in ſubditos derivata in cauſâ fuit, ne Sanctus Jacobus ex Hiſpaniâ maiorem fructum collegerit, nam ut ſapienter dixit Claudianus de quarto Conſulatu Honorii verſ. 302.

*Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.*

Hæc de barbarie, & vitiis veterum Hiſpanorum. E contra verò de peritiâ, facundiâ, & doctrinâ nonnullorum Hiſpanorum tempore Sancti Jacobi, non nihil conjicere poſſumus ex iis, quæ ſcribit (qui vixit eodem ſæculo, quo Sanctus Jacobus ſub Auguſto, & Tiberio) Strabo lib. 3. Geographiæ, agens de Turdetanis, de quibus ait:

*Hi inter Hiſpaniæ populos ſapientiâ putantur excellere, & literarum ſtudiis, & memorandæ vetuſtatis volumina habent, poemata, leges quoque verſibus conſcriptas, è ſex annorum millibus, ut aiunt. Cæteri etiam Hiſpani uſum habent literarum.*

Ergo potuere reluctari Hiſpani Sancto Jacobo, quidam propter barbariem, alii propter malitiam, alii propter humanam ſapientiam, quâ eſſent tumidi, & humanarum caligine rationum obcæcati, quâ ſicuti aliæ gentes credebant

Digitized by Google

bant esse stultitiam, quod Judæis erat scandalum, ut inquit Sanctus Paulus 1.Corint. 1. 22. & 23.

*Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*

593 Neque hoc evertitur grandiloquentiâ, quam Sanctus Gregorius Nazianzenus laudat orat. 30. in Sancto Jacobo Maiore; neque victoriâ Apostolorum, quam Adversarius Recentior adducit verbis, quæ dicit esse Sancti Joannis Damasceni, cùm sint Jodoci Clichtovæi Neoportensis, ejusdem Damasceni Commentatoris, nam licèt Apostoli semper vicerint moriendo, non semper vicere convertendo, ut testatur Sanctus Paulus ad Romanos 10. 16. dicens:

*Non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro?*

& vers. 21. ait Sanctus Paulus ex eodem Isaiâ:

*Ad Israel autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

Ergo non semper Apostoli mirâ facilitate convertebant. Quæ uberiùs exponit Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 3. de laudibus Sancti Pauli, dicens:

*Audi igitur quàm patienter, quàm mansuetè nobis pro illis loquatur, qui eum quinquies verberaverant, qui eum catenis oneraverant, qui vinculis sæpe constrinxerant, qui ejus ipsum sitiebant cruorem, quique illum quotidie discerpere gestiebant.*

Et infra prosequitur de eodem Sancto Paulo Apostolo idem Sanctus Joannes Chrysostomus:

*Et quia propter contumatiam eorum, atque duritiam, persuadere illis Fidem sermone non poterat, ad orationes convertebatur assiduas.*

Inferiùs verò subjungit:

*Mordebatur enim vehementer, ac penitùs diſſecabatur, cùm eos pereuntes videret, propter quod & multa ſolatia huic adhibebat dolori.*

594 Ex quibus omnibus conſtat, Apoſtolos non ſemper convertiſſe mirâ facilitate Infideles; neque ſoli Sancto Jacobo contigiſſe invenire duritiam Principum, & populorum, ſi non omnes obedierunt Euangelio, quod ipſe prædicabat; ac proinde nihil nobis officere locum ex Sancto Auguſtino contra nos productum.

595 Hæc dicta ſunto in gratiam eorum, qui affirmant Sanctum Jacobum paucos in Hiſpaniâ convertiſſe; nos enim tenemus à Sancto Apoſtolo plurimos Hiſpanos ad Fidem perductos; quin etiam illi Authores pro nobis ſtant, quia Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ affirmant; quod nos etiam eruimus ex tribus Authoribus, à Recentiore Adverſario adductis in confirmationem eorum, quæ dixerat ex Sancto Auguſtino.

596 Primus Author, ex quo hîc deſumimus argumentum pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, eſt Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui oratione 30. celebrat grandiloquentiam Sancti Jacobi; nam, inquiro, unde hauſit Sanctus Gregorius Nazianzenus grandiloquentiam Sancti Jacobi Maioris? Non ex Sacrâ Scripturâ, ex illâ enim non conſtat, Sanctum Jacobum fuiſſe grandiloquum; niſi velis Sanctum Jacobum Maiorem fuiſſe Authorem Epiſtolæ Canonicæ, ut plures volunt. Ergo vel id deſumpſit Sanctus Gregorius Nazianzenus ex Authoribus, qui nunc non extant, vel ex Traditione. Si velis aſſerere, Sanctum Gregorium tribuiſſe Epiſtolam Sancto Jacobo Maiori, maximo beneficio afficies propugnatores Jacobææ prædicationis in Hiſpaniâ, hoc enim plures eorum dicunt, quin id confirment authoritate Doctoris adeo conſpicui, ac fuit Sanctus Gregorius Nazianzenus, cujus

Digitized by Google

cujus discipulus fuit Doctor Maximus Sanctus Hieronymus.

597 Si dicetur, Sanctum Gregorium accepisse eam Sancti Jacobi grandiloquentiam ex libris, qui nunc non extant, quo jure negabitur, Sanctum Isidorum Hispalensem potuisse accipere prædicationem Hispanicam Sancti Jacobi ex libris, qui nunc non extant?

598 Si affirmetur, Sanctum Gregorium accepisse eam Sancti Jacobi grandiloquentiam ex Traditione; quâ ratione negari poterit, Sanctum Isidorum accepisse prædicationem Hispanicam ex Traditione?

599 Si tandem proferatur, Sanctum Gregorium tribuisse Sancto Jacobo Maiori grandiloquentiam ex eo, quòd vocatus fuerit à Christo Domino Filius Tonitrui, hoc est fulgur; meminisse oportet verborum Domini dicentis Matth. 24. 27. *Fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem*; & fatendum est, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, quæ est regio Occidentis.

600 Secundus Author citatus à Recentiore Adversario, ex quo arguo Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, est Sanctus Joannes Damascenus lib. 4. Orthodoxæ Fidei cap. 4. ubi de conversione Gentium loquens, ait:

> *Quodque mirum est, hæc omnia per crucem, & cruciatus, ac mortem confecta sunt: TOTOQUE ORBE Euangelium illud, quo nobis Dei cognitio patuit, promulgatum est non bello, & armis, copiisque militaribus adversarios fundens, atque in fugam vertens: verùm pauci homines nudi, pauperes, ac literarum IGNARI, vexati, excruciati, necati, eum qui carne in crucem actus, morteque affectus fuerat prædicantes, doctos, viribusque pollentes superarunt.*

601 Ex quibus sic discurro: Sanctus Joannes Damascenus hîc loquitur de Euangelio TOTO ORBE promulgato:

mulgato: ergo loquitur etiam de Euangelio promulgato in Hiſpaniâ, quæ eſt pars non minima Europæ, quæ eſt prima pars Orbis: ergo etiam de Promulgatore Euangelii in Hiſpaniâ, cùm loquatur de illis, qui promulgaverunt Euangelium toto Orbe. Ergo non tribuit promulgationem, ſeu primam Euangelii prædicationem in Hiſpaniâ Sancto Paulo; quod ſic oſtendo.

602 Sanctus Joannes Damaſcenus hoc loco tribuit promulgationem Euangelii in toto Orbe hominibus *literarum ignaris*: ergo etiam tribuit primam promulgationem Euangelii in Hiſpaniâ hominibus literarum ignaris; ſed Sanctus Paulus non fuit homo literarum ignarus, ſed Divinis, humaniſque literis inſtructus, ut docet A Lapide in Proœmio ad Commentaria in Epiſtolas Sancti Pauli capite 1. & capite 3. unde Feſtus dixit ad Sanctum Paulum Act. 26. verſ. 24. *Multæ literæ te ad inſaniam convertunt.* Ergo converſio Hiſpaniæ non tribuitur hoc loco Sancto Paulo literarum gnaro, ſed Apoſtolo literarum ignaro: ergo Sancto Jacobo; neque enim dicitur Hiſpania ſorte data alii Apoſtolo.

603 Simile argumentum poteram deducere ex Origene inter antiquiſſimos Patres numerando, qui libro 2. Periarchon cap. 6. tomo 1. pagina 441. A. editionis Pariſienſis anni 1604. de Chriſto Domino loquens, ait:

> *Poſt Aſcenſionem verò ſuam in Cœlos Sanctos Apoſtolos Divinitatis ſuæ virtute repletos homines, vel ex publicanis, vel ex piſcatoribus imperitos, & indoctos circuire fecit Orbem terrarum, ut ex omni genere, atque ex omnibus populis piorum plebem in ſe credentium congregarent.*

Quæ optimè quadrant Sancto Jacobo, qui fuit ex piſcatoribus, imperitus, & indoctus, non verò Sancto Paulo, qui neque fuit ex publicanis, neque ex piſcatoribus, neque impe-

imperitus, neque indoctus; sed hîc Origenis authoritate non utor, quia non est prolata à Neoterico Adversario.

604 Tertius Author, ex quo hîc desumimus argumentum pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, (hoc tamen ideo tantum, quia illius verba profert Neotericus Adversarius) est Jodocus Clichtonæus, cujus verba ab illo tribuuntur Sancto Joanni Damasceno, ut dixi: hic in Commentario in cap. 4. lib. 4. Fidei Orthodoxæ Sancti Joannis Damasceni, ait:

> *Si verò per quos in toto terrarum Orbe Euangelicum semen dispersum est, totusque mundus ad Christum conversus placet intueri, illicò se offerunt Apostoli, nudi quidem mundi opibus, sed locupletissimi divitiis Cœlestibus. Illiterati, quantum ad humani studii exercitium, sed sapientissimi infusione Cœlestis Spiritûs, & omnem mundi sapientiam eminentissimè transcendentes. Invalidi quidem corpore, & viribus mundi, sed fortissimi animo, constantiæque virtute munitissimi. Reges, Tyranos, Principes, & omnem mundi violentiam devicerunt: facti fortes in bello, non contra pugnando, sed tolerando omnem Adversariorum veritatis rabiem, immanitatem, & persecutiones prostraverunt. Idem quoque pauci, nam DUODECIM à Domino in id delecti ministerium, universum mundum sub Christi misere jugum triumphatores egregii, & quibusvis belli ducibus præstantiores.*

605 Ex his habemus persecutiones, quas passi sunt Apostoli, licèt populos converterint mirâ facilitate; habemus totum Orbem, ac proinde Hispaniam, missum sub jugum Christi ab hominibus illiteratis: ergo non à Sancto Paulo, qui, ut diximus, fuit literatissimus, totum Orbem conversum fuisse à duodecim hominibus, ac proinde Hispaniam conversam ab uno è duodecim Apostolis: ergo non à Divo Paulo, qui non fuit ullus ex duodecim,

sed

ſed tertiuſdecimus Apoſtolus, ut obſervavit Venerabilis Beda poſt Sanctum Auguſtinum. Ergo primus Hiſpaniæ Prædicator non fuit Sanctus Paulus, ſed Sanctus Jacobus triumphator egregius, & quibuſvis belli ducibus præſtantior.

606 Etiamſi non extarent tot argumenta, quæ demonſtrant non contradicere Sancto Auguſtino eos, qui affirmant, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, ſatis eſſet ad hoc demonſtrandum, oſtendere plures eſſe Magni Patris Auguſtini Magnos filios, qui docent, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ; nefas enim eſt ſuſpicari de optimis Viris non paruiſſe concilio Salomonis dicentis Proverb. 4 verſ. 1. *Audite filii diſciplinam patris, & attendite, ut ſciatis prudentiam*, quantò magis fuiſſe Sanctiſſimo, & Sapientiſſimo Parenti contrarios. Plures enim ſunt Sancti Auguſtini filii, tam Canonici Regulares, quàm Eremitæ, & ex his tam Calceati, quàm Nudipedes, qui ſcripſere, Sanctum Jacobum Hiſpanis lucem Euangelii attuliſſe.

607 Optarem equidem producere in medium omnes Hipponenſis Aquilæ filios, qui non conniventibus oculis veritatis ſolem intuentes, Apoſtolicum fulmen, tonitrui filium, Sanctum Jacobum Zebedæi impietatis arcibus infeſtum in Hiſpaniâ fuiſſe, impavidi aſſeruere. Sed cùm librorum inopiâ laborem, paucos referam.

608 Omnium agmen ducat Sanctus Lucinianus, ſive Licinianus, qui vixit ante Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem, eumque habuit laudatorem lib. de Viris Illuſtribus cap. 42. Sequantur Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Fr. Joſephus de Oliveira, Epiſcopus Angolanus, cujus nomen pro elogio eſt luculentiſſimo; Magnus Fr. Ægidius à Præſentatione; Inſignis Hiſtoricus Jacobus Philippus Bergomenſis, dictus à Trithemio *Hiſtoriographus celeberri-*

*celeberrimus*, & à Renato Choppino *Clariſſimum Eccleſiæ lumen, ſacrorumque voluminum Author venerandus*, cujus encomium ſcripſit Donatus Calvus in Scenâ Literariâ Scriptorum Bergomenſium parte 1. pag. 196. Magnus Ludovicus Legionenſis; Maximus Baſilius Pontius Legionenſis; Clariſſimus Eccleſiaſtes Petrus de Valderrama; Doctiſſimus Alphonſus de Mendoça; Inſignis Hiſtoricus Fr. Hieronymus Roman; Philippus de la Gandara; Petrus à Sancto Jacobo; Jaymius Ferrer; & ex noſtrâ Luſitaniâ Ludovicus de Angelis. Pro noſtrâ ſententiâ etiam allegatos ſcio Gartiam, & Aldoveram, Thomam, Davila, & Ferdinandum Camargum, quatuor Auguſtinianos Eremitas, quorum opera me latent. Inter Auguſtinianos Nudipedes pro nobis ſtat Venerabilis Antherus Maria, & noviſſimè Reverendiſſimus Pater Fr. Auguſtinus à Sanctâ Mariâ, olim ſuæ Congregationis Antiſtes Generalis, qui Luſitanam pietatem nunquam deſinit fovere ſcriptis voluminibus, eandemque adhuc ornat ſpartam Vir octogenario maior, qui nuper egregiam ſcripſit Diſſertationem pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quæ extat in illius Hiſtoriâ Tripartitâ parte 2. Ex Canonicis Regularibus Sancti Auguſtini ſcio ſtare pro noſtrâ ſententiâ Raphaelem Volaterranum, Gabrielem Pennotum, Philippum Piccinellum, Nicolaum à Sanctâ Mariâ, Leonardum à Sancto Joſepho.

609 Et quis credat Sancti Auguſtini filios adverſatos fuiſſe Sanctiſſimo Parenti in aſſerendâ expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi? Cùm autem tot Auguſtiniani pro illâ ſteterint libris ſuo loco citandis, ſignum manifeſtiſſimum eſt, ipſam à Sancto Auguſtino nullo pacto fuiſſe impugnatam, nullaque Sancti Doctoris verba contra hanc expeditionem poſſe detorqueri.

# ASSERTIO XXXI.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi oppugnari non poteſt authoritate Venantii Fortunati.*

610 OPponitur expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi à Recentiore ejus Adverſario Venantius Fortunatus, his verbis.

*Venantius Fortunatus, qui claruit anno Domini 570. de Virginitate carmine quarto canens Sanctorum in Cælo triumphum, & plauſum in honorem virginitatis inducit Apoſtolos venientes ex iis regionibus, in quibus prædicaverunt Euangelium, ſic cecinit:*

Legis conſulti Pauli comitante volatu
Princeps Romana currit ab arce Petrus;
Conveniunt ad feſta ſimul ſua dona ferentes
Hi quorum cineres Urbs caput Orbis habet.
Culmen Apoſtolicum radianti luce coruſcum
Nobilis Andream mittit Achaia ſuum:
Præcipuum meritis Epheſus veneranda Joannem,
Dirigit & Jacobos terra beata ſacros.
Læta ſuis votis Hierapolis alma Philippum &c.

*Neque dicas Venantium dicere, Apoſtolos ex eis provinciis veniſſe, ideo quòd in illis paſſi ſint, cùmque uterque Jacobus Hieroſolymis, quæ terra beata, ſive Sancta vocatur, fuerint occiſi, idcircò à terrâ beatâ miſſos ſcribit Venantius, non ex eo, quòd in dictis regionibus prædicaverint. Non, inquam, hoc dicas, quia ſi hoc verum eſſet, non diceret Venantius, Joannem ab Epheſo directum, ſeu miſſum fuiſſe, quia Joannes nihil martyrii in Epheſo, ſed Romæ paſſus fuit ad Portam Latinam, licèt ibi non obierit,*

*obierit, & tamen non ab Urbe, sed ab Epheso, ubi prædicavit, missus dicitur: Ergo & Jacobus Maior ab Hispaniâ missus diceretur, si in illâ prædicavisset, etiamsi in illâ cæsus non fuisset.*

611 Hoc argumentum cùm sit ab authoritate Venantii Fortunati, magni faciendum videtur, cùm is fuerit unus ex Patribus sexti sæculi; & cùm sit mirâ arte propositum, diligentiùs est excutiendùm. Et cùm de novo sit inventum ab ingeniosissimo Adversario ex próprio Marte, non possumus illi respondere nisi ex nostrâ, licèt pingui Minervâ. Et cùm facilior responsio ad hoc argumentum petenda sit ex verbis ipsius Venantii Fortunati; difficilis tamen inventu est iste locus Venantii Fortunati de Virginitate carmine quarto, non citato libro.

612 Tres editiones operum Venantii Fortunati penes me habeo, unam Genevensem anni 1627. in corpore omnium veterum Poetarum Latinorum, in quo à pagina 2049. usque ad paginam 2065. reperiuntur carmina Venantii Fortunati, in quatuor libros divisa. Alteram Lugdunensem in tomo 10. Bibliothecæ Patrum Anissonianæ, in quo à pagina 520. usque ad paginam 618. leguntur vita, & opera Venantii Fortunati, in plures libros distributa. Tertiam Londinensem anni 1713. inter opera, & fragmenta veterum Poetarum Latinorum; inter quæ tomo 2. à pagina 1693. usque ad paginam 1752. reperiuntur carmina, unde eruitur argumentum, sed in unâquaque earum titulo diverso ab eo, quo ab Adversario hîc citantur. Nam in editione Genevensi reperiuntur in libro 3. sub hoc titulo. *De Gaudiis, & Spe vitæ æternæ ex libro* 8. In editione Londinensi reperiuntur libro 7. sub hoc titulo 3. *De Senatu Curiæ Cœlestis, & de Virginitate.* In editione autem Lugdunensi reperiuntur libro octavo sub hoc

titulo 4. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Dominæ meæ Mariæ Matris ejus de Virginitate.*

613 Nunc argumentum excutiamus. Supponit in primis Adverſarius, & aſſerit, Venantium Fortunatum inducere Apoſtolos venientes ex iis regionibus, in quibus prædicaverunt Euangelium, non verò ex eis provinciis, in quibus mortui ſunt; ſed hoc eſt contra rei veritatem; nam Cardinalis Baronius tomo 9. ad annum Chriſti 816. n. 52. ex hoc loco Venantii Fortunati probat, ipſum ignoraſſe, Sancti Jacobi corpus translatum eſſe in Hiſpaniam; ait enim:

> *Fuiſſe autem id quidem penitùs ignoratum, in argumentum deduci poteſt, quod Venantius Fortunatus in carmine de Bodegiſilo duce* (Hîc nota, hoc carmen Venantii in editione, quâ utebatur Baronius, diverſum habuiſſe titulum ab eis, quos retuli ex tribus editionibus) *cùm relegit cujuſque provinciæ, vel civitatis celebriores in illis POSITOS, & cultui expoſitos Sanctos, primum de Joanne, atque Jacobo Sanctis fratribus, neſciens Hieroſolymis hunc translatum, hos habet verſus.*

Præcipuum meritis Epheſus veneranda Joannem
Dirigit & Jacobum terra beata ſuum.

> *Cùm verò ad Hiſpaniam idem Author pervenit, qui in eâ celebrior habetur, Vincentium nominat iſto verſu:*

Vincenti Hiſpana ſurgit ab arce decus.

> *Quod illo nullus clarior in eâ provinciâ Sanctus aliquis eſſe ſciretur; ut planè appareat, adhuc occultum jacuiſſe, qui delitescebat magnus ſub terrâ theſaurus.*

Hæc Baronius, cujus verba inferiùs relegemus. Et clariùs in notis ad Martyrologium Romanum XI. Kal. Octobris, ubi ait:

> *Aſſentior Venantio Fortunato, qui ante annos mille vixit:*

*is*

*is etenim, dum agit de Apostolis singulis, ipsisque locis, ubi passi, & conditi sunt.*

Ergo judicio Cardinalis Baronii, Venantius Fortunatus non inducit Apostolos venientes ex locis, ubi prædicaverunt, sed ex locis, in quibus sepulti fuerunt: ergo inducens Sanctum Jacobum venientem ex terrâ beatâ, noluit eum inducere ex loco prædicationis, quem sortitus fuerat, sed ex loco sepulchri, quo positus fuit statim à martyrio, qui creditur fuisse in terrâ Sanctâ, hinc dixit:

*Dirigit & Jacobum terra beata suum.*

614 Qui autem non crediderit Cardinali Baronio, asserenti Venantium Fortunatum educere Sanctos Apostolos ex locis, ubi sepulti fuerunt, credat ipsi Venantio Fortunato, id efficaciter suadenti. Nam quid, nisi locum sepulturæ respexit, loquens de Principibus Apostolorum, de quibus dixit:

*Legis consulti Pauli comitante volatu*
*Princeps Romana currit ab arce Petrus:*
*Conveniunt ad festa simul sua dona ferentes,*
*Hi quorum cineres Urbs caput Orbis habet?*

Quid nisi locum sepulturæ respexit, loquens de Sanctis Apostolis Simone, & Juda, cum dixit:

*Hinc Simonem, ac Judam lumen Persidе gemellum*
*Læta relaxato mittit ad astra sinu?*

Significat enim terram Persicam, quâ sepulti erant hi duo Apostoli, se aperuisse, & relaxasse sinum suum, ut eorum corpora prodirent. Quid nisi locum sepulturæ respexit, loquens de Sancto Vitale, & aliis, de quibus cecinit:

*Vitalem, & reliquos, quos cara Ravenna sepultat?*

615 Si autem non credatur Baronio, neque Venantio Fortunato, quorum ille asserit, iste ostendit in illo carmine respici ad loca sepulturæ, credatur ingeniosissimo Adversario, qui ideo non descripsit totum illud

Disti-

Diſtichum, ſed ſiſtens in Hexametro, ſcripſit tantùm:

*Læta ſuis votis Hierapolis alma Philippum &c.*

Quia illius Pentameter erat:.

*Producens Thomam munus Edeſſa pium.*

Quem verſum ideo voluit ſubducere, & ſilentio premere, quia in eo manifeſtè legitur, Sanctum Thomam productum ab Edeſsâ, quæ quidem credita eſt locus ſepulturæ Sancti Thomæ, non verò prædicationis hujus Apoſtoli, ut videre eſt apud Sanctum Adonem in Libello de Feſtivitate Apoſtolorum XII. Kal. Januarii, ubi ait:

*Natalis Beati Thomæ Apoſtoli, qui Parthis, & Medis Euangelium prædicans, paſſus eſt in Indiâ. Corpus ejus in civitatem, quam Syri Edeſſam vocant, translatum, ibique digno honore conditum eſt.*

616 Vidit perſpicaciſſimus Adverſarius hoc Pentametro jugulari ſuum argumentum ex Venantio Fortunato, ideo illum premere voluit; nam ſicuti ex eo, quòd hoc carmine producat Edeſſa Sanctum Thomam ibi ſepultum, non tollit, quòd ipſe prædicaverit Parthis, & Medis, & Indis; ſic neque ex eo, quòd terra Beata, ſive Sancta miſerit Sanctum Jacobum ibi ſepultum, tollitur, quòd ipſe prædicaverit Hiſpanis. Ex dictis apertè conſtat, hunc locum Venantii Fortunati nihil obſtare expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi.

617 Summâ autem dexteritate occurrit Adverſarius interpretationi de loco ſepulturæ, cavendo, ne dicatur, Venantium ideo dicere Apoſtolos ex eis provinciis veniſſe, quia in illis paſſi ſunt, ut locum faciat Sancto Joanni, qui dicitur miſſus Epheſo; cùm tamen nihil martyrii Epheſi paſſus, ſit ſed Romæ. Sed nobis non excidit memoria ſepulturæ cujuſque Apoſtoli; ſcimus, Venantium non reſpexiſſe loca martyrii, ſed loca ſepulturæ, & ideo eduxit Sanctum Thomam ex Edeſsâ, quia ibi credebat ſepultum;

Digitized by Google

pultum ; & Sanctum Joannem ex Epheſo, non quia ibi paſſus ſit, ſed quia juxta Epheſum ſepultus eſt, ut ſcribit Sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Unde exemplo Sancti Joannis Euangeliſtæ non eluditur vera reſponſio ad ingenioſiſſimum argumentum.

618 Sed demus Adverſario, Venantium Fotunatum eo carmine loqui de locis, in quibus prædicarunt Apoſtoli ; nunquid ideo dicendum eſſet, Sanctum Jacobum Maiorem non prædicaſſe in Hiſpaniâ, quia Venantius illic expreſſit terram beatam, ſive Judæam ? Nunquid illic exprimuntur omnes provinciæ, in quibus prædicavere Apoſtoli ? Confirmet noſtram ſententiam Sancti Pauli prædicatio Hiſpanica. Nam Sanctus Paulus prædicavit in Hiſpaniâ, ut aſſerit Recentior Adverſarius; & tamen Venantius Fortunatus non meminit Hiſpaniæ, ut loci, in quo prædicaverit Sanctus Paulus; quare igitur dicetur, Sanctum Jacobum non prædicaſſe in Hiſpaniâ, quia Venantius Fortunatus non meminit Hiſpaniæ, ut loci prædicationis Sancti Jacobi. Certè igitur non deſtruit Venantius Fortunatus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quam à Venantio adſtrui exiſtimant plures. Legatur Eruditiſſimus Durana in Opuſculo inſcripto *Defenſa de la venida, y Predicacion de Santiago el Mayor en Eſpaña pag. 93.*

## ASSERTIO XXXII.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non expugnatur authoritate Sancti Adonis Viennenſis.*

619 OPponitur nobis à Recentiore Adverſario authoritas Sancti Adonis Viennenſis, qui in

in libello de Feſtivitatibus Apoſtolorum ad VIII. Kal. Auguſti ait :

> *Natalis Beati Jacobi Apoſtoli, fratris Joannis Euangeliſtæ, qui decollatus eſt ab Herode Rege Hieroſolymis, ut liber Actuum Apoſtolorum docet. Hujus Beatiſſimi Apoſtoli ſacra oſſa ad Hiſpanias translata, & in ultimis earum finibus, videlicet, contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur.*

620 Cùm autem Sanctus Ado hîc nil dicat de prædicatione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, & tamen in eo libro prædicationes aliorum Apoſtolorum in diverſis, ac remotiſſimis aliarum gentium regionibus expreſſerit, vult Adverſarius inde inferri, Sanctum Jacobum non prædicaſſe in Hiſpaniâ. Et ſignificat, ſe exiſtimare nobis non ſuppetere aliam ſolutionem, præter illam, quam ironicè vocat egregiam, nempe quòd Sanctus Ado *laboravit invidiâ, aut ignorantiâ.* Deindè, ut amoveat à Sancto Viro utramque ſilentii cauſam, ſubdit :

> *Itaque neque ignoravit, neque invidit nobis Paulum; ignoravit autem, aut invidit nobis Jacobum?*

621 Sed non tanta eſt hujus argumenti vis, ut nos adigat ad illi cedendum, vel ad inurendam Sancto Viro notam invidiæ, vel ignorantiæ. Nam cùm ſit argumentum ab authoritate negativâ, ſeu à ſilentio, nullius eſt roboris ; ut abundè probatum reperietur Aſſertione 44. Quod confirmatur, quia ſi ex ſilentio Sancti Adonis poſſet inferri, ea non eveniſſe, quæ ille prætermiſit, dici etiam poterit, Sanctum Jacobum nullibi prædicaſſe, neque in ipſâ Judæâ, nam etiam de hâc prædicatione ſilet Sanctus Ado ; & tamen nullus negabit, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Judæâ ; licèt Sanctus Ado hanc prædicationem tacitus prætermittat : ergo neque illius prædicatio in Hiſpaniâ neganda erit, licèt à Sancto Adone prætermittatur.

Imò

622 Imò etiam, si Sanctus Ado expressè negaret adventum Sancti Jacobi in Hispaniam, non ideo contra nos mitteretur inevitabile telum; nam Sanctus Ado est Author junior aliis, eandem expeditionem affirmantibus, quia obiit anno 879. ac proinde junior Walafrido Strabo, qui obiit anno 849. junior Freculpho Lexovienſi, qui decessit anno 840. junior Authore Martyrologii Gelonenſis, quod scriptum est circa annum 804. junior Præsbytero Libanienſi Beato, qui vixit ad finem octavi sæculi, & plusquam centum annis junior Authore Martyrologii Blumani, cujus exemplar manuscriptum exaratum fuit anno 772. à quibus affirmata fuit illa expeditio; nam contra antiquiorum authoritatem non potest prævalere recentiorum authoritas, nisi hi demonstraverint rem ab antiquioribus narratam, repugnare principio, vel monumento certo, & infallibili, quod de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi dici non potest.

623 Si autem dicere auderem in Sanctum Adonem potuisse cadere invidiam, vel ignorantiam; quoad invidiam, me excusaret Sanctus Ambrosius, qui libro de Joseph cap. 1. ait:

> *Quod si invidia etiam Sanctos adussit, quanto magis cavendum est, ne inflamet peccatores?*

Quoad ignorantiam, me crimine absolveret Sanctus Hieronymus, qui in Commentario in caput 12. Danielis quærit:

> *Utrum doctus Sanctus, & simplex Sanctus eandem mercedem habeant?*

Sed minimè audeo alterutrum ex his nævis de Sancto Adone suspicari. Non ideo tamen, quia ipse non ignoravit, neque invidit nobis Sanctum Paulum, necessariò fatendum est non potuisse ignorare, aut invidere nobis Sanctum Jacobum. Nam Galli (non loquor de Sanctis

Viris) nobis invident Sanctum Jacobum, quia ſi ille prædicavit in Hiſpaniâ, eſt apud nos antiquior Religio Chriſtiana, quàm apud Gallos; quod non evenit, ſi Sanctus Paulus fuit primus, qui in Hiſpaniam Chriſti nomen invexit, nam dicitur ex Galliâ veniſſe in Hiſpaniam; & ſic prius Gallia audivit Paulum prædicantem, quàm illum audiret Hiſpania; unde ſi Sanctus Jacobus in Hiſpaniâ non prædicaſſet, prius Gallia, quàm Hiſpania, illuſtrata fuiſſet luce Euangelii. Unde nihil erat in quo nobis Galli inviderent Sanctum Paulum.

624 Ex eâdem ratione poterat Sanctus Ado ignorare adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, quin ignoraret adventum Sancti Pauli in eandem Hiſpaniam. Quia Sanctus Jacobus venit in Hiſpaniam, quin tranſiret per Galliam, & quin in Galliâ aliquot reliquiſſet diſcipulos, quin in Galliâ aliquot fundaſſet Eccleſias; Sanctus verò Paulus venit in Hiſpaniam, tranſeundo prius per Galliam, relinquendo diſcipulos in Galliâ, fundando Eccleſias in Galliâ, & inter illas Eccleſiam Viennenſem, cui præfecit Creſcentem diſcipulum ſuum. Eccleſiam nempe illam, cujus fuit Archiepiſcopus Sanctus Ado.

625 Quânam igitur conſequutione argui poteſt: Sanctus Ado non ignoravit adventum Sancti Pauli in Hiſpaniam: ergo neque ignorare poterat adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, ſi iſte Apoſtolus in Hiſpaniam veniſſet? Eâdem, quâ diceretur: Sanctus Ado non ignoravit Traditionem Eccleſiæ ſuæ: ergo non potuit ignorare Traditiones aliarum Eccleſiarum.

626 Sed quid ſi dixerimus, etiam ex adducto loco Sancti Adonis probari expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi? Nihil dicemus inauditum. Nam Sanctus Ado in loco adducto ab Adverſario aſſerit, ſacra oſſa Sancti Jacobi translata fuiſſe in Hiſpaniam. Et Magnus Franciſcus à Sancto

Sancto Augustino Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam capite 6. hunc præfixit titulum: *Ex translatione corporis Sancti Jacobi Apostoli è Judæâ in Hispaniam, ejus vivi in eam adventus probatur*; & pagina 32. ait:

> *Quâ obsecro de causâ Sancti Jacobi discipuli ex Judæâ illius defuncti corpus (nam ab iis deportatum scribunt omnes, & Loaysa fatetur) in Hispaniam detulerunt? nisi quòd in eâ priùs cum eodem Apostolo fuerant, aut noverant, eum ibi fuisse. Certè non alia esse potuit, ut consideranti patebit. Quomodo enim, aut cur ex tam dissitâ regione, in extremam illam Hispaniæ, & mundi partem, quæ Finis terræ à Nautis dicitur, corpus illud Apostoli, suscepto studio per tantam duplicis maris vastitatem, emenso Mediterraneo, & Oceano transportarent? nota illis erant illa littora, illi portus, imò & voluntas Apostoli perspecta, ut eo corpus suum post mortem transferretur.*

Et hæc sint satis pro solutione argumenti ex Sancti Adonis Viennensis silentio.

## ASSERTIO XXXIII.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non oppugnatur authoritate Sancti Petri Venerabilis.*

627 TEstimonium Sancti Petri Venerabilis, primus (quem meminerim) adduxit in hanc controversiam Recentior Adversarius; sed æquè miror ab illo fuisse adductum contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, atque à nostris non fuisse hucusque in gratiam ejusdem expeditionis prolatum; nam certè Sanctus Petrus Venerabilis huic expeditioni non nihil favet, &

nihil officit; & hoc priùs oſtendam, deinde illud. Et fortaſsè utrumque ſimul.

628 Adducitur Sanctus Petrus Venerabilis anno 1122. ſcribens contra Hæreticos Petrobuſianos, dicentes Baſilicas, vel Altaria fieri non debere; & duæ Sancti Viri producuntur clauſulæ ex Bibliothecæ Patrum tomo 22. (licèt hic tomus non allegetur) pag. 1051. quarum prima eſt:

> *Et ut ad Orientem, & cæteras mundi partes tranſitum faciam, quis Illyricum, Græciam, Scythiam, niſi Paulus, & Andreas? Quis Aſiæ maximas partes, niſi Joannes, & Philippus? Quis Perſica Regna cum proximis Gentibus, niſi Simon, & Judas? Quis Indicas partes, & ſolis ortui contiguas terras, niſi Thomas, & Bartholomæus? Quis totam Æthiopiam, niſi Matthæus? Primi, & noviſſimi Apoſtoli Chriſti vetuſtæ ſuperſtitionis templa deſtruentes, novæ gratiæ Eccleſias impleverunt?*

629 Secunda clauſula, quæ adducitur ex Sancto Petro Venerabili, ita ſe habet:

> *Nonne, & nos ipſi Romæ poſiti frequenter vidimus in ſcriptis antiquiſſimis Oratoria, & Altaria, qualiter eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apoſtolo* (Petro) *conſtructa, & ſanctificata, ſicut per ſucceſſionem fama conſentiens, ac celeberrima proteſtatur &c.*

630 Poſt iſtam clauſulam, ſubdit Recentior Adverſarius.

> *Si autem Jacobus in Hiſpaniâ prædicaverat, & Cæſaraugustæ Beatæ Deiparæ Eccleſiam, vel ſacellum erexerat, Petrus Venerabilis exiſtens in Galliâ Hiſpaniæ conterminâ id non ignoraret, imò inde Hæreticos illos validè rejiceret. Niſi velint Adverſarii etiam Gallum hunc per invidiam de prædicatione, & ſacello illo obmutuiſſe.*

Non

Digitized by Google

631 Non miror, Adversarium arguere à silentio, quia licèt argumentum à silentio sit nullius roboris, ut ostendemus Assertione 44. tamen ipse, aliique ex Criticis illud magni æstimare solent. Sed miror arguere à silentio Authoris junioris contra clamorem Authorum antiquiorum. Miror, arguere à silentio Authoris, qui vixit duodecimo sæculo, contra clamorem Authorum, qui vixerunt sæculis anterioribus. Miror, illum producere argumentum, quod æquè pugnaret contra prædicationem Sancti Pauli in Hispaniâ, quam defendit, si pugnaret contra prædicationem Sancti Jacobi, quam impugnat. Nam Sanctus Petrus Venerabilis æquè tacet prædicationem Sancti Pauli in Hispaniâ, ac prædicationem Sancti Jacobi. Si igitur neganda est prædicatio Sancti Jacobi in Hispaniâ, quia de illâ tacet Sanctus Petrus Venerabilis, quare neganda non erit prædicatio Sancti Pauli in Hispaniâ, de quâ pariter tacet? Si verò silentium Sancti Petri Venerabilis non officit prædicationi Sancti Pauli in Hispaniâ, quare officiet prædicationi Sancti Jacobi?

632 Deinde, si neganda sunt omnia, quæ hîc tacet Sanctus Petrus Venerabilis, negentur prædicationes Sancti Pauli extra Illyricum, Græciam, & Scythiam: negentur prædicationes utriusque Jacobi in Judæâ: negetur prædicatio Sancti Mathiæ in suâ provinciâ: negetur, Euangelium fuisse unquam prædicatum in Germaniâ, & aliis provinciis: negetur, fuisse unquam prædicatum in Hispaniâ: negentur illi septem Viri (quos nos cum Ecclesiâ Romanâ dicimus discipulos Sancti Jacobi) quos nemo negat, missos fuisse ab Apostolis in Hispaniam, idque fatetur Recentior Adversarius: negentur, inquam, quia de his omnibus tacet Sanctus Petrus Venerabilis. Si autem hæc negari non possunt, licèt ab illo taceantur; quare neganda est prædicatio Sancti Jacobi in Hispaniâ, quia

ab

ab ipſo Sancto Petro Venerabili tacetur? Si autem ex hoc neganda non eſt, quare adducitur contra illam teſtimonium Sancti Petri Venerabilis, à nullo antea (quem ſciam) productum?

633 Accedit (ut oſtendamus, neminem arguere poſſe ex Sancto Petro Venerabili ab authoritate negativâ) quòd Sanctus hic Doctor teſtatus eſt, ſe non loqui de prædicationibus omnium Apoſtolorum, nam inter utramque clauſulam hîc adductam, interſerit aliam ab Adverſario prætermiſſam, quâ Sanctus Petrus Venerabilis ſic ait:

*Quis omnes Fidei noſtræ Patres, & Apoſtolos enumerare ſufficiet?*

Et proſequitur ea, quæ mox adducemus. Si igitur Sanctus Petrus Venerabilis teſtatur, ſe non loqui de omnibus Apoſtolis, quid mirum taceat de prædicatione Hiſpanicâ Sancti Jacobi?

634 Non me fugit quempiam, qui legerit, Sanctum Petrum Venerabilem poſſe reſpondere, illum per Patres Fidei ſuæ, & Apoſtolos voluiſſe intelligere ſolos Prædicatores Euangelii in Galliâ, non verò in toto Orbe. Sed hoc nihil excuſat uſum authoritatis Sancti Petri Venerabilis contra prædicationem Hiſpanicam; nam eo ipſo, quòd illa verba reſtringantur ad Prædicatores Galliæ, oſtenditur, Sanctum Virum ſilentio ſuo non voluiſſe negare prædicationem Euangelii in Hiſpaniâ, quæ certè extiterat, à quocumque illic prædicatum fuerit Euangelium; ſed præcipuè loqui de Prædicatoribus Galliæ, nam cum Petrobuſiani Hæretici eſſent adeo ſtolidi, ut etiam Gallos ignorarent, quorſum illis ante oculos poneret res Hiſpanas? Ignorantiam iſtam Petrobuſianorum exagitat idem Sanctus Petrus Venerabilis, eodem loco dicens:

*Sed ut de primis Galliæ noſtræ Apoſtolis, quos veſtra impia fatuitas, vel fatua impietas hactenus ſcire non meruit, aliquid*

*aliquid plenius dicam: sicut ipsa testatur antiquitas, à Sanctis Viris nobis relictæ tradunt Historiæ: non solùm nos, verùm etiam omnes Christiani populi, pusilli cum maioribus, senes cum junioribus vestram insaniam irridentes, certissimè tenent &c.*

Unde mirari non desinam, usurpatam fuisse ab Adversario authoritatem Sancti Petri Venerabilis contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, cui in nihilo officit.

635 Æquè, imò vehementiùs admiror, nostros hucusque usos non fuisse ejusdem Sancti Petri Venerabilis authoritate pro confirmandâ expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, & fundatione sacelli Cæsarauguſtani, ab ipso Apostolo erecti; nam eodem loco nonnulla dicit Sanctus Petrus Venerabilis, quæ deservire possunt ad solvenda aliquot argumenta, quibus Natalis Alexander, aliique impetunt fundationem illius sacelli, à Sancto Jacobo Apostolo extructi. Sed de hoc redibit sermo in Appendice 1. de Cæsarauguſtanæ Columnæ Templo. Nunc hoc sufficiet innuisse.

## ASSERTIO XXXIV.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi non oppugnatur authoritate Sancti Antonii Ulyssiponensis.*

636 ARgumentum, quod contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi ex authoritate Sancti Antonii Ulyssiponensis profert Recentior Adversarius, ut ex ipsomet constat, nullam vim habet in nos, qui cum pluribus asserimus, Sanctum Jacobum multos convertisse in Hispaniâ. Deinde apertè falsum est illud, quod dicitur, omnes præter Excellentissimum Castellæ Come-

Comeſtabilem, negare quamplurimos Hiſpanorum à Sancto Apoſtolo Jacobo fuiſſe converſos; nam non omnes id negant, & cùm ſatis eſſet unus, qui non negaret, ut redderetur falſa illa propoſitio univerſalis *omnes negant*, dantur plures, qui id non negant, quorum quilibet ſatis eſt ad reddendam falſam eam propoſitionem univerſalem *omnes negant*, quæ eſt contradictoria hujus propoſitionis *unus non negat*; nam ex antiquis, plures à Sancto Jacobo in Hiſpaniâ fuiſſe converſos, non negat Sanctus Notkerus, non negat Walafridus Strabo, non negat Callixtus ſecundus; ex Recentioribus illud non negat Pater Fr. Ferdinandus de Oxea, non negat D. Maurus Caſtella Ferrer, non negat Pater Chriſtophorus à Caſtro, non negat Venerabilis Pater Fr. Didacus Murillo, non negat Pater Hieronymus Pardo, non negat Venerabilis Mater Maria à Jeſu, non negat Pater Fr. Philippus de la Gandara, quorum loca alibi adducemus. Quo jure igitur illud affirmatur, *quod alii omnes negant*; alii nempe ab Excellentiſſimo Comiteſtabili, ſeu præter ipſum?

637 Non ſolùm non premit illud argumentum aſſerentes, plurimos in Hiſpaniâ à Sancto Jacobo fuiſſe converſos, ſed neque urget eos, qui decepti falſâ ſuppoſitione affirmant, Beatum Apoſtolum pauciſſimos convertiſſe ad Chriſti Fidem in Hiſpaniâ. Nam in primis etiamſi produceretur clara, & expreſſa authoritas Sancti Antonii Ulyſſiponenſis, negans, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, nihil ipſâ evinceretur; cùm Sanctus Antonius obierit ſæculo 13. & multis ante ſæculis vixerint Authores, etiam ſanctitate conſpicui, qui contrarium affirmarunt, ſcribentes, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, quos infra referemus Aſſertionibus 48. 49. & 50. Authoritas enim antiquiorum non poteſt infringi à junioribus, niſi demonſtratâ falſitate priorum, quod in noſtro

noſtrò caſu non evenit, imò (niſi fallor) neque evenire poteſt. Sed ad ipſum argumentum accedamus.

638 Profertur hoc argumentum à Neoterico ex Sancto Antonio Ulyſſiponenſi Sermone primo, & de pluribus, aut uno Apoſtolo, ſed verbis diverſis ab illis, quæ Sanctus Antonius ſcripſit, ut conſtabit utramque ſcriptionem conferenti. Sanctus Antonius ait:

> Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas. Iſaiæ 40. *Profectus Apoſtolorum volatui nubium, & columbarum meritò comparatur, quia tota vita eorum in eorum cordibus fuit in prædicatione, & contemplatione. Quaſi ergo nubes per mundum volaverunt, imbre prædicationis corda populi fæcundando*, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas *cœleſtia contemplando.*

Recentior Adverſarius excluſit columbas, quia ſibi uſui non erant; ego illas reſtitui Sancto Antonio, quia è re noſtrâ eſſe poſſunt. Et inferiùs de quolibet Apoſtolo ait Sanctus Antonius:

> *Hæc eſt nubes obumbrans, quæ introduxit Iſrael in terram Promiſſionis.*

Hoc poſito, ſubjungit Recentior Adverſarius:

> *At aſſertores adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam de ſuo, & ſine ullo in antiquitate fundamento planè contraria ſcribunt, ſcilicet, Sanctum Jacobum Hiſpaniam non fæcundaſſe, nec illam irrigando germinare feciſſe, nec Hiſpanos in terram Promiſſionis, hoc eſt, in Eccleſiam, æternamque Beatitudinem introduxiſſe.*

639 Cui reponendum eſt in primis, nos jam oſtendiſſe falsò dici, omnes aſſertores adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam ſcribere, Sanctum Apoſtolum paucos in hâc provinciâ convertiſſe. Deinde æque falſum etiam eſt ea, quæ ſcribunt (etiam qui aſſerunt, Sanctum Jacobum

paucos in Hiſpaniâ convertiſſe ) eſſe contraria dictis Sancti Antonii. Nemo enim dicit, Hiſpaniam à Sancto Jacobo non eſſe fæcundatam, quia ad hoc, ne Hiſpania diceretur infæcunda, ſatis erat, ut unum Hiſpanum pareret Chriſto, ſicuti ſatis erat, unum genuiſſe filium, ut diceretur fæcunda. Cernens Rachel, quòd infæcunda eſſet, invidit ſorori ſuæ, ut habetur Geneſis cap. 30. verſ. 1. Sed ut peperit unum Joſephum, dixit: *Abſtulit Deus opprobrium meum,* ut ibidem verſ. 23. Ergo Hiſpaniæ ſatis eſſet unum peperiſſe Chriſto, ut ab illâ tolleretur opprobrium ſterilitatis. Huc facit illud D. Auguſtini, de Chriſto loquentis Serm. 69. *Attulit virgini fæcunditatem, non abſtulit integritatem*; & de Beatâ Virgine Mariâ, Serm. 184. *Felicior, & mirabilior fæcunditate additâ, integritate non peditâ.* Ergo licèt Sanctus Jacobus in Hiſpaniâ per Euangelium paucos, vel ſolum unum genuerit filium, hoc ſatis erat, ne dici poſſet Hiſpaniam non fæcundaſſe.

640 Hinc etiam patet, neminem ex aſſertoribus adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam ſcripſiſſe, ipſum Sanctum Apoſtolum, irrigando Hiſpaniam, non feciſſe germinare; nam ut Hiſpania germinaret, ſatis eſſet ut pauca germina, vel etiam unum tantùm protuliſſet, juxta illud Iſaiæ 45. 8. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

641 Illud autem à veritate longiſſimè abeſt, ſcilicet fuiſſe quempiam ex aſſertoribus adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, qui ſcripſerit, Beatum hunc Apoſtolum non introduxiſſe Iſrael in terram Promiſſionis; nemo enim negat, Sanctum Jacobum prædicaſſe Iſraelitis; cùm nemo neget, ipſum prædicaſſe in Judæâ, quæ eſt terra Iſrael. Si autem velimus intelligere Iſrael in ſenſu ſpirituali, accipiendo Iſrael pro converſis ad Fidem exquâcumque natione, etiam certum eſt, neminem eſſe ex aſſertoribus adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, qui aſſeruerit, nullum

ex

Digitized by Google

ex Hiſpanis à Sancto Jacobo introductum fuiſſe in Eccleſiam, æternamque Beatitudinem.

642 Neque illi Authores opus habuere fingendi Hiſpanos prædicationi Sancti Jacobi reſtitiſſe, ut ipſe Sanctus Jacobus haberet excuſationem redeundi Hieroſolymam, hoc enim ſolemne fuit Apoſtolis, nonnunquam redire Hieroſolymam, ut dicimus à numero 195.

643 Hîc tamen non prætermittam animadvertere, in eodem loco Sancti Antonii reperiri quidpiam, quod cohæret huic regreſſui Apoſtolorum ad Hieroſolymam, hoc eſt columbas illas, quas Recentior Adverſarius prætermiſit, deſcribens verba Sancti Antonii, ait enim Thaumaturgus noſter, explicans hemiſtichium à Recentiore Adverſario prætermiſſum.

> Et quaſi columbæ ad feneſtras ſuas: *Nota, propter tria volat columba ad feneſtras, ſcilicet propter accipitris importunitatem &c.* Incorrigibilitas (ſic enim legendum eſt, non verò *corrigibilitas*) *auditorum, quia multi ſunt inſidiantes, Ezechiel.* 3. Adhærere faciam linguam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir objurgans, quia domus exaſperans eſt. *Et Matthæi* 10. Cùm autem perſequentur vos in civitate iſtâ, fugite in aliam. *Hinc Geneſis* 8. *prima columba rediit in arcam, quia non invenit ubi requieſceret.*

Si autem ideo Apoſtoli comparantur columbis, quia nonnunquam revertuntur in domum propter duritiam auditorum, cur dicitur fuiſſe confictam duritiam auditorum Sancti Jacobi, ejuſque regreſſum in Hieroſolymam etiam fuiſſe confictum? Sed hæc nihil ad nos, qui aſſerimus, Sanctum Jacobum uberes collegiſſe fructus ex Hiſpaniâ.

644 Ergo nulli ex Aſſertoribus adventûs Sancti Jacobi obſtat authoritas Sancti Antonii Ulyſſiponenſis, imò potiùs omnibus favet, non tantùm comparatione colum-

barum, ſed etiam comparatione nubium, quibus conferuntur Apoſtoli à Sancto Antonio; quod ſic oſtendo.

645 Unum ex argumentis, quo impetitur adventus Sancti Jacobi in Hiſpaniam, deducitur ex brevitate temporis, quo Sanctus Jacobus potuit prædicare Gentibus, & ex longitudine itinerum, quæ carpenda erant ab Apoſtolo, ut ex Hieroſolymâ excurreret in Hiſpaniam, totamque peragraret. Sed hoc argumentum ſolvitur authoritate Sancti Antonii dicentis, Sanctos Apoſtolos volaſſe ut nubes, volaſſe ut columbas; hujus enim avis celerrimus eſt volatus, utpotè de quo dicit Lorinus in Pſal. 54. verſ. 7.

> *Volatus columbæ creditur ocyor volatu avium reliquarum, ita ut volando capi ab aliis non poſſit.*

Si igitur tanta erat celeritas Apoſtolorum, ut conferretur celeritati columbarum, quid mirum, Sanctum Jacobum brevi tempore longiſſimum confeciſſe iter?

646 Ulteriùs, non ſolùm dixit Sanctus Antonius de quolibet Apoſtolo: *Hæc eſt nubes obumbrans, quæ introduxit Iſrael in terram Promiſſionis*; neque hîc ſubſtitit, ſed ſtatim de quolibet Apoſtolo loquens, addidit:

> *Hæc eſt nubecula, quæ 3. Reg. 17. primo apparuit parva, ſed ſeptimâ vice, hoc eſt, in ſeptimâ ætate, quæ modo eſt, magna.*

Ergo licèt Sanctus Jacobus in vitâ fuerit parva nubecula in principio, tamen ſeptimâ vice, hoc eſt, in ſeptimâ ætate, ſive in ſeptenario numero diſcipulorum factus eſt nubes magna, in eo ſenſu, in quo revelatum eſt Sanctæ Gertrudi, ipſum collegiſſe uberrimum fructum, ut videre eſt in hujus Sanctæ volumine inſcripto: *Inſinuationes Divinæ Pietatis*, libro 4. cap. 49. Et ex hoc etiam oſtenditur, aſſertores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi non neglexiſſe doctrinam Patrum de prædicatione Apoſtolorum ſcriben-

ſcribentium, multòque minus doctrinam Chriſti, prævidentis Apoſtolos ſuos magnum in populis, quibus prædicaturi erant, fructum facturos, dicentiſque Joan. 15. verſ. 8.

> *In hoc clariſicatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei Diſcipuli.*

Et infra verſ. 16.

> *Ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.*

Nam Patres oportet loquutos fuiſſe juxta doctrinam Chriſti; ex doctrinâ autem Chriſti ſolùm ſequitur, omnes Apoſtolos, qui erant fructificaturi, ſimul ſumptos, allaturos fructum plurimum, nempe totius Orbis converſionem. Quocirca audiendus eſt Cardinalis Toletus in Joan. 15. verſ. 8. ſic explicans:

> *Ne putetis parùm intereſſe vos in me manere, nam ad Patris mei gloriam multum refert, ut vos fructum uberiorem afferatis, populos, & gentes ad ejus cultum convertendo, utque* efficiamini mei Diſcipuli, *id eſt, meam doctrinam per Orbem totum divulgetis.*

Et explicans verſum 16. ait idem Sapientiſſimus Cardinalis:

> Ut eatis, *nempe per mundum univerſum*, & fructum afferatis, *prædicato Euangelio, & innumeris gentibus ad ipſum converſis.*

Sequitur enim, omnes eos Apoſtolos ſimul ſumptos, per ſe, & per ſuos diſcipulos, & ſucceſſores converſuros totum mundum.

647 Non autem ſequitur ex doctrinâ Chriſti, ſingulos Apoſtolos, ad quos loquebatur Dominus, allaturos æqualem fructum, ſicuti non ſequitur, ſingulos Apoſtolos ituros per mundum univerſum, ſingulos Apoſtolos converſuros ad Fidem Chriſti innumeras gentes, cùm unus

unus habuerit latiorem provinciam, quàm alius; unus habuerit longiorem vitam, quàm alius; unus denique auditores habuerit paratiores, quàm alius. Præſertim cùm inter illos duodecim Apoſtolos fuerit unus, nempe Judas Iſchariotes, qui non alium facturus erat fructum, niſi eum, de quo Salomon Proverbiorum 10. verſ. 16. ait: *Fructus autem impii ad peccatum.*

648 Si autem quiſpiam contenderit, Sanctum Jacobum tam copioſum attuliſſe fructum, quàm attulerunt alii Apoſtoli, neceſſe eſt, ut aliam provinciam illi aſſignet præter Judæam; nam ex hâc collegerunt etiam fructum omnes alii Apoſtoli, quia omnes duodecim in illâ prædicarunt, & præter Judæam, provinciam omnibus communem, habuerunt ſinguli peculiares provincias, ex quibus fructum collegerunt.

649 Deinde, cùm Chriſtus poſt Reſurrectionem illis undecim Apoſtolis aſſignaverit univerſum Orbem Euangelio imbuendum, ediſſerat Neotericus Adverſarius Apoſtolum unum ex illis undecim, cui Hiſpania contigerit Euangelio illuſtranda, ne dicamus tantam provinciam Prædicatore Euangelii manſiſſe deſtitutam, quod dicendum non eſt, cùm ſit contra doctrinam D. Pauli dicentis ad Romanos 10. verſ. 18.

> *Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

Imò contra illud Chriſti, apud Sanctum Marcum 16. 15.

> *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Hiſpania enim eſt pars univerſi, eaque non pretermittenda; cui proinde debuit Euangelium prædicari ab uno ex illis undecim Apoſtolis, ad quos Chriſtus loquebatur; præſertim cùm dici poſſit, Chriſtum ipſis commendaviſſe ſpeciatim Hiſpaniam, dum ad Cœlos aſcenſurus, illis dixit:

Digitized by Google

dixit: *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ*, Act. 1. 8. Conſtat enim, Hiſpaniam eſſe ultimum terræ finem.

## SECTIO V.

### *Aſſeritur non officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, argumenta eruta ex monumentis Hiſpaniæ.*

650 ENervaturus argumenta ex Hiſpaniæ monumentis eruta, libet inducere Magnum Franciſcum à Sancto Auguſtino Macedo in ſuâ Diatribâ de adventu S. Jacobi in Hiſpaniam capite 1. pag. 4. diſertis verbis teſtantem, quid ipſa effecerint; ait igitur Macedo:

*Haud temerè dico: Niſi Hiſpani inter ſe mutuò opinionibus diſſiderent, & diſſidendo alii alios impugnarent, non auderent exteri hanc veritatem in dubium revocare. Nec antequam noſtri inter ſe contenderent, eam inficiari auſi ſunt. Tunc auſi, quando viderunt nos in factiones dividi, & bella civilia imitari: minimè auſuri ſuis nos telis petere, ſi noſtra inter ſe intenta, ac non in nos converſa vidiſſent. Noſtris ergo nos argumentis oppugnant: ſciunt nimirum ea valida, & robuſta eſſe, ac Hiſpanum non niſi ab hoſte Hiſpano ſolere vinci, atque uti adamas adamante frangitur, ita Hiſpanum Hiſpano infringi.*

651 Cùm autem Macedo conferat bellis civilibus Hiſpanorum diſſidia circa geſta Sancti Jacobi, intorqueri poſſunt contra diſſidii Authores, ea, quæ Lucanus (Hiſpanus & ipſe) cecinit lib. 1. Pharſaliæ, adverſus Belli Civilis Authores, quibus:

*Bella geri placuit nullos habitura triumphos.*

Quem

Quem verſum ego aptare ſoleo iis, qui nuper invidioſiſſimam quæſtionem movere contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ut Sanctiſſimum Apoſtolum arcerent finibus Hiſpaniæ, & quod deterius eſt, Auguſtiſſimam Virginem Mariam, everſâ columnâ Cæſarauguſtanâ, Hiſpaniâ propellerent.

652 Quia verò quatuor ſunt argumenta, quæ eruuntur ex monumentis Hiſpaniæ, ſingula juvat ſingulis Aſſertionibus diluere beneficio Hiſtoriæ, & Critices, quibus ſi Adverſarii uterentur, nunquam adduci poſſent, ut certiſſimam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi in dubium revocarent.

Primum argumentum eſt deductum ex quodam Manuſcripto Toletano nullius fidei.

Secundum, ex quodam dicto Magiſtri Islæ.

Tertium, ex diſcordiâ Hiſpanorum circa aliquot circunſtantias expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi.

Quartum, ex formidine propugnantium expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

## ASSERTIO XXXV.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non impeditur Manuſcripto Toletano à Garcia Loayſa producto, cui nimiùm fiſus eſt Cardinalis Baronius.*

653 ETſi Recentior Adverſarius expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi prudentiſſimè abſtinuerit argumento deducto ex Manuſcripto Toletano, de quo hîc ſermo erit, quia perſpexit illud nullius eſſe roboris; tamen quia hoc Manuſcripto lecto, Cardinalis Baronius

nius cæpit ſubdubitare de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, Baroniumque videtur ſequutus Lorinus; & poſt Lorinum Natalis Alexander non citato Baronio; & poſt Natalem Alexandrum, Sebaſtianus Tillemont, & Baſnagius Heterodoxus, & hi quatuor peſſimâ fide, cùm jam Baronii argumento abundè ſatisfeciſſent propugnatores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi; neceſſarium duxi iterum hoc argumentum exſufflare, ut omnibus manifeſtum ſit, quàm immeritò Cardinalis Baronius illi fiſus fuerit. Cùm autem illud fuerit ruinoſa baſis negantium expeditionem illam, certum eſt, hâc deſtructâ, ruituram eſſe ſententiam illi inixam; noſtramque illi oppoſitam firmiùs ſtaturam. Præſertim cùm illi, qui Breviarium Romanum recognovere (interquos agmen duxit Cardinalis Baronius) jubente Clemente VIII. jam contempſerint hoc argumentum, quod ante reliqua ſibi propoſitum fuerat, ut teſtatur D. Didacus de Caſtillo in Prologo Defenſionis adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, tantùmque detulerint Traditioni Eccleſiarum Hiſpaniæ, quantùm ſupra diximus numero 569. ex Sapientiſſimo Maluenda.

654 Manuſcriptum, de quo loquimur, eſt illud, quod edidit Garcias Loaiſa in Collectione Conciliorum Hiſpaniæ, editâ Matriti apud Petrum Madrigal anno 1593. in folio; illudque inſeruit Commentario de Primatu Eccleſiæ Toletanæ in Hiſpaniâ, & Galliâ Narbonenſi §. 5. Quem Commentarium ſubjecit Decreto Gundemari Regis, quod in eâ Collectione extat pag. 263. paginâ autem 287. loquens Loaiſa de Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. ait:

> *Quæ tamen ibi fuerunt acta, quoniam ſcitu digna ſunt, ex libro Manuſcripto, qui aſſervatur in Bibliothecâ Eccleſiæ Toletanæ excriptâ, huic narrationi libenter, ac fideliter annectam.*

655 Ex hoc Manuſcripto Loaiſa pagina 291. deſcribit ſequentia, tamquam dicta à Roderico Ximenio, Archiepiſcopo Toletano:

*Si inducat etiam primam Divini Verbi promulgationem, & plurimorum converſionem ad Fidem Chriſti in Hiſpaniâ, qui Divinam paginam noverunt, teſtimonium perhibeant. Ego tantum legi, datam ei fuiſſe poteſtatem prædicandi in Hiſpaniâ: ſed interim, cùm per Judæam, & Samariam Divinam Legem ſeminaret, ſub Herode Hieroſolymis truncato capite, exhalavit animam, & Deo reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quo nondum ingreſſus eſt? Aut ſine prædicatione, quos obſecro convertit ad Dominum? Memini bene in primis me annis accepiſſe à quibuſdam Sanctis Monialibus, & Religioſis viduis, paucos admodum ejus prædicatione ad Fidem converſos eſſe: in quâ cùm tam exiguos progreſſus effici videret, in Patriam reverſus fato functus eſt.*

656 Et poſt pauca leguntur in eodem Manuſcripto ſequentia:

*Dominus autem Compoſtellanus reſpondit, quòd licèt Toletanus eſſet Hiſpaniarum Primas, quod falſiſſimum erat, non tamen ejus Suffraganei deberent ei in aliquâ re obedire. Quâ reſponſione multi crediderunt, Compoſtellanum conteſtatum eſſe litem.*

657 Notandum eſt, Garciam Loaiſam ad marginem hujus loci ſcripſiſſe, quæ ſequuntur:

*Beatus Jacobus Apoſtolus filius Zebedæi in Hiſpaniam venit, & ibi prædicans Chriſti Euangelium, & in totâ provinciâ novem tantum ad Fidem aſſerunt convertiſſe. Verùm Beatus Callixtus Papa in Epiſtolâ Translationis ipſius dicit, illum plures feciſſe diſcipulos, ſed duodecim habuiſſe ſpeciales, quorum novem, dum adhuc viveret, in Gallæciâ elegiſſe: Præterea dum Cæſaraugustæ prædi-*

Digitized by Google

*prædicationis gratiâ moratur Virginis Mariæ admonitu Templum erexisse ipsi dicatum, quod nunc dicimus:* Nuestra Señora del Pilar. *Atque hæc fuit primâ in toto Orbe Christianorum Ecclesia, in quâ semper cultus Divinus viguit, estque innumeris nobilitata miraculis. Jacobus verò, relictis duobus in Hispaniâ discipulis, cum reliquis in Judæam rediit, ibique martyrium primus omnium Apostolorum subiit, anno primo Tiberii Cæsaris occisus est vigesimâ quintâ Martii: corpus à discipulis navigio impositum ab Joppe solventibus in Hispaniam appulit octavo Kalendas Augusti, quo die præcipuum ejus festum ab Ecclesiâ colitur, & in Civitate Iriâ situm, demùm Compostellam translatum tertio Kalendas Januarii, quo die in totâ Hispaniâ Translatio ejus celebris est.*

658 Cautè equidem Recentior Adversarius abstinuit argumento deducto ex eo Manuscripto Ecclesiæ Toletanæ; sed immeritò dixit, pro sententiâ negante expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, Cardinalem Cæsarem Baronium non infeliciter pugnasse. Cautè, inquam, abstinuit eo argumento, quo sibi non unum infligebatur vulnus. Nam in primis, licèt in eo Manuscripto reperiatur Archiepiscopus Toletanus negans, reperitur etiam Archiepiscopus Compostellanus affirmans, tantus Vir in tanto Concilio.

659 Secundò invenitur Archiepiscopus Toletanus affirmans, se legisse, datam fuisse Jacobo potestatem prædicandi in Hispaniâ; & novit Adversarius, frustra esse potentiam, quæ non reducitur ad actum.

660 Tertiò invenitur idem Archiepiscopus Toletanus confitens, se primis annis, hoc est, dum puer esset, audivisse, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ. Unde sequitur, jam eo tempore viguisse eam Traditionem; neque hoc ideo despicere debuit Rodericus, quia ea puer

audierat, prudentiùs ſe geſſit Ovidius 6. Faſtorum verſ. 147. cùm dixit:

*Cætera jam pridem didici puerilibus annis,*
*Non tamen idcircò prætereunda mihi.*

661 Quartò teſtatur idem Archiepiſcopus, hæc audiviſſe à Sanctis quibuſdam Monialibus, & Religioſis viduis, quod eſt, id non audiviſſe à plebeculâ, vel à mulierculis, ſed à prudentibus Virginibus, & Religioſis fœminis, quæ id audiiſſent à ſuis Doctis, & prudentibus Confeſſariis, Directoribus, & Prædicatoribus, vel legiſſent in libris tunc extantibus. Nec quidquam ex proprio cerebro affirmaviſſent. Imò cùm eſſent Moniales Sanctæ, & Religioſæ viduæ, hunc Sancti Jacobi adventum poterant noviſſe ex Divinâ revelatione.

662 Quintò, quia idem Archiepiſcopus Toletanus fatetur, corpus Sancti Jacobi ab Hieroſolymis in Hiſpaniam translatum fuiſſe à diſcipulis Sancti Apoſtoli, quo evertitur illud dictum Adverſarii aſſerentis, quòd noſtra Traditio *nihil aliud quàm quædam vox, & fama poſt ſeculum nonum orta, & uſquequaque ſparſa à Caſtellanis occaſione ſumptâ ex Reliquiis Sancti Jacobi in Gallæciâ ſepultis, & ex Hieroſolymâ illuc aſportatis non multò antea.* Nam ſi diſcipuli Sancti Jacobi illius Reliquias in Gallæciam aſportarunt, ut fatetur Archiepiſcopus Toletanus, neceſſe eſt hoc feciſſe, multò antequam illius corpus reperiretur anno ſexto decimo ſæculi noni, aut illos vixiſſe pluſquam ſeptingentos annos, quod nemo dixerit.

663 Quintò, quia ex hâc Translatione factâ per diſcipulos Sancti Jacobi, probant nonnulli ex noſtris illius prædicationem in Hiſpaniâ; quorſum enim illius corpus in Hiſpaniam adduxiſſent, niſi ut ipſe in Euangelii ſui provinciâ requieſceret, ut de Apoſtolis ait Sanctus Hieronymus?

Sextò

664 Sextò fortaſsè animadvertit ex Archiepiſcopi teſtimonio, non nihil incommodi provenire ſententiæ illi, quæ ideo negat primum Concilium Bracharenſe, ex quo deducitur, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, quia in eo inſtrumento aſſeritur, Sanctum Jacobum Zebedæi filium, fuiſſe Chriſti conſanguineum; capite enim 3. legitur:

> *Statuatur quid agendum ſit de Reliquiis Sanctorum, præcipuè de Patre noſtro, & Apoſtolo hujus Regionis Petro Ratiſtenſi, quem ad ſalvandas animas Jacobus, Domini conſanguineus, dimiſit.*

Et in illo Manuſcripto Toletano legitur in Concilio Lateranenſi, dixiſſe Archiepiſcopum Compoſtellanum:

> *Eccleſia Compoſtellana tam antiqua, & nobilis condita in honorem Apoſtoli Jacobi, Domini conſanguinei, qui primò in Hiſpaniâ verbum Domini ſeminavit, & infinitos ad Fidem Chriſti convertit, cujus corpus in eâdem Eccleſiâ requieſcit.*

665 Neque id negavit Archiepiſcopus Toletanus, ſed fateri viſus eſt; dicitur enim ibidem repoſuiſſe:

> *Si præterea in ſuæ cauſæ confirmationem conſanguinitatem Domini inducit, certò nemo ſanæ mentis ignorat arctiori conſanguinitatis vinculo Beatam Virginem Domino copulatam eſſe, quem concepit, peperit, nutrivit, & uſque ad Crucis patibulum ſequuta eſt.*

Noluit igitur (conjicere liceat) Recentior Adverſarius uti Manuſcripto Toletano, quo enervatur unum ex argumentis, quibus impugnatur primum Concilium Bracharenſe, in quo affirmatur à Sancto Jacobo, unum diſcipulum fuiſſe dimiſſum Pontificem Bracharenſem.

666 His de cauſis prudenter, ut dixi, abſtinuit Adverſarius; ſed immeritò aſſeruit, non infeliciter pro ſuâ ſententiâ pugnaſſe Cardinalem Baronium, niſi vocet felicita-

licitatem aliquot habuiſſe, qui in hanc foveam ceciderint, ipſo ducente, cùm priùs obcæcati fuiſſent ſplendore tanti Authoris, de quo idem Recentior Adverſarius ingenuè fatetur, quòd *ipſe pro humanæ fragilitatis conditione aliquando dormitaret.* Neque id diffitetur modeſtiſſimus Cardinalis; nam in Appendice ad tomum 10. lectorem alloquens, ait:

> *Nihil cùm oritur, ſtatim perfectum eſt, neque in longâ & perdifficili viâ illæſo ſemper incedere pede conceditur. Atque ubi multæ vigiliæ; non, levem ſaltem, irrepere ſomnum haud patitur humana conditio.*

Hæc ex Baronio refert Poſſevinus in Apparatu Sacro, tomo 1. V. *Cæſar Baronius*, pagina 245. Quæ ideo ex Poſſevino deſumpſi, quia in tomo 10. Baronii editionis Colonienſis anni 1624. apud Joannem Gymnicum, qua utor, ea Appendix non extat.

667 Certè illo in loco tomi 9. ſi umquam aliàs dormitavit vigilantiſſimus Cardinalis, plura enim non vidit, quæ vidiſſe oportebat; certè lampadem Critices, quâ præeunte, debet progredi Scriptor, qui labi non vult; hoc loco non vidit Baronius, quod jam demonſtro.

668 Criticen neglexit Baronius in examinandâ authoritate illius Manuſcripti, quod produxit Loaiſa. Unde cognovit Baronius, maiorem fidem deberi illi Manuſcripto Anonymi Authoris, & incertæ ætatis, quàm Authori libri de Vitâ, & Obitu Patrum, etiam dato, & non conceſſo, quòd is non fuerit Sanctus Iſidorus; nam certè fuit Author antiquior Anonymo Authore Manuſcripti? Unde accepit Baronius, maiorem fidem deberi illi Anonymo, quàm antiquiſſimo Breviario Toletano inſtitutionis Sancti Iſidori? quàm Venerabili Bedæ? quàm Turpino? quàm Callixto Secundo? quàm Fortunato? quos omnes citaverat, & ſequutus fuerat in Notis ad Martyrolo-

tyrologium Romanum ad diem 25. Julii? Unde habuit Cardinalis Baronius, maiorem fidem deberi illi Anonymo, quàm Traditioni, de quâ in Annalibus ad annum Christi 44. num. 2. dixerat:

> *Quod verò ad ipsum Jacobum pertinet, cùm Hispaniarum Ecclesiæ omnes exæquo profiteantur, eundem Apostolum antea in Hispanias esse profectum, illicque primum prædicasse Euangelium, & aliquot collegisse discipulos, nihil amplius, quòd de eâ re dicamus, habemus, quàm quæ sunt à nobis in Martyrologio Romano notata, quæ consulat, qui hæc cupit.*

669 Quo jure credidit Baronius illi Manuscripto, de quo nihil dicit illius editor præterquam, reperiri in Bibliothecâ Ecclesiæ Toletanæ, quæ erat adversa pars Ecclesiæ Compostellanæ? quod satis erat ad illi detrahendam, vel certè minuendam fidem.

670 Ut rectum de eo Manuscripto ferri posset judicium, explorandæ prius erant septem illius circunstantiæ, illo versiculo complexæ:

> *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quas, si perpendisset Cardinalis Baronius, nullam illi Manuscripto adhibuisset fidem; quod sic mihi persuadetur.

671 Prima circunstantia *quis* minuit illi Manuscripto fidem. Si enim interrogemus *quis* sit illius Author? eum non prodit Loaysa; sicque ignoratur, an fuerit vir probus, & veri amans, vel è contra veterator, & nugarum venditor. Si inquirimus *quis* fuerit illius editor? invenimus fuisse Garciam Loaisam, virum quidem præstantissimum, sed Ecclesiæ Toletanæ obnoxium, utpote Canonicum ejusdem Ecclesiæ, in ipsâque Guadalaxarensis Archidiaconatûs dignitate insignitum.

672 Secunda circunstantia *quid* omninò tollit authorita-

thoritatem illi Manuſcripto, ſi enim quæras quid contineat, nihil invenies, niſi mendacia, & errores, ut omnium optimè demonſtrat Excellentiſſimus, & Eruditiſſimus D. D. Gaſpar Ybañes de Segovia Marchio de Mondexar in libro inſcripto: *Predicacion de Santiago en Eſpaña* à folio 44. uſque ad folium 89. per nonagintaquatuor paginas, quibus arguit, & revincit duodecim aperta illius Manuſcripti mendacia, nempe 1. ea, quæ dicit de Legatione Roderici Toletani. 2. Diſcordiam fuiſſe inter Paſchalem II. & Othonem Imperatorem. 3. Burdinum procuraſſe Summum Pontificatum, quia paſſus fuerat repulſam, cùm laboraſſet ut obtineret Archiepiſcopatum Toletanum. 4. Burdinum Romæ coronatum fuiſſe. 5. Burdinum coronatum fuiſſe, vivente Paſchali II. 6. Alexandrum III. ſucceſſiſſe Gelaſio II. cum Gelaſii II. Succeſſor fuerit Callixtus II. 7. Burdinum fuiſſe incluſum in quâdam caveâ. 8. Burdinum, qui fuit incluſus anno 1121. fuiſſe incluſum poſt concordiam inter Alexandrum III. & Fridericum Ænobarbum, quæ contigit anno 1157. 9. Burdinum incluſum in perpetuum fuiſſe in uno loco, cùm inde mutatus fuerit à Callixto II. in Caſtellum Janulæ, deinde ab Honorio III. in Caſtellum Furmonis. 10. Hiſtoriam Burdini fuiſſe depictam in Eccleſiâ Lateranenſi, in quâ celebratum eſt illud Concilium. 11. Eccleſiam, quæ erat Epiſcopalis Compoſtellana, eſſe parviſſimum Oratorium. 12. Rodericum aſſeruiſſe, Beatam Virginem apparuiſſe Sancto Ildephonſo, Sacrificium offerenti, cùm ipſe Rodericus in Hiſtoriâ lib. 2. cap. 22. dicat illi apparuiſſe Beatam Virginem, accedenti ad Matutinale Officium cum luminibus accenſis. Ut præteream difficillimè probari poſſe, Rodericum interfuiſſe illi Concilio; conſtat enim eos ipſos, qui illud affirmarunt, id unicè hauſiſſe ex Manuſcripto producto à Loaiſâ, vel fortè à Blaſio

Blasio Ortiz, qui illius Manuscripti antea meminerat in summi Templi Toletani graphicâ descriptione, editâ Toleti anno 1544. in octavo, certè Binius in Notis ad illud Concilium Lateranense, illam Toletani de Hispaniæ primatu controversiam ex solo Manuscripto Garciæ Loaisæ refert, ut videre est in Collectione Binii tom. 3. Conciliorum parte 2. pag. *699.* col. 1. litera E. Si autem Rodericus illi Concilio non interfuisse probetur, unico ictu tota hæc machina dejicitur, & in pulverem redigitur.

673 Prætereo, ibi dici à multis, creditum fuisse, & dictum ibi à Compostellano, contestatam fuisse litem, cùm Compostellanus introducatur ut Reus, & Toletanus ut Actor. Actor autem est, qui dicitur contestari litem cum Reo, non Reus cum Actore.

674 Tertia circunstantia *ubi* reddit inexcusabiles eos, qui illi Manuscripto crediderint. Nam locus illius narrationis duplex considerari potest, vel Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, ex quâ eruta fuit, vel liber Loaisæ, in quo illa reperitur descripta. Si Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, *ubi* illa narratio Manuscripta reperitur, immeritò illi tribuitur fides, cùm sit monumentum, quod favet parti illud habenti; quæ facillimè illud confingi curare potuit. Si verò consideretur locus illius narrationis liber Loaisæ, *ubi* legitur descripta; dicendum est, illum, qui illi narrationi credidit, sponte, datâque operâ voluisse decipi; nam Garcia Loaisa eodem loco refellit illud Manuscriptum, quatenus in eo negatur adventus Sancti Jacobi in Hispaniam, appositâ ad marginem antidoto, verbis nempe supra transcriptis quibus ingenuè affirmat, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, & monitu Sacratissimæ Virginis fundasse sacellum Cæsaraugustanum, dictum de Columnâ. Quo jure igitur credi potest cuipiam instrumento de novo edito, cui non credit, qui illud edidit?

Quo jure creditur Anonymo ignoto, & mendaci, & non creditur Loaiſæ Clariſſimo Viro, qui illud Manuſcriptum non edidit, niſi appoſitâ antidoto? Arripitur ſponte bibendum mendacii venenum, & veritatis antidotus faſtiditur, reſpuitur, rejicitur?

675 Quarta circunſtantia *quibus auxiliis* etiam perſuadet illi Manuſcripto denegandam eſſe fidem; nam ſcriptum eſt ſine auxilio ullius Authoris, neque ullius Traditionis, imò contra omnes Authores, & omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ Traditionem; ſolâ auxiliante mentiendi libidine.

676 Quinta circunſtantia *cur* etiam perſuadet, non eſſe credendum illi Manuſcripto; manifeſtè enim conſtat *cur* ibi introducatur Rodericus, negans prædicationem S. Jacobi in Hiſpaniâ; nempe quia credebatur, hâc fictione opus eſſe ad derogandum authoritati Eccleſiæ Compoſtellanæ, quam illius Archiepiſcopus in Sancti Apoſtoli Jacobi expeditione Hiſpanicâ fundaſſe fingebatur.

677 Sexta circunſtantia *quomodo*, ſive modus, quo illa narratio ſcripta eſt, etiam illi derogat fidem. Nam ſcripta eſt ordine ſatis confuſo, ita ut de illâ dici poſſit *nec caput*, *nec pedes*, ut eſt in veteri proverbio; nam in initio dicit, Synodum Lateranenſem celebratam fuiſſe quintâ decimâ die menſis Novembris, anno decimo-octavo Pontificatûs Innocentii III. Et in fine aſſerit ea, quæ narrata fuerant, ut geſta in eo Concilio, acta eſſe octavo Idus Octobris, anno decimo-octavo illius Pontificatûs, hoc eſt triginta ſeptem dies, antequam inciperet illud Concilium.

678 Prætereo quod aſſerit in principio, Concilium illud Lateranenſe incepiſſe anno milleſimo ducenteſimo.

679 Deinde incipit narrationem ſuam à numero eorum, qui Concilio interfuerunt, & inducit concionantem

tem Archiepiſcopum Toletanum, quem vocat Hiſpaniarum Primatem; ac ſi non eſſet Romæ in eo conſeſſu alius, qui hoc munere fungeretur. Declarat oraſſe Latino ſermone, ac ſi in Conciliis alio idiomate orationes haberi ſolitæ eſſent. Introducitque Archiepiſcopum Toletanum, in illâ oratione exponentem ſermone Italo, Theutonico, Franco, Anglicano, Navarræo, & Hiſpano rationes, & teſtimonia, quæ Latinè dixerat, ut omnibus faceret ſatis, quò nihil ineptius dici poteſt; nam præterquamquod hoc eſſet proferre ſeptem diverſas orationes, quarum plures à plurimis Auditoribus, præſertimque à Summo Pontifice non intelligerentur; pleroſque offenderet expoſitione vulgari ſermonis Latini, quem innuebat ignorari ab Auditoribus, in quorum idiomata transferebat ea, quæ Latinè dixerat. Certè qui audiiſſent Oratorem ex ſuggeſtu ſeptem linguis loquentem, eum proculdubio hominem motæ mentis judicaſſent; nec mererentur animadverſionem Divi Petri in eos, qui judicarunt, ebrios eſſe Apoſtolos, cùm variis linguis loquerentur. Dicit Roderici orationem valdè placuiſſe, ut potè quæ admirationem omnibus, propter Concionatoris acumen, & ingenii ſubtilitatem atulit; & tamen introducit Rodericum dicentem:

> *Si nobilitatem etiam ſepulturæ inducant, quod ibi Divus jaceat Jacobus, libenter aſſentior cum his, qui iſtud aſſerunt: licèt quidam affirment, corpus ejus Hieroſolymis requieviſſe, poſtea raptum à diſcipulis delatum eſſe, & ſepultum apud Compoſtellam.*

Nam licèt litem non intendam circa illud *aſſentior cum his* poſitum pro *aſſentior his.* Quid ſibi vult illa dictio adverſativa *licèt*, cùm corpus Apoſtoli delatum eſſe à diſcipulis, & ſepultum eſſe apud Compoſtellam, non adverſetur affirmantibus, ipſum jacere Compoſtellæ?

680 Deinde, quid ſibi vult illud, tragicum dicam, an declamatorium? quod Rodericum dixiſſe ſcribitur:

> *Abſit ut propter gloriam hujus Primatûs aſſeram, corpus Beatæ Virginis, quod firmiter credimus in Cœleſtibus, cum Domino glorioſum eſſe, in Eccleſiâ Toletanâ fuiſſe aliquando ſepultum, pedibus humanis quotidie conculcandum. Membratim enim dilaniari me potius paterer, quàm ad hoc affirmandum animum dejicere.*

Quibus verbis ſupponitur, Virginis corpus non potuiſſe eſſe ſepultum, quin quotidie pedibus humanis conculcaretur; ac ſi non potuiſſet condi ſepulchro ſupra terram elevato, ut ſcimus plurium Sanctorum Sacra Cadavera honorificentiſſimè ſepulta.

681 Prætereo induci Rodericum, credentem tamquam de Fide definitum, corpus Beatæ Virginis eſſe glorioſum in Cœlo, id enim jam doctè animadvertit Excellentiſſimus Marchio de Mondexar libro citato fol. 86.

682 Taceo de beneficiis à Pontifice Archiepiſcopo Toletano collatis, hoc enim ſpectat ad mendacia, & ad circunſtantiam *quid.*

683 Poſtea Author egregio Thraſoniſmo promittit ſcripto ſuo æternitatem, nam poſtquam ſcripſerat:

> *Quoniam velut umbra cuncta prætereunt, & quæ geruntur in tempore, cum tempore dilabuntur, non abs re priſcis, noſtriſque temporibus ſtatum eſt, quæ æternâ digna ſunt propagatione, ſcriptis mandentur, & monumentis æternis; ut nullâ poſſint oblivione deleri.*

Mox ſubjunxit:

> *Ideoque notum ſit omnibus hominibus præſentem paginam inſpecturis, quòd in Concilio apud Lateranum &c.*

684 Quid quod ſemper introducit Archiepiſcopum Toletanum, loquentem habitâ facultate Summi Pontificis, alios verò Archiepiſcopos loquentes, quin ad id poſce-

poſcerent facultatem? ut præteream induci eos dicentes nonnulla à præſentiâ Summi Pontificis, & gravitate Epiſcopali alieniſſimâ.

685 De ipſo autem Roderico, quem effusè laudandum ſuſcepit illud Manuſcriptum, refert in unâ eâdemque oratione alloquentem ad Pontificem, ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, de hoc, & de aliis: nam ad Pontificem dicendo: *Pater Sancte ò utinam &c.* ad Archiepiſcopum Compoſtellanum eo non compellato, ſed veluti cum Papâ adhuc loqueretur: *Si antiquitatem Compoſtellanæ Eccleſiæ pro te facere exiſtimas &c.* Mox de eodem, tamquam de tertio, eodem filo orationis loquens: *Si nobilitate Eccleſiæ ſuam tueri cauſam nititur &c.* Denique de aliis in plurali numero: *Si nobilitatem etiam ſepulturæ inducant.* Quæ perſonarum mutatio hoc modo facta maximè dedecet Oratorem prudentem. Ex his omnibus conſtat, circunſtantiam modi valdè debilitare authoritatem hujus narrationis.

686 Septima, & ultima circunſtantia *quando*, etiam bene penſitata, ſuadet, denegandam eſſe fidem illi Manuſcripto. Nam licèt Author videatur velle innuere, illam narrationem eſſe ſcriptam paulo poſt Concilium Lateranenſe, videtur certè longè recentior.

687 Dixi Authorem velle innuere, illam narrationem ſcriptam eſſe paulo poſt illud Concilium Lateranenſe non ſolùm, quia nullum producit Authorem, ex quo illa acceperit, quæ ſcribit, ſed etiam quia aſſerit, ſe ideo illa ſcribere, ut earum rerum memoria nullâ poſſit oblivione deleri, quod non diceret, ſi aliquis antea ea ſcripſiſſet; vel ſi credi vellet, ſe multò recentiorem eſſe illo Concilio.

688 Dixi, illam narrationem videri longè recentiorem Concilio Lateranenſi; quia Excellentiſſimus Marchio

chio de Mondexar libro citato fol. 43. aſſerit, & probat, non poſſe dubitari, illam narrationem ſcriptam eſſe multò poſt annum mileſimum ducenteſimum quinquageſimum tertium. Et veroſimile exiſtimat, illud manuſcriptum non eſſe antiquius annis bis centum, & quinquaginta. Scripſit Marchio anno 1682. ex quibus ſi demus bis centum, & quinquaginta annos, aſſignabitur illius narrationis Scriptori annus mileſimus quadringenteſimus trigeſimus ſecundus. Ego verò pace Eruditiſſimi Marchionis de Mondexar exiſtimo, illud Manuſcriptum multò recentius. Neque in hoc aſſentior Sapientiſſimo Authori, quem maximè veneror, & à cujus Excellentiſſimis filiis accepi Barcinone anno 1712. plurima, eaque eximia humanitatis documenta, maximè à Clariſſimo, & eorum Eruditiſſimo D. Matthæo de Mendoçâ, viro undequaque laudatiſſimo; nam licèt caracter, quo Codex ſcriptus eſt, eam præ ſe ferat antiquitatem; non eſt difficile fingi caracterem antiquiorem. Neque lacunæ relictæ magis oſtendunt antiquitatem illius, ex quo ille Codex deſcriptus eſt, libri, cujus caracteres legi non potuere, & ideo relictæ fuerint lacunæ, quàm induſtriam impoſtorum, qui ut Codicis antiquitatem venditarent, & antiquum caracterem effingere potuerunt, & lacunas reliquerunt. Neque tam me movet figura caracterum, quibus ille Codex ſcriptus dicitur, quàm caracter dictionis, quo illa narratio ſcripta eſt, qui certè non redolet tantam antiquitatem. Libri enim conſcripti circa annum 1432. latinitatem habent multò lutulentiorem, quàm illa narratio; neque in noſtrâ Hiſpaniâ vigebat per ea tempora ille Latinæ linguæ candor, quem Author illius narrationis nonnunquam oſtendit. Unde crediderim, illam narrationem ſcriptam fuiſſe circa initia ſextidecimi ſæculi, quo Latina lingua in Orbe cæpit reviviſcere, præſertim in Hiſpaniâ,

in

Digitized by Google

in quam seriùs pervenit illius elegantia ope Magni Antonii Nebrissensis, quem eâ de causâ vocaverunt *Doctissimum Hispaniæ Varronem*, & *Camillum Hispanum Latini sermonis.* Quocirca audiendus est Franciscus Sanctius Brocensis in Epistolâ, quâ Academiæ Salmaticensi dicat Minervam suam, hoc est, librum de Causis Linguæ Latinæ, ubi loquens de Mamotractis, Catholiconibus, & Pastranis (libri hi erant Grammatici inepti, qui olim versabantur ab Hispanis) ait:

> *Hi enim, cùm contra Ciceronem, & reliquos Latinos acerrimum bellavissent bellum: bonas literas longè, latèque pessum dederunt. Facebant itaque bonæ literæ, cum abhinc annis centum noster Antonius Nebrissensis hos rebelles conatus est castigare, sed malum hoc adeo radices egerat altas, ut innumeris monstris debellatis, multò plura debellanda remanserint.*

689 Pauciſque interjectis, Nebrissensem introducit illud Virgilianum occinentem:

> *Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor*
> *Qui face Barbatos, ferroque sequare Perotos.*

Obiit autem Antonius Nebrissensis, qui ex Hispaniâ exegit barbariem, anno vigesimo secundo decimisexti sæculi; unde existimo, me non temerè suspicari, Authorem illius narrationis non fuisse Nebrissensi antiquiorem, cùm in illâ nulla inveniatur barbaries, imò multa adsint, quæ melioris ævi elegantiam redoleant, quorum syllabum annecto.

> *Admirationem atulit*
> *Commentitiis, & falsis Bullis*
> *Concionem habuisse*
> *Cooptatus in Conimbricensem Episcopatum*
> *Fasces submittere*
> *Fato functus est*

*Gravi*

*Gravi morbo oppreſſus*
*Hâc de re dubitet*
*Inſtructus exercitu*
*Legati munere fungeretur*
*Literis erudiendum curavit*
*Notam ſibi eſſe inuſtam*
*Oblivione deleri*
*Quæ æternâ digna ſunt propagatione*
*Repulſam ſit paſſus*
*Rubore perfuſa*
*Senio confectum*
*Suffectus eſt*
*Vitâ functus eſt.*

690 Cùm autem ex quo Latina lingua à barbaris corrupta eſt, uſque ad Antonii Nebriſſenſis ætatem nunquam repertæ fuerint in Hiſpaniâ hæ Latini ſermonis munditiæ, pronum eſt perſuaderi, illam fabulam ſcriptam fuiſſe poſtquam Antonii Nebriſſenſis beneficio Romanâ elegantiâ reſurgere cœpit in Hiſpaniâ.

691 Ex dictis conſtat, quàm ſubleſtæ fidei ſit illud Manuſcriptum editum à Loaiſâ, cui in re tanti momenti nimiùm credidit Cardinalis Baronius, quin illud ad Lydium Critices lapidem exploraret. Et quàm infeliciter exiſtimaverit eſſe verba Roderici Archiepiſcopi Toletanī, quæ tamquam ab eo dicta confinxit Anonymus impoſtor, illius Manuſcripti Author.

692 Non animadvertit Baronius tantum virum, quantum fuiſſe Rodericum, non diffeteur, non potuiſſe dicere tot veritati Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ adverſantia.

693 Non animadvertit, in tanto Concilio non potuiſſe dici ab hominibus ſanæ mentis ea, quæ illud Manuſcriptum aſſerit dixiſſe eos duos Archiepiſcopos, Toletanum nempe, & Compoſtellanum.

Non

694 Non animadvertit, præter ea, quæ nos supra observavimus, Compostellanum non induci in eo Manuscripto, ut succumbentem. Nam si nihil respondit circa prædicationem Sancti Jacobi, id ex eo debebat esse (si vera extitisset illa concertatio) quia Toletanus juxta illud Manuscriptum fertur dixisse: *Sed omissis rationibus, si placet, respondeat propositæ quæstioni.* Hinc Compostellanus omissis rationibus, summà cum libertate respondit, falsissimum esse, quòd Toletanus esset Primas. Quod erat punctum quæstionis. Unde jam locus non erat ad citandum Callixtum II. neque Turpinum, neque Venerabilem Bedam, neque Sanctum Isidorum, cùm hoc spectaret ad rationes, quibus omissis, Adversarius postulabat sibi responderi.

695 Præterea, opus non erat Compostellano citare Authores pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, quam affirmabat antiquissima Traditio; nota plurimis Episcopis Hispanis, qui dicuntur interfuisse illi Concilio, nam præter Bracharensem, Toletanum, Compostellanum, & Visensem, aderant Episcopi, Conchensis, Segoviensis, Segobricensis, Auriensis, Calaguritanus, Colimbriensis, Evetensis, Portugalensis, Egitanus, Civitatensis, & Asturicensis, ut videre est apud Marchionem de Mondexar fol. 51.

696 Unde immeritò judicat Baronius, supposititios esse Callixtum II. Venerabilem Bedam, & Sanctum Isidorum, ex eo quòd non producti fuerint à Compostellano in eâ controversiâ.

697 Æquè malè arguitur, non fuisse alios Authores, qui expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi meminerint, quia Compostellanus eos non produxit in eâ disputatione non scripto, sed voce tantùm agitatâ. Si enim ideo negandum esset, extitisse omnes Authores, qui in similibus disputationibus non proferuntur, actum esset

de innumeris Authoribus, quos diſputantes non producunt ſive ex ignorantiâ, ſive ex oblivione, ſive ex aliâ cauſâ.

698 Huc facit potiori jure illud Natalis Alexandri ſæculo primo, Diſſertatione 22. pag. 227. effactum:

> *Argumenta, quæ ex Authorum ſilentio repetuntur, nec niſi negativâ probatione conſtant, ad veritatis fidem faciendam, infirma vulgò ab eruditis exiſtimari.*

699 Dixi *potiori jure*, quia facilius eſt, quòd quis obliviſcatur Authoris cujuſpiam in calore diſputationis, quàm dum quietus, & ſecurus ſedet ad ſcribendum ea, quæ non eduntur quandiu.

> —*non*
> *Multa dies, & multa litura coercuit, atque*
> *Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.*

Ut præcipit Horatius in Arte Poeticâ. Cùm igitur judicio Natalis Alexandri, vim non habeat ſilentium Authoris ſcribentis, quam vim habebit ſilentium hominis diſputantis?

700 Neque vim ullam habent ea, quæ dicit Baronius loco citato, loquens de Archiepiſcopo Compoſtellano:

> *Succubuit, cùm nec dum Callixtum, ſed nec aliquem alium haberet, quem de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ in medium afferret Authorem, quantumlibet bene veniſſet inſtructus, ut in tantâ Synodo adverſus tantum Adverſarium cauſam ſuæ Eccleſiæ ageret.*

701 Nullam, inquam, habent vim; in primis, quia fortaſsè (ſi verè extitiſſet in eo Concilio illa Controverſia) nihil minus cogitaverat Compoſtellanus, quàm illi Concilio affuturum Archiepiſcopum Toletanum, quem ſciebat in Hiſpaniâ graviſſimis negotiis diſtentum. Deinde, fortaſsè nihil minus timebat, quàm ſibi intentandam

dam esse eam litem, cùm illud Concilium indictum non fuerit pro eâ decidendâ, ut certè decisa non fuit. Postremò, etiamsi paratissimus venisset ad defendendum jura suæ Ecclesiæ, nunquam suspicari poterat, futurum esse hominem Hispanum, qui negare auderet adventum Sancti Jacobi in Hispaniam, quem omnium Ecclesiarum Hispaniæ adstruebat Traditio.

702 Accedit, quòd imprudentissimus extitisset Compostellanus, afferendo pro suæ Ecclesiæ authoritate adventum Sancti Jacobi, si hic indubium revocari posset; sicuti imprudentissimus extitisset Toletanus, afferens pro honore Ecclesiæ suæ, quòd apparuerit in ipsâ Virgo Sanctissima Sancto Ildephonso, si de hâc apparitione quispiam prudenter dubitare posset. Et sicuti Toletanus narravit apparationem Beatæ Virginis Sancto Ildephonso, nullo producto testimonio, ita Compostellanus exposuit prædicationem Sancti Jacobi in Hispaniâ, nullo producto testimonio: ergo Compostellanus proposuit illam expeditionem, quam credebat certissimam. Unde non opus habuit adducere Authores in confirmationem rei indubitatæ; ideoque illorum citatione abstinuit.

703 Præterea Toletanus innuerat in suâ oppositione, se non crediturum, nisi testimonio eruto ex Sacrâ Paginâ, dixerat enim: *Qui divinam paginam noverunt, testimonium perhibeant.* Quorsum igitur Compostellanus, cùm nullam probationem eruere posset *ex Divinâ paginâ*, produxisset Authores, quibus Adversarius non erat cessurus?

704 Immeritò igitur Cardinalis Baronius ex omissione Archiepiscopi Compostellani censuit suppositium opus Callixti II. aliorumque; cum constet illo tempore extitisse plures Authores, affirmantes expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, qui neque producti fuerunt à Compostellano, neque unquam de suppositione, vel in-

terpollatione ſuſpecti: nempe Author Martyrologii Blumani, Beatus Præbyter Libanienſis, Author Martyrologii Gelonenſis, Freculphus Lexovienſis, Sanctus Notkerus, Otho Friſingenſis, & Metellus Tergerſeenſis quos Aſſertione 50. proferemus.

705 Quanti autem faciendi ſint hi Authores, conſtat ex doctrinâ ipſius Cardinalis Baronii, qui tantam tribuit authoritatem dicto Callixti II. (ſi verè extaret) ut ſcripſerit eodem loco, hoc eſt ad annum Chriſti 816. num. 50.

*Si adverſus Toletanum idem Compoſtellanus tanti authoritate Pontificis ea in medium prodens ſcripta Callixti, vehementiori impulſu, ut potenti armatus telo, in Adverſarium inſiliiſſet.*

706 Si autem teſtimonium Callixti II. qui obierat anno 1124. fuiſſet telum potens contra Rodericum, quantò potentiora tela eſſent teſtimonia Othonis Friſingenſis, Sancti Notkeri, Freculphi, Petri Libanienſis, aliorumque antiquiorum Callixto II. à cujus obitu non dum effluxerat alter annus ſupra nonageſimum, tempore, quo dicitur agitata illa controverſia in quarto Concilio Lateranenſi, quod celebratum fuit anno 1215?

707 Neque addit pondus dictis, quæ Roderico tribuuntur in illo Manuſcripto, ipſius Roderici in hiſtoriâ ſuâ ſilentium de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ut exiſtimavit Cardinalis Baronius; nam ſi ex ſilentio Roderici in ſuâ hiſtoriâ poſſet argui, Sanctum Jacobum non prædicaſſe in Hiſpaniâ, æquè poſſet argui, Sanctum Paulum non prædicaſſe in Hiſpaniâ, quia Rodericus æquè tacet de Sancto Paulo, atque de Sancto Jacobo. Imò æquè poſſet argui, neque ſeptem Apoſtolorum diſcipulos, neque ullum alium Prædicatorem docuiſſe Hiſpanos Fidem Chriſti, quia Rodericus omninò tacet de prædicatione Euangelii in Hiſpaniâ.

Si

Digitized by Google

708 Si Cardinalis Baronius hoc loco uti vellet lampade Criticâ, agnoſceret, non ſolùm eſſe infirmum argumentum à ſilentio, ut ſemper eſt, ſed eſſe maximè infirmum, quod eruit ex Roderici Toletani ſilentio, quo tacet in ſuâ hiſtoriâ prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpaniâ; nam in illâ Hiſtoriâ non erat locus narrandi initia converſionis Hiſpaniæ ad Chriſtum; nam primo libro per ſeptem capita agit de antiquis Hiſpaniæ Colonis, ſive veris, ſive fabuloſis. Deinde per ſequentia duodecim capita agit de Gothis extra Hiſpaniam, & librum primum abſolvit. Librum autem ſecundum incipit ab Æra tercenteſimâ octogeſimâ primâ, hoc eſt ab anno Æræ vulgaris 343. poſtquam Fides ante tria ſæcula illuxerat Hiſpaniæ populis; unde locus illi non fuit, in quo aptè ſcribere poſſet primam prædicationem Euangelicam in his provinciis; ac proinde ex illius ſilentio nihil, non dicam colligi, ſed neque leviſſimè ſuſpicari quis poterit contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

709 Unde mirum eſſet, Cardinalem Baronium tali argumento à ſilentio Roderici uſum fuiſſe, niſi ſciremus eos, qui ad aliquid aſſerendum, vel negandum animum obfirmarunt, ſolitos eſſe exiſtimare utilia ſibi eſſe argumenta, quæ inutiliſſima eſſe convincunt ii, qui partium ſtudio liberi teſtimonia, & argumenta perpendunt pondere Sanctuarii, & ad libram Criticam examinant; quod certè hoc loco non fecit Cardinalis Baronius, ideo uſus eſt Manuſcripto nullius fidei, & argumentis nullius ponderis, ut oſtendimus, & oſtendemus; neque enim maiorem vim habent, quæ adducit ex Sancto Innocentio I. & Sancto Gregorio VII. ut ſuo loco demonſtravimus, nempe Aſſertione 26. & 27. Unde negatio adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, tota provenit ex non uſu, vel abuſu Critices. Neglexiſſe Criticen (ne aliud dicam) impulit

Baro-

Baronium ad præſtandum fidem illi Manuſcripto, ad recedendum à ſententiâ affirmante, quam propugnaverat, dum ſcriberet Notas in Martyrologium Romanum, & dum primum Annalium tomum exararat. Nonnuli Authores Hiſpani aſſerunt, Baronium parùm æquum eſſe Hiſpaniæ. D. Joannes de Salazar in libro Apologetico pro adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, obſervavit tomum illum nonum, quo Baronius mutavit ſententiam, quam prius tenuerat de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, dicatum fuiſſe Henrico IV. Regi Gallorum, quibus ſententia negans, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, maximè arridet poſtquam Legatus Hiſpanus in Concilio Tridentino litem intentavit de præcedentiâ Regis ſui Regi Gallorum, eo titulo, quòd Hiſpania prius crediderit Chriſto, prædicante Sancto Jacobo, quàm Gallia, prædicantibus aliis. Ego tamen aliam ſuſpicor fuiſſe cauſam Baroniani illius lapſûs, nempe defeciſſe ipſi lumen, quod in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſcribendâ accipere ſolebat à Sancto Philippo Nerio in terris vivente, qui ipſi Author fuerat, ut difficillimam ſuſciperet provinciam conſcribendi Annales Eccleſiaſticos; & mihi habeo polliceri, Baronium non receſſurum à priori ſententiâ, ſi quando illum tomum nonum ſcripſit, in vivis eſſet Sanctiſſimus, & Prudentiſſimus Pater Sanctus Philippus Nerius. Extincto Sancto Philippo (cujus nomen ſignificat *os lampadis*) extincta eſt Baronio lampas Critica, ſicuti extincta eſt omnibus negantibus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

ASSER-

Digitized by Google

# ASSERTIO XXXVI.

## *Non officiunt expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi ea, quæ contra ipsam adducuntur ex Magistro Yslâ.*

710 SEcundum argumentum ex Hispanis monumentis erutum, ex quo Romæ dubitatum est de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi ab iis, quibus Clemens VIII. imposuit recognoscendum Breviarium Romanum, extractum est ex verbis quibusdam Magistri Yslæ, qui scripsit Notationes ad Regulam Ordinis Equestris Sancti Jacobi, ad cujus operis calcem tria adjecit capita de initio, medio, & fine ejusdem Ordinis, in quorum tertio pag. 169. ait: non extare scripturam authenticam, neque Divinam, neque humanam, quæ dicat, Sanctum Jacobum viventem venisse in Hispaniam, nisi quòd hæc sit opinio Regnorum, & populi. Quæ licèt Authori inconsultò exciderint, tamen cùm exarata fuerint Hispano calamo, non minimam suppeditarunt materiam dubitandi de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, viris rerum Hispanarum incuriosis, neque semper, aut ubique Criticis solicitis; ut plerique sunt, qui res externarum gentium legunt, aut scribunt. Hinc quæ Magister Ysla per summam oscitantiam scripsit anno 1547. adversus expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, importunè allegabant ex illius libro, per ea tempora edito anno scilicet 1598. ex Typographiâ Plantinianâ.

711 Argumentum ita conficiebatur, ut scribit D. Didacus de Castillo in Prologo Defensionis Adventûs, & Prædicationis Sancti Jacobi &c. Si Magister Ysla, licèt fuerit Hispanus, & frater Ordinis Jacobæi, dicit, illam expedi-

expeditionem eſſe opinionem Regnorum, & populi, cur ſcribenda eſt in Breviario, tamquam Hiſtoria authentica, & vera?

712 Mirandum eſt, Viros doctos, & prudentes curaſſe verba unius Scriptoris, tunc recentiſſimi, & obſcuri nominis, nulliuſque famæ in Republicâ literariâ, qualis eſt Ysla, cujus libellus, ni fallor, tunc primùm lucem aſpiciebat; & neglectâ Critice illius verba bibulis auribus excepiſſe, eaque detorſiſſe contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, jam tunc toto Orbe celeberrimam, & quam teſtabantur pluſquam ſeptuaginta Scriptorum teſtimonia, è quibus nonnulli erant Clariſſimi; & non ex ſolâ Hiſpaniâ, ſed ex toto ferè Orbe erudito. Præſeferebant Cenſores illi Hiſtoriarum oblivionem, & neglectum Critices, quæ ſunt cauſæ impugnandi illam expeditionem, quibus tertia plerumque accedit, ſcilicet prurigo contradicendi, reſque novas moliendi, (quam tamen non dixerim, paſſos fuiſſe eos, qui Breviarium recognovere.) Opus igitur erat priuſquam ex eo Authore deſumeretur argumentum, perpendi juxta leges Critices, quando vixerit Author, quâ ætate ſcripſerit; quomodo ſcripſerit; imò expendendæ erant omnes circunſtantiæ illo verſiculo comprehenſæ:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Et ni fallor, ſi illud dictum Magiſtri Yslæ ad hanc normam eſſet exigendum, oportuiſſet hærere in veſtibulo; nam credo non facilè noſcendum, quis fuerit ille Magiſter Ysla, nam præter id, quod legitur in ejus libelli fronte (nempe fuiſſe fratrem Ordinis Militaris Sancti Jacobi, Profeſſum in Conventu Ucleſenſi, & Capellanum Regium) nihil aliud de eo accepi; neque enim illius meminit Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpanâ, neque alius, quem ſciam; Nicolaus verò Antonius in eo lapſus eſt, quòd

quòd Yslæ Opuſculum adſcripſit Franciſco Portillæ, qui ſolùm eſt Author tractatûs de Nobilitate, qui legitur ad calcem illius voluminis, editi in octavo, non in quarto, ut ſcribit Nicolaus, qui certè librum non viderat.

713 Deinde, etiamſi nihil ignoraretur de Magiſtro Yslâ, cognoſcereturque fuiſſe teſtem omni exceptione maiorem, diſcutiendum eſſet *quid* ſcripſerat, & *quid* illius verba ſignificarent; explorandumque, quid ſibi vellet Author dicens, illam expeditionem *non narrari ſcripturâ authenticâ, ſed eſſe communem opinionem Regnorum, & populi.* Et reperiretur falli Yslam per ignorantiam Hiſtoriæ literariæ, quæ illo ævo penè ignota erat pleriſque, ut colligitur ex Morophio in Polyhiſtore lib. 1. cap. 2. n. 2. & ſeqq. nam certè multi Scriptores authentici, hoc eſt authoritatem habentes, jam dixerant, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, ut conſtabit infra parte 3. Aſſertionibus 48. 49. 50. & 51. Unde deceptus eſt Ysla, dum dixit de adventu Sancti Jacobi non extare ſcripturam authenticam; præſertim cùm dicat infra, extare ſcripturas authenticas de illius apparitionibus; nam à pluribus, gravioribus, & maiorem authoritatem habentibus Scriptoribus, narratur illius adventus in Hiſpaniam, quàm illius apparitiones. Unde dixit D. Didacus de Caſtillo loco citato, illa verba Yslæ delenda fore ex illius libro, quia omni veritate carent.

714 Præterea dum Ysla dicit, hanc expeditionem eſſe communem opinionem Regnorum, maximè Regni Aragoniæ, & populi; quid aliud agit, quàm inculcare Traditionem, quæ eſt firmiſſimum fundamentum aſſerendi expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi? nam *potentior eſt hæc Traditio, quam omnia librorum monumenta*; ut ait Clariſſimus Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam cap. 5. pag. 26. Quomodo ergo ex Yslâ aſſe-

rente Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, poterat erui argumentum contra ipſam expeditionem?

715 Ad refellendum autem hoc argumentum, ſatis eſt legiſſe illud tertium caput Magiſtri Yslæ, ibidem enim ait:

> *Muy merecido tiene eſte Santo Apoſtol, que en eſtos Reynos adonde el predicò perſonalmente en vida &c.*

Quibus citra ullam dubitationem affirmat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Quantâ autem cum ſecuritate id aſſerat, colligitur ex iis, quæ ante dixerat de Sancto Jacobo loquens, nempe:

> *Y anſi devemos creer, que en vida fuè nueſtro Apoſtol, y Predicador.*

Sanè certiſſima eſſe oportet ea, quæ tenemur credere; niſi enim eſſent certiſſima, illa credere non teneremur, ſed docente eodem Magiſtro Yslâ, tenemur credere, Sanctum Jacobum prædicaviſſe in Hiſpaniâ; ergo hoc eſt certiſſimum judicio Magiſtri Yslæ. Quomodo ergo ex Magiſtro Yslâ deduci poteſt argumentum convincens contra illam expeditionem?

716 Ego ſanè ex eodem Authore magnam haurio illius expeditionis certitudinem; premo enim illa verba *devemos creer*; & ipſa confero cum ſimilibus verbis Nicolai Antonii in Bibliothecâ Hiſpanâ tomo 1. pag. 154. ubi loquens de Bartholomæi Laurentii, Canonici Cæſarauguſtani Indice Authorum, qui agunt de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, ait:

> *Omnes, qui Adventum Divi Jacobi ad Hiſpanicas* pro debito *aſſerere uſquam conati ſunt, præcipuè laudant.*

Ex quibus infero, omnes nos *debere* credere, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam; omnes teneri hanc illius expeditionem *pro debito* aſſerere.

In

717 In eodem capite asserit Ysla, non solùm Sanctum Jacobum fuisse Prædicatorem Hispaniæ juxta opinionem communem omnium Regnorum, sed maximè Regni Aragoniæ, in quo creditur expeditio Sancti Jacobi certitudine paulò minori illâ, quâ creduntur articuli Fidei. Quod meo judicio nimiùm videri non debet; ego enim hanc expeditionem credendam existimo quantâ maximâ certitudine fieri potest infra certitudinem rerum credendarum Fide Divinâ.

718 Nihil ergo incommodi venit Assertoribus expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi ex libro Doctoris Yslæ; qui tantùm abest ut illam oppugnet, ut potiùs illam, & asserat, & probet duplici argumento, eo loci videndo, præter Traditionem Regnorum, de quâ testatur, & quæ est asserentis sententiæ ineluctabile fundamentum, ut videbimus parte 3. ab Assertione 53. usque ad 63.

719 Hîc adnotare non omittam, non solùm mihi videri istum Magistrum Yslam Authorem parùm cognitum, sed etiam illius libellum esse valdè rarum, idque colligo non solùm ex eo, quòd non memini, me illum in ullâ aliâ Bibliothecâ vidisse extra Musæum nostrum, sed etiam, quia licèt evolverim aliquot Catalogos illustrium, copiosissimarumque Bibliothecarum, illum non reperi; & quod magis me movet, est, Authores, qui illum referunt, nullum (quem viderim) scribere illius cognomen *Ysla*, ut est in illius libro; nam vel scribunt *Isla*, ut scripsit D. Didacus de Castillo, vel *Iscla*, ut ex Bartholomæo Laurentio scribit D. Joannes de Salazar in tractatu de Adventu Sancti Jacobi in Hispaniam pag. 230. Licèt hinc colligam duas saltem editiones libelli Magistri Yslæ, idque non solùm, quia numerus paginarum, quo citatur à Castillo, non cohæret numero citato à Salazar, sed invicto argumento, quia Bartholomæus Laurentius Indicem

ſuum Authorum, qui de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam ſcripſere, in quo Iſclam refert quadrageſimo quinto in loco, edidit anno 1591. editio autem Yslæ, quam refert Caſtillo, & quam penes me habeo, eſt poſterior, utpote anni 1598. unde non potuit allegari à Bartholomæo Laurentio ſeptem annis antequam fieret. *Iſclam* etiam ſcribit Franciſcus à Jeſu Xodar de adventu S. Jacobi in Hiſpaniam, Diſcurſu 3. pag. 89. S. Rota Romana apud Lezanam hunc Authorem vocat *Iſellam*; unde videmus quatuor tribui cognomina viro, cujus ignoratur nomen, qui proinde ſimilis eſt Jano Quadricipiti, qui Romæ dat nomen Ponti quatuor capitum, cùm tamen illa ſtatua, præter capita, in nullo referat hominis imaginem. Certè in editione, quâ utor, ſcribitur hoc cognomen per Y Græcum Ysla, idque non ſemel, neque tantùm cùm ſcribitur Hiſpanè, ſed etiam cum ſcribitur Latinè, ut cernitur in Epiſtolâ ipſius Authoris ad Priores, & Fratres.

## ASSERTIO XXXVII.

### *Expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi non officit diſſidium Authorum Hiſpaniæ circa illius circunſtantias.*

720 CUm ratum, firmumque ſemper fuerit apud omnes Hiſpanos, Sanctum Jacobum Zebedæi filium ipſis attuliſſe lucem Euangelii, antequam aliis Europæ provinciis illa affulſiſſet, diſſident inter ſe circa locum Hiſpaniæ, ad quem prius acceſſerit; & circa urbem, quæ priùs tantum hoſpitem exceperit. Nam alii aſſerunt, ipſum navigio vectum mari Athlantico, appuliſſe Occiduis oris Hiſpaniæ; alii, ipſum, quin exiret fretum Hercu-

Digitized by Google

Herculeum, descendisse in litora intra mare Mediterraneum, ex quâ Authorum dissensione arguit Spondanus, Sanctum Apostolum ad Hispaniam non venisse.

721 Licèt Clarissimus Macedo dicat (& meritò) hoc argumentum ineptum esse, tamen immoratur in eo solvendo; hinc ego illud diluendum putavi, & præcipuè, quia deductum est ex monumentis Hispaniæ. Et dico, vestigiis Franciſci Macedo insistens, dissidere de portu Hispaniæ, ad quem Sanctus Jacobus appulerit, non esse dubitare de illius expeditione Hispanicâ; quod duplici exemplo confirmo, præter illud, quo utitur ipse Macedo de septem urbibus Græciæ, quæ de Homero decertarunt. Primum est de Sancto Damaso Pontifice Maximo, quem constat fuisse Hispanum, & tamen alii faciunt Matritensem, alii Valentinum, alii Villamantensem, alii Tarraconensem, alii ex Argelaguer, alii ex Palau, alii verò Urgelitanum, alii Lusitanum, ex his verò alii Egitanienſem, alii Vimaranensem, ut videre est apud Patrem Antonium Macedo Franciſci fratrem germanum, in suâ Lusitaniâ Insulatâ, cùm de Sancto Damaso; & novissimè apud Clarissimum Virum Paulum Ignatium de Dalmasses, & Ros, Prothochronologum Principatûs Gotholaniæ, cujus humanitatem Barcinone expertus sum, qui hujus Authorum dissidii meminit in Eruditissimo volumine de Patriâ Orosii capite 19. à numero 8. pag. 210.

722 Quis igitur sanæ mentis affirmaverit, eos, qui dissident de Patriâ Sancti Damasi, dum alius dicit, illum unâ Hispaniæ urbe natum, alius aliâ ejusdem Hispaniæ, negare Sanctum Pontificem natum fuisse in Hispaniâ? Quis dicet, eos, qui asserunt Sanctum Damasum fuisse Egitanienſem, non Vimaranensem negare, illum fuisse Lusitanum. Ego certè existimo probabilius, Sanctum Pontificem fuisse Vimaranensi tractu natum; sed nullo pacto

pacto dubito fuiſſe Luſitanum, multòque minus dubito fuiſſe Hiſpanum.

723 Similiter, licèt alii dicant, Sanctum Jacobum ingreſſum fuiſſe Hiſpaniam per illius oram Orientalem, non negant veniſſe in Hiſpaniam, quod etiam affirmant, qui aiunt, Sanctum Apoſtolum ingreſſum fuiſſe per litora maris Athlantici. Unde nihil conficit contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi Hiſpanorum pugna de loco Hiſpaniæ, ad quem prius appulit.

724 Aliud exemplum habemus in Magiſtro Yslâ, quem, ut ſuperiori Aſſertione vidimus, alii vocant Islam, alii Iſclam, alii Iſelam; & non per hoc inferri poteſt, non extitiſſe in rerum naturâ eum Authorem, cujus librum in manibus nunc habeo, in quo lego nomen Yslæ: ergo neque ex diſſidio circa locum ingreſſûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam inferri poteſt, ipſum non veniſſe in has provincias; ſed potiùs inferri poteſt, eundem Apoſtolum plura illarum loca perluſtraſſe.

725 Sed ſatis ſuperque in hoc ſolvendo argumento nullius momenti immoratus ſum; pergendum nunc eſt ad diluendum poſtremum argumentum, nec quidem maioris ponderis deductum ex monumentis Hiſpaniæ, licèt illi, jam aliud agens, ſatisfeciſſe videri poſſim.

# ASSERTIO XXXVIII.

## *Expeditioni Hispanicæ S. Jacobi non officeret, si à nonnullis tam meticulosè affirmaretur, ut magis de illâ dubitantibus, quàm asserentibus adhærere viderentur.*

726 ERuditissimus Neotericus, qui expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi oppugnare voluit, ait:

> *Dicere possum cum Theodoreto Sermone X. de Providentiâ*: Testimonium, quod ab hostibus ferebatur, eum, qui prædicabatur, sermonem fidedignum reddebat.

Cùm in primi paragraphi titulo dixisset:

> *Nonnulli ex Adversariis inter præstantissimos computandi adeo meticulosè sequuntur eam sententiam de Sancti Jacobi in Hispaniâ prædicatione, ut magis de illâ dubitare, quàm illi adhærere videantur.*

Deinde subjungit:

> *Interdumque ea afferunt, ex quibus falsam esse eam sententiam tum ad rem, tum ad hominem, ostendi possit.*

Et licèt Neotericus prudentissimè istud argumentum in principio pugnæ, tamquam levis armaturæ eduxerit, ut dicere posset cum Cicerone lib. 2. de Divinatione: *Hæc fuerit nobis tamquam levis armaturæ primæ orationis excursio*, tamen illi occurrendum duxi, non quòd timuerim dici fugatus à levi armaturâ, quæ olim, nisi virtute, & multitudine hostium premeretur, illos fugientes sequebatur, ut tradit Vegetius lib. 2. de Re Militari cap. 17. licèt sciam

ſciam, Parthos ſolitos fugere, ut vincerent; ſed quia hoc argumentum potiori ex parte deſumptum eſſe ſcio ex monumentis Hiſpanis, ac proinde hâc Sectione diluendum.

727 Authores autem, ex quorum dictis Neotericus Adverſarius elicit illud argumentum, ſunt Benedictus Pererius, Joannes Lorinus, Jacobus Tirinus, Jacobus Gordonus, Joannes de Buſſieres, Joannes Mariana, Gaſpar Sanctius, omnes à Societate Jeſu; & Ambroſius Morales, quos dicit inter præſtantiſſimos Adverſarios computandos, & quos innuit eſſe hoſtes, quorum teſtimonio utitur. Utrumque tamen, quoad plures immeritò. Nam ſi Adverſarius, teſte Senecâ libro de Conſtantiâ Sapientis capite 14. *Facit ſe Adverſarium, qui contendit.* Non ſunt Adverſarii, qui non contendunt; qui autem neque Adverſarii ſunt, quomodo inter præſtantiſſimos Adverſarios computandi? Deinde, ſi Authore Nonio Marcello de Proprietate Sermonum capite 1. numero 11. *Hoſtes dicti ſunt, qui ex æquâ cauſâ pugnam ineunt.* Quomodo dicendi hoſtes, qui pugnam non ineunt? Eſt ne præſtantiſſimus Adverſarius Neoterici Joannes Lorinus, homo Gallus, qui de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi nihil curavit, adeo ut ſcripſerit in Commentario in Pſalmum 18. verſ. 5. factâ mentione Sancti Jacobi Fratris Joannis, *quidquid ſit de adventu in Hiſpaniam.*

728 Eſt ne præſtantiſſimus Adverſarius Jacobus Tirinus Belga, qui non contendit? Eſt hoſtis, qui non init pugnam, ſed ingenuè narrat? Non tamen ita ſcribit, ut illius verba poſſint contra nos detorqueri; multòque minus contra ipſum Tirinum, qui in Chronico incipiens Hiſtoriam anni duodecimi à morte Chriſti Domini, ſic ait:

> *Die* 14. *menſis Niſan, pridie Paſchæ Judæorum, pridie Kalend. Aprilis Jacobus Zebedæi ex Hiſpaniâ* redux *ab Herode Agrippâ gladio feritur.*

In

In quorum testimonium plurimos in marginibus citat Authores.

729 Id verò, de quo in caput 12. Actuum Apostolorum vers. 2. dicit: *Fides sit penes Authorem*, non est expeditio Hispanica Sancti Jacobi, sed Sancti Petri profectio in Hispanias &c. quia post narratas res Sancti Jacobi, ejusque corporis Translationem, sepulturamque in Urbe Iriâ Flaviâ, addit:

> *Subdit* (Dexter) *Petrum quoque novennio post adiisse Hispanias, indeque multis comitantibus in Africam, & Ægyptum trajecisse. Fides sit penes Authorem.*

730 Si autem contenderit Neotericus, Tirinum omnia, quæ dicit de Sancti Jacobi expeditione Hispanicâ, imponere authoritati Pseudo-Dextri, nihil moror, hoc ipso enim ostendet, se immeritò annumerasse Tirinum inter præstantissimos Adversarios sententiæ negantis expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi.

731 Cùm autem dixit ibidem vers. 17. *plerosque Apostolorum etiam num Hierosolymis substitisse, vel saltem non procul inde abscessisse*, tempore, quo Sanctus Petrus exiit è carcere, nihil dixit pugnans cum expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, quam ibidem (hoc est in caput 12. Act. vers. 2.) & in Chronico affirmaverat; nam *plerique* non significat *omnes*, sed maiorem partem, quia est nomen partitivum, ut docent Grammatici, ideoque illi adjunxit Tirinus Genitivum illud: *Apostolorum*. Unde non implicat, maiorem partem Apostolorum etiam num substitisse Hierosolymis, & eodem tempore minorem illorum partem procul abesse Hierosolymis, imò qui dicit, maiorem partem fuisse Hierosolymis, vel non procul inde abscessisse; eo ipso dicit, minorem partem tunc non fuisse Hierosolymis, vel procul inde abscessisse.

732 Quando verò Tirinus dicit: *Exquibus patet hoc*

*demum anno, & occaſione hujus Herodianæ perſecutionis Apoſtolos à Judæâ, & à ſe mutuò divulſos in ſuas ſingulas provincias demigraſſe;* id ſolùm dixit de pleriſque, qui Hieroſolymis etiam num morabantur, non de aliis, qui jam profecti fuerant ante perſecutionem Herodianam, ſicuti profectus fuerat Sanctus Jacobus in Hiſpaniam.

733 Cùm perſpectum habeam, Tirinum eum eſſe Authorem,

— *qui nihil molitur ineptè*

libens illius dictiones obſervo: dum loquitur de profectione Apoſtolorum poſt perſecutionem Herodianam: animadvertoque conſultò dixiſſe *hoc demum anno*; nam *demum* eſt adverbium ſignificans idem quòd *tandem*, & uſurpatur pro *denique*, ut ait Horatius Turſellinus de particulis Latinæ Orationis cap. 43. ac propriè locum habet in extremâ parte enumerationis. Unde qui dicit illo *demum* anno Apoſtolos fuiſſe profectos, innuit etiam ante fuiſſe profectos, ſed non *demum*, ſed non *poſtremò*. Animadverto etiam, conſultiùs Tirinum dixiſſe occaſione Herodianæ perſecutionis, Apoſtolos à Judæâ, & à ſe mutuò *divulſos*, nam licèt antea diſceſſerint ad tempus à Judæâ, tamen cùm eſſent iterum reverſuri, non dicuntur mutuò *divulſi*. Animadverto tandem, conſultiſſimè dixiſſe in ſuas ſingulos provincias eâ occaſione *demigraſſe*. Nam demigrare, eſt domicilium mutare, & aliò ſe ad habitandum conferre, ut docet Laurentius Valla lib. 5. Elegant. cap. 95. Et Apoſtoli, licèt nonnunquam ante illud tempus exierint de Judæâ, ut de Sancto Jacobo noſtro fatetur Baillet in illius vitâ, nihilominus cùm eſſent reverſuri in Judæam, ut reverſus eſt in Hiſpaniâ redux Sanctus Jacobus, non demigraverant in ſuas provincias, quia nondum mutabant domicilia, nondum aliò ſe ad habitandum conferebant. At poſt Herodianam perſecutionem,

nem, cùm exierint non remigraturi, ideo dicuntur demigrasse.

734 Ex dictis constat, Tirinum & admittere adventum Sancti Jacobi in Hispaniam, & neque probare oppositum, neque suscitare Sanctum Jacobum à mortuis, ut prædicaret in Hispaniâ. Et nihilominus constat, non fuisse computandum inter præstantissimos Adversarios sententiæ negantis expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quia pro illâ non contendit, pro illâ non pugnat, sed eam solùm narrat.

735 Pari jure dicendum est, Jacobum Gordonum natione Scotum, non esse computandum inter præstantissimos Adversarios sententiæ negantis expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quia neque illius Adversarius, aut hostis fuit, cùm licèt oppositam tenuerit pro suâ neque contendit, ut se faceret Adversarium, neque pugnam iniit, quâ se hostem probaret contrariæ; solùmque ad annum Christi 44. de Sancto Jacobo loquens, dixit:

*Quòd ille prædicaverit in Hispaniâ Traditio est.*

Quod sicuti neque est contendere, aut pugnare pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, ita non est de illâ dubitare, præsertim cùm maximum fundamentum sententiæ affirmantis sit Traditio, ut sæpe diximus, & sæpiùs dicemus, quâ nos quidem nitimur, nec multùm de Authoribus laboramus, ut loquar cum Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam cap. 10. §. 5. pag. 83. & cum Maluendâ libro 4. de Antichristo cap. 5. ubi ait:

*Omnibus, quæ nobis objiciuntur, strenuè opponimus unicam, & solam Hispanicarum Ecclesiarum Traditionem, quam nihil unquam convellet, aut labefactabit.*

736 Neque ex eo quòd Gordonus eodem loco scripserit: *Apostoli ob Agrippæ persecutionem mox dispergendi in provincias nunc putantur Symbolum composuisse*: inferri potest

quidpiam contra expeditionem traditam. Non enim loquitur de Apoſtolis jam diſperſis, ſed ſolùm de diſpergendis.

737 Præterea dixiſſe Gordonum: *Nunc putantur Symbolum compoſuiſſe*, non eſt aſſerere, eos tunc temporis Symbolum compoſuiſſe. Imò apertè docet Gordonus, ſe longè aliud ſenſiſſe; nam allegat Sanctum Leonem Epiſtolâ 15. & Ruffinum in Præfactiones Symboli. Sanctus autem Leo Epiſtolâ 15. quæ eſt ad Pulcheriam Auguſtam, & reperitur tomo 1. Epiſtolarum Decretalium Summorum Pontificum pag 175. prope Epiſtolæ finem innuit, Sanctum Jacobum fuiſſe unum ex Authoribus Symboli, ait enim:

> *Ipſa Catholici Symboli brevis, & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis &c.*

Si enim illa confeſſio eſt ſignata ſententiis duodecim Apoſtolorum, utique ſignata eſt ſententiâ Sancti Jacobi, niſi etiam velint negare, Sanctum Jacobum fuiſſe unum ex duodecim Apoſtolis.

738 Ruffinus verò loco citato, qui reperitur tomo 4. operum Sancti Hieronymi editionis Frobenianæ pag. 102. c. ait:

> *Tradunt maiores noſtri, poſt Aſcenſionem Domini, cùm per adventum Spiritûs Sancti, ſupra ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſedíſſent, ut loquelis diverſis, variiſque loquerentur, per quod eis nulla gens extranea, nulla linguæ barbaries inacceſſæ videretur, & invia: præceptum eis à Domino datum hoc, ad prædicandum Dei verbum* ad ſingulas quemque proficiſci nationes. *Diſceſſuri itaque ab invicem, normam ſibi* prius futuræ prædicationis *in commune conſtituunt, ne fortè alii, aliò adducti, diverſum aliquid his, qui ad Fidem Chriſti invitabantur, exponerent.* Omnes *igitur in uno poſiti,*

&

*& Spiritu Sancto repleti, brevi istud* futuræ *sibi, ut diximus, prædicationis indicium, in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt.: atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.*

Ruffino subscribit (imò potiùs eum excribit) Sanctus Isidorus Hispalensis libro 2. de Divinis Officiis, cap. 23.

739 Cùm igitur Gordonus insistat vestigiis Sancti Leonis, dicendum est, Gordonum, quidquid alii putarint, sensisse, Sanctum Jacobum ante mortem interfuisse compositioni Symboli, nisi velint dicere, Sanctum Jacobum fuisse à mortuis à Gordono suscitatum, ut illi compositioni interesset.

740 Similiter cùm Gordonus sequatur Ruffinum, quem citat, dicendum est, Gordonum sensisse, Sanctum Jacobum fuisse unum ex Symboli Authoribus, nisi velint negare, ipsum fuisse unum ex omnibus Apostolis, vel priùs fuisse occisum, quàm Spiritus Sanctus descenderet in Apostolos. Quid ergo ex Gordono argui potest contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi? Unde ego etiam dico cum Neoterico Adversario, licèt diverso sensu: *Idem igitur, quod de Tirino dictum, de Gordono dicendum.*

741 De Joanne de Bussieres, disertissimo Gallo, nihil dicendum est præter ea, quæ diximus supra Assertione 23.

742 Venio ad Hispanos, quorum causa præcipuè hæc Assertio scripta est; nam contra Hispanos nihil conficerent illi exteri, etiamsi negarent expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi.

743 Æquè immeritò computandus est Benedictus Pererius inter hostes, multòque minus inter præstantissimos Adversarios sententiæ negantis, cùm non inierit pugnam, neque contenderit; immeritòque numeratur inter dubitantes de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, cùm

cùm ipſe apertiſſimè faſſus ſit, ſe de illâ nihil dubitare; illius verba produco integra ex tomo 2. Selectarum Diſputationum in Sacram Scripturam Diſput. 2. in caput 15. Epiſtolæ ad Romanos, numero 8. ubi ſic habet:

> *De adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam vix ullus antiquorum quidquam prodidit. Itionem verò Pauli in Hiſpaniam plurimi, & antiquitatis, & doctrinæ, & Sanctitatis laude præſtantes memoriæ tradiderunt. Itaque quantùm ad Authores attinet, multò certior, atque indubitabilior eſt Pauli, quàm Jacobi ad Hiſpanias profectio: quamquam EGO optimis rationibus perſuaſus, de Jacobi adventu in Hiſpaniam NIHIL DUBITO.*

Quare ergo adducitur primo loco Pererius, tamquam ductor dubitantium?

744 Immeritò etiam dicitur, quòd *Pererius non parùm officit illi vocatæ Traditioni de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam*; nam non ſolùm non officit, ſed valdè proficit; nam neceſſe eſt, hanc Traditionem fuiſſe unam ex optimis rationibus, quibus Pererius perſuaſus, nihil dubitabat de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, aut valdè ipſam confirmari illis optimis rationibus, quæ Pererium acerrimi judicii virum coegerunt, nihil de eo adventu dubitare.

745 Neque ſententia affirmativa infirmatur defectu Authorum, ut jam diximus cum Macedo; nec mirum eſt latuiſſe Pererium Authores, qui de Adventu Sancti Jacobi ſcripſerunt; cùm latuerint, Dominicum Sotum, Summum Virum, Doctiſſimumque Scriptorem, Authores, qui de adventu Sancti Pauli in Hiſpaniam meminere; quâ de cauſâ eum revincit Pererius.

746 Neque Pererius ait negatum à Sancto Innocentio I. adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, quia Innocentius Sanctum Jacobum non nominat. Cùm verò Pererius

rerius dicit: *Hoc nos de aliis Apostolis non abnuimus, de Paulo negamus*, referri debet ad ea verba Innocentii: *Aut legant si in his provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse.* Nam Pererius hoc non abnuit de aliis Apostolis, imò neque de Sancto Jacobo, de cujus adventu dixerat vix ullum antiquorum quidquam prodidisse. Negat verò, & meritò, de Sancto Paulo, cujus itionem in Hispaniam plurimos memoriæ tradidisse dixerat. Hoc autem non est negare adventum Jacobi in Hispaniam, de quo optimis rationibus persuasus nihil dubitabat, licèt de illo vix ullus antiquorum quidquam prodidisset.

747 Tandem, quidquid dixerit Pererius, nihil causæ nostræ nocet, cùm non fuerit Adversarius, quia non contendit, multòque minus præstantissimus Adversarius, ad quod opus erat præstantissimè contendisse. Neque fuerit hostis sententiæ negantis, cùm contra illam non inierit pugnam, hinc testimonium, quod ab illo fertur, non reddit fidedignum sermonem impugnantis expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi. Idem dico iterum de Lorino, & Bussieres, Gallis, de Tirino Belgâ, & de Gordono Scoto, quos omnes ostendi nihil causæ nostræ officere, quia non sunt Adversarii, multòque minus præstantissimi Adversarii, neque hostes sententiæ negativæ, cùm contra illam non contenderint, neque pugnam inierint. Unde nihil nostra interest, quidquid dixerint.

748 Videamus nunc quo jure numerentur inter dubitantes de adventu Sancti Jacobi, aut inter afferentes ea, ex quibus falsam esse de illius adventu sententiam tum ad rem, tum ad hominem ostendi possit. Joannes Mariana, Ambrosius Morales, & Gaspar Sanctius, qui certè jure merito computandi sunt inter præstantissimos Adversarios, & acerrimos hostes sententiæ negantis adventum Sancti Jacobi in Hispaniam, contra quam contenderunt,

pugnam

pugnam inierunt, & victoriam reportarunt. Incipio ab Ambroſio Morales, tamquam duobus aliis antiquiore.

749 Ambroſius Morales, inter maiorum gentium Scriptores meritò numerandus, quem Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpanâ mirificè laudat, ornatque elogiis, quibus eum cumularunt Cardinalis Baronius, Joſephus Scaliger, Jacobus Auguſtus Thuanus, Abrahamus Ortelius, Petrus Galeſinus, & Ludovicus Nonius; & quem in claſſe Heroum Hiſtoriæ Hiſpanæ primo loco collocat Author libri inſcripti *Reparos Hiſtoricos* (qui anno ſuperiore prodiit Matriti) n. 265. pagina 445. fuit certè unus ex præſtantiſſimis Adverſariis ſententiæ negantis adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, pro quo ſtrenuè decertavit, hancque Apoſtoli expeditionem egregiè defendit ſolutis argumentis, quæ eo tempore adverſus illam opponi cœpere. Nam libro 9. cap. 7. fol. 228. ſcribit, & probat, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, & proponit fundamenta (quæ vocat ſatis debilia) quibus nonnulli voluere oppugnare hanc expeditionem, quæ deinde evertit folio 229. pagina 2. E eodem capite agnoſcit diſcipulos Sancti Jacobi ſeptem, qui ſunt Calocerus, Baſilius, Pius, Chryſogonus, Theodorus, Athanaſius, & Maximus, ex Hiſtoriâ authographâ Pelagii Epiſcopi Ovetenſis. Ibidem dicit à ferè omnibus nominari alios novem Sancti Jacobi diſcipulos, nempe Torquatum, Iſicium, Euphraſium, Cæcilium, Secundum, Indalecium, & Chteſiphontem, quibus addunt Athanaſium, & Theodorum; de Torquato, & ſex primis ſociis loquitur iterum cap. 13. ejuſdem libri, eoſque non agnoſcit diſcipulos Sancti Jacobi. Unde non dubitat Morales, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, neque habuiſſe ſeptem diſcipulos, neque de hoc ſe teſtatur incertum eſſe, ſed dubitat vir prudentiſſimus, an fuerint Sancti Apoſtoli diſci-

discipuli omnes ii, qui discipuli illius fuisse dicuntur. Conjicit septem prius nominatos Calocerum, & reliquos prædicasse in Gallæciâ; Torquatum verò, & reliquos sex missos fuisse ab Apostolis, vel ut prædicarent in reliquâ Hispaniâ, vel quia priores septem jam mortui essent: ita Morales eo capite septimo; capite verò tertiodecimo ejusdem libri fol. 262. pag. 1. dicit, neque Bedam, neque alios Authores asserere Torquatum, & socios fuisse Sancti Jacobi discipulos.

750 Immeritò autem dicit Neotericus Adversarius, quod non credi ab Ambrosio Morales, Episcopos ab Apostolis in Hispaniam missos extitisse ex discipulis Sancti Jacobi: *Nihil aliud est, quàm destruere Apostolatum Hispanicum Sancti Jacobi.* Hoc enim gravissima irrogatur injuria Clarissimo Viro Ambosio Morales, qui cùm sit acer vindex Apostolatûs Hispanici Sancti Jacobi, arguitur tamquam publicæ totius Hispaniæ causæ prævaricator. Non enim est idem dicere, quosdam non fuisse discipulos Sancti Jacobi, ac asserere, Sanctum Jacobum non fuisse Magistrum Hispaniæ.

751 Potest stare expeditio Hispanica Sancti Pauli, etiamsi ignorentur discipuli, quos in Hispaniâ docuit Doctor Gentium; & non poterit asseri expeditio Hispanica Sancti Jacobi, quin certò asseratur quotnam discipulos habuerit, & quibus nominibus isti vocati fuerint? Scimus, Christum Dominum, præter Apostolos, habuisse septuaginta duos Discipulos; circa eorum nomina variè scribunt Authores, dum alius alios nominat, alios numerat: ergo qui negat, se certum esse de nominibus Discipulorum Christi, dicendus est negare, Christum habuisse Discipulos? Minimè gentium. Ita similiter dicendum non est, Ambrosium Morales destruere Apostolatum Hispanicum Sancti Jacobi, licèt dubitet de aliquot discipulis, qui

ipſi tribuuntur, cùm potiùs eum Apoſtolatum adſtruat, ſeptemque ex ejus diſcipulis nominet.

752 Cùm igitur manifeſtum ſit, Ambroſium Morales ſine ullâ dubitatione aſſerere expeditonem Hiſpanicam Sancti Jacobi, nihilque dicere, quod cum ipſâ ſtare non poſſit; etiam manifeſtum eſt, immeritò numerari inter Authores de illâ expeditione dubitantes, ex quorum dictis inferri poſſit, illam eſſe falſam.

753 Quoad Joannem Marianam dico: Aut Neotericus Adverſarius legit ſolam Hiſtoriam Hiſpaniæ, à Marianâ conſcriptam Latinè, & Hiſpanicè editam anno 1592. aut legit etiam ipſius Diſputationem de adventu Sancti Jacobi Apoſtoli Maioris in Hiſpaniam. Si ſolùm legit Hiſtoriam Marianæ, cur iſtum aſſerit computandum inter præſtantiſſimos Adverſarios ſententiæ negantis? Si legit illam Diſputationem, cur accenſet dubitantibus de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi Marianam, illius egregium propugnatorem? Marianam, qui capite *6. illius* Diſputationis diſſolvit argumenta, quæ cap. 5. propoſuerat? Marianam, qui capite 7. producit antiquorum teſtimonia pro Sancti Jacobi in Hiſpaniam adventu? Qui capite 8. pro eodem adventu producit Breviaria Eccleſiaſtica? Qui capite *9.* eundem adventum confirmat teſtimonio Recentium externorum? Qui capite 10. idem præſtat teſtimonio Recentium Hiſpanorum? Qui capite 11. eam expeditionem confirmat teſtimonio Pontificum Romanorum?

754 Verum quidem eſt, quòd Mariana lib. 4. Hiſtoriæ Hiſpaniæ cap. 2. *Unius Iſidori humeris imponit hanc expeditionem*, ut ait Neotericus Adverſarius. Sed humeros habet Sanctus Iſidorus, tanto ponderi pares. Sed etiam ſuos Hercules habuit hic Athlas; nam licèt Mariana in Hiſtoriâ ſolùm alleget Iſidorum, plures enim referre non erat

ejus

Digitized by Google

ejus loci, tamen in Disputatione de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, plures Authores allegat, per quatuor, aut quinque capita.

755 Quanti autem Mariana faceret testimonium Sancti Isidori, exponam ipsius verbis in eâ Disputatione cap. 14. ibi:

> *Ex Isidori testimonio primum* (Fundamentum) *quod nullæ calumniæ labefactent, nullæ evertant machinæ.*

Ergo vel in Historiâ, dum sequutus est Sanctum Isidorum, ostendit Mariana, se firmissimum assensum illi expeditioni præbere, de illâque minimè dubitare.

756 Licèt autem Mariana in Historiâ dixisset, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi affirmari ex populorum *persuasione*, non est id apud Marianam tam nullius roboris fundamentum, atque innuit Neotericus; persuasio enim penes Marianam, significat firmissimam certitudinem; nam in Disputatione citatâ cap. 6. ait:

> *Bene habet, gemini arietes, quibus nostra quatiebant, debilitatos satis putabam, ne nostræ gentis PERSUASIONIS ARCEM evertant.*

Si juxta Marianam persuasio est arx, necesse est firmissimam præstari ab ipsâ certitudinem.

757 Sed demus, Marianam dubitasse de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam in Historiâ, quam edidit anno 1592. Cùm post septendecim annos scripserit illam Disputationem, compertum est, pepulisse eam (si quam habuisset) dubitationem, cùm pro eo adventu validè decertavit, quem etiam ex Divo Paulo expeditione Hispanicâ confirmavit, dicens cap. 6.

> *Si à verbis Innocentii excipis Paulum, ab eâque universitate, cur non liceat tantumdem Jacobo dare?*

Quis autem nescit, Authores allegandos esse pro sententiis, quas posteriùs tenuerunt abjectis prioribus, quibus

incauti adhæſerunt. *Teſtes ſunt omni exceptione maiores* (ait Petrus Annatus in Apparatu ad Theologiam Poſitivam lib. 4. articulo 4. n. 2.) *duo Sancti Auguſtini Retractationum libri, in quibus jam ſenex multa retractat, quæ junior incautè protulit.*

758 Sanctus Hieronymus in libro contra Helvidium, quem ſcripſit juvenis, viſus eſt dubitare de adventu Sancti Pauli in Hiſpaniam, & tamen in libris, quos ſcripſit ſenior, apertè illum adventum affirmat. Quinimò ipſe Sanctus Paulus dixit 1. Corinth. cap. 13. verſ. 11.

*Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

759 Ergo ſententia, quam tenuit Mariana de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, non eſt eruenda ex illius Hiſtoriâ, in quâ non egit præſtantiſſimum Adverſarium negantium illam expeditionem, ſed ex Diſputatione, quam poſt ſeptendecim annos edidit, in quâ acerrimè propugnat eum adventum. Ex quâ Diſputatione nullum poteſt extrahi argumentum contra veram ſententiam affirmantem, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam.

760 Etiamſi Mariana in Hiſtoriâ Latinè editâ anno 1592. non auſus fuiſſet aſſerere ex verâ Traditione fundationem ſacelli Cæſarauguſtani, à Columnâ nuncupati, tamen in Hiſtoriâ Hiſpanicè conſcriptâ lib. 4. cap. 2. ait:

*Junto con eſto ſe abrian en Eſpaña las zanjas, y ſe echavan los cimientos de la Religion Chriſtiana. Porque Jacobo hijo del Zebedeo por ſobrenombre el Mayor, deſpues que predicò en Judea, y en Samaria, como lo teſtifica Iſidoro, vino a Eſpaña.*

761 Deinde proſequitur, loquens de extructione ſacelli Cæſarauguſtani, dicens:

*Publicò la nueva luz del Euangelio, primero en Zaragoça,*

*goça, donde por ſu admoneſtacion ſe edificò un Templo con advocacion de la Virgen Sagrada, que oy ſe dize del Pilar: Aſſi lo tiene commummente aquella gente, como coſa recebida de ſus antepaſſados, y venida de unos a otros de mano en mano.*

Quæ nihil aliud ſignificant, quàm Traditionem à maioribus acceptam, & ex quibuſdam ad alios per manus traductam; licèt hîc non agatur niſi de Traditione Cæſarauguſtanorum, non de ſolo adventu Sancti Jacobi, ſed de ſacello ab ipſo fundato, de quo dubitare quis poteſt, quin dubitet de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, ſicut proximis annis viſum eſt, cùm eruditus quidam Author infeliciter ſcripſit contra fundationem illius ſacelli Cæſarauguſtani, cùm tamen pugnaſſet, & poſtea iterum feliciſſimè pugnaverit pro adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam.

762 Ipſe tamen Mariana in Diſputatione pro adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam ipſum validè confirmat Traditione; ait enim cap. 14. pag. 28.

*Sed age poſtremum noſtræ cauſæ præſidium proferatur; id ex Traditione Eccleſiarum peti debet.*

Et jam capite 3. invehens in impugnatores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, dixerat:

*Quæ ergo tanta libido contradicendi, ut præter alia præſidia, tot Eccleſiarum legendas ſeu TRADITIONES flocci faciant? Sed credo, id Novatores ignoraſſe, admonitos mutaturos libenter.*

763 Ex dictis perſpicuè cernitur, quàm immeritò Neotericus annumeraverit Marianam dubitantibus de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi. Poſtremus Author, qui dicitur à Neoterico ea afferre, ex quibus falſam eſſe ſententiam de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi tum ad hominem; tum ad rem oſtendi poſſit, eſt venerabilis

Pater

Pater Gaſpar Sanctius, qui certè computandus eſt inter præſtantiſſimos ex Adverſariis ſententiæ negantis, contra quam acriter contendit; & contra quam fortiſſimè pugnam iniit, conſcriptis tribus eruditiſſimis tractatibus de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ.

764 Quomodò autem Neotericus Adverſarius velit probare, conſequens fieri, ut juxta Sanctium nihil de poſſibilitate adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, aſſeverando, & conſtanter affirmando dici poſſit, ſed conjectando dumtaxat, ſuſpicando, & divinando, patebit ex ipſius Neoterici verbis, quæ excribo, & ſunt:

> *Denique ipſe Gaſpar Sanctius ſupra citatus tract.* 1. *cap.* 10. *cupiens Apoſtolorum diſceſſum in provincias Gentium factum, ſtatim poſt converſionem Cornelii Centurionis, quærit quoto anno ab Aſcenſione ea converſio facta fuerit?* aitque: Ut in re adeo obſcurâ conjectando potiùs, quàm aſſeverando aliquid dicam, ego quidem ſic exiſtimo &c. *Cùm autem poſſibilitas Jacobæi adventûs in Hiſpaniam maximè ex factâ Cornelii converſione, ſi de tempore hujus converſionis nihil aſſeverando, ſed conjectando tantum dici poteſt, conſequens ſit, ut juxta hunc Authorem nihil de poſſibilitate ejus adventûs aſſeverando, & conſtanter affirmando dici poſſit, ſed conjectando dumtaxat, ſuſpicando, & divinando.*

765 Ut huic argumento ſatisfaciam, defendamque Clariſſimum Jeſuitam, acerrimum expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi propugnatorem à prævaricationis crimine, cujus his verbis à Neoterico arguitur; in auxilium advoco alium Jeſuitam doctrinâ pariter, & pietate inſignem, Chriſtophorum, inquam, Gillium, qui deſignatus eſt ſubſidiarius Hercules Athlanti Theologorum, Magno Suario. Nemoque libentiùs ſuppetias afferet ſocio, quàm Gillius, cui Philippus Alegambe in Bibliothecâ Societa-

Societatis Jeſu, inter alias laudes eam tribuit, quòd *non ferebat coram ſe famam alienam vellicari.* Solvendumque eſt hoc Neoterici argumentum, attentâ Chriſtophori Gillii doctrinâ, qui lib. 1. Commentationum Theologicarum tract. 7. cap. 14. §. 7. agens de modo utendi authoritate Scriptorum, ait:

> *Conſideranda itaque ſemper eſt intentio Authoris, & juxta ipſam verba interpretanda, ad quod maximè conducit verba omnia ingenuè proponere, nihil intercidere, ſequentia, & antecedentia conſiderare.*

Et poſt pauca, quæ quæſtioni noſtræ minimè faciunt, & meritò omittenda hîc ſunt, ideoque illa prudens prætereo, ſubjungit:

> *Hâc etiam in re nonnulli Catholici minus cauti ſunt; ſumunt enim ex Patribus, & Doctoribus ea, quæ ipſorum ſententiæ favere videntur, & omittunt alia, quæ apertè contrariam docent: ingenui hominis eſt veritatem, quæ patrocinio falſitatis non indiget, veris teſtimoniis tueri, & quæ contraria videntur, vel interpretari, vel modeſtè rejicere, nec alienis coloribus veſtire doctrinam, quam alii diligentiùs expendentes, & cum allatis authoritatibus conferentes, nudam poſtea, deformemque reliquunt.*

766 Huic doctrinæ inhærendo, dico in primis: Verba Sancti intelligenda eſſe juxta illius intentionem; cùm autem illius intentio, & ſcopus in tribus illis tractatibus fuerit aſſerere expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, non eſt credendum, excidiſſe Sapientiſſimo, & prudentiſſimo Viro, nec verbum quidem, quod cauſæ ſuæ officeret, & illum ex defenſore redderet prævaricatorem; ſi autem quid obſcurum in illius verbis eſſet, explicandum eſſet juxta intentionem, & ſcopum ejuſdem; unde nunquam ex illius dictis inferri poſſet, ipſum tenuiſſe, nihil aſſeve-

aſſeverari poſſe de poſſibilitate expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, niſi *conjectando dumtaxat, & divinando.*

767 Deinde non tam cupidus fuit Sanctius adſtruendi, Apoſtolorum diſceſſum in provincias Gentium factum fuiſſe ſtatim poſt converſionem Cornelii Centurionis, quin dixerit cap. 4. ejuſdem tractatûs 1. ante Cornelii converſionem licuiſſe cum Gentibus agi doctrinæ gratiâ; & cap. 5. aſſeruerit, multos ante Cornelium è Gentibus converſos fuiſſe; & cap. *6.* n. 4. dixerit propiùs ad veritatem accedere *paulò poſt Spiritûs Sancti deſcenſum exceſſiſſe Apoſtolos è Judæâ, & in ſuam quemquam provinciam abiiſſe*: idque iis confirmavit, de quibus numero *6.* ait:

*Hæc mihi maximæ authoritatis pondus habent.*

& in ipſam ſententiam advocat Sanctum Irenæum, Sanctum Leonem I. Hugonem, & Caietanum, Cardinales; & Maldonatum, & denique Officium Eccleſiaſticum. Cap. 7. ad hanc ſententiam adaptat tempus, quo conditum eſt Symbolum Apoſtolorum, ex Clemente Romano, & Ruffino, & ex Sermone, qui tempore Sanctii referebatur inter Sancti Auguſtini Sermones de tempore, eratque centeſimus octogeſimus primus, tomo decimo Operum Sancti Auguſtini, & poſtea rejectus eſt in Appendicem ejuſdem tomi, eratque numero 52. Tandem à Patribus Congregationis Sancti Mauri, ut abjudicatus Sancto Auguſtino, rejectus eſt in Appendicem tomi *6.* Operum S. Auguſtini, ubi extat à columnâ 757. editionis Antuerpienſis, inſcribiturque *Sermo de Symbolo.* Capite verò 8. pergit Sanctius probare, potuiſſe Apoſtolos prædicare Gentibus ante converſionem Cornelii, clauditque caput illud his verbis:

*Hoc mihi valde veroſimile eſt, potuiſſe à Spiritûs Sancti deſcenſu Euangelium communicari Gentilibus: quod etiam ita exiſtimabat ex noſtrâ Societate Pater Gabriel Vaſquez, Vir & exquiſitæ eruditionis, & acerrimi judicii.*

Tam

Tam parum cupidus fuit Sanctius asserendæ divisionis Apostolorum in provincias non ante conversionem Cornelii ; ut juxta Sanctium possibilitas Jacobæi adventûs in Hispaniam minimè dependeat ex factâ Cornelii conversione, resque aliter se habeat, quàm Neotericus existimavit, vel existimandum credi voluit.

768 Audiamus tamen Sanctium prosequentem, videbimusque clariùs, ex ipso apertè revinci Neotericum; ait igitur:

> *Sed etiam si demus, nullo modo Apostolis licuisse ante reseratam in Cornelio januam agere cum Gentibus, nihilominus existimo, eo tempore conversum esse Cornelium, ut* IMPEDIMENTUM INTERCESSERIT NULLUM, *quominus Jacobus, & obire Hispaniam, atque ibi longam moram facere; ac deinde Hierosolymam redire potuerit.*

769 In hujus confirmationem pergit Sanctius, & cap. 9. cui præfigit hunc titulum: *Non longè ab Ascensione conversus est Cornelius*: in eoque impugnat Baronium asserentem, conversum fuisse Cornelium anno Christi 41. id est à Christi Ascensione anno octavo. Probatque ex gestis Divi Pauli, jam tertio anno ab Ascensione apertam esse Gentibus januam ad Ecclesiam; & conversionem Cornelii fuisse factam ante octavum annum ab Ascensione Domini, colligit ex Sancto Thomâ, cujus verba profert, & addit: *Eadem prope in catenâ citat ex Augustino.*

770 Hæc omnia loca Sancti prælegenda erant, & consideranda, juxta allatam doctrinam Gillii, ut probè intelligeretur locus capitis decimi, circa conjecturam anni, quo conversus est Cornelius; nam quocumque anno ille conversus fuerit, certus erat Sanctius locum dari expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, ut dixerat in fine capitis 8. Sed dicit, solâ conjecturâ sciri posse quoto anno

intra eos, qui non officiunt expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi; ex quo ruit machina argumenti à Neoterico contra Sanctium efformati; dum ex Sanctio (contra doctrinam Gillii) ſumit ea, quæ ſuæ ſententiæ favere videntur, & omittit alia, quæ apertè contrariam docent.

771 Non ſolùm non eruitur ex verbis Sanctii argumentum ad hominem, ſed neque ad rem, quo probetur, falſam eſſe ſententiam de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; nam licèt omninò concedatur, incertum fuiſſe non ſolum annum, ſed etiam tempus illius converſionis, certum eſt, illam factam fuiſſe tempore, quo non impediit profectionem Apoſtolorum poſt duodecim annos, juxta Traditionem Apollonii; ſed Sanctus Jacobus tempus habuit ad prædicandum in Hiſpaniâ, & patiendum Jeroſolymis anno Æræ vulgaris 44. etiam dato, & non conceſſo, ipſum non exiiſſe ex Judæâ ante illos duodecim annos, ut demonſtratum eſt Aſſertione 25. Ergo fruſtra adducitur à Neoterico incertitudo temporis converſionis Cornelii, ad probandam incertitudinem poſſibilitatis illius expeditionis. Hiſque diluta remanent omnia argumenta, quæ contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi eruebantur ex monumentis Hiſpaniæ.

## SECTIO VI.

### *Aſſeritur, ſilentium antiquorum non officere ſententiæ affirmanti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.*

772 CUm Adverſarii oppugnare non potuerint expeditionem Sancti Jacobi ex Scriptoribus antiquis (illi etenim contra ipſam nihil clamarunt, nihil muſſi-

mussitarunt) eam tentant expugnare, antiquioribus tacentibus; ac si eorum silentium illam posset evertere, sicuti incolarum taciturnitas olim evertit Amyclas, juxta illud Silii Italici lib. 8. vers. 529.

*— quasque evertere silentia Amyclæ.*

Hâc de causâ cùm Adversariis non succedant argumenta positiva, arripiunt, & intorquent argumentum negativum, seu ab authoritate negativè, ut communiter dici solet. Cùm non possint arguere ab authoritate negante, arguunt ab authoritate negatâ; sic enim vocat Itterus in Synopsi Philosophiæ Rationalis Sect. 3. Subsect. 3. cap. 2. art. 13. paginâ 309. ejusmodi argumentum, quod alii vocant Abnutivum, seu Infitiativum, seu Infitiale. Allegant igitur Adversarii antiquiorum taciturnitatem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi. Non novum est hoc argumentum in hâc quæstione, sed centum annis antiquius; attamen veluti illud Priami jam senis, telum est imbelle sine ictu, ut de alio argumento adversus hanc ipsam expeditionem dixit Cardinalis Aguirre tom. 1. Conciliorum Hispaniæ Dissert. 9. excursu 8. numero 99. & ideo contemptum fuit à Correctoribus Breviarii Romani sub Clemente VIII. & maximè sub Urbano VIII.

Opponunt igitur nobis silentium Sacræ Scripturæ.
Silentium Conciliorum.
Silentium Martyrologii Romani.
Silentium Authorum Græcorum.
Silentium Authorum Latinorum.

Supponunt enim, vel potiùs asserunt, argumentum à silentio, seu ab authoritate negatâ magnam vim habere in re Historicâ.

773 Dicunt itaque: neque Sacra Scriptura, neque ullum Concilium, neque Martyrologium Romanum, neque Scriptores Græci, neque antiquiores Scriptores La-

tini quidpiam dixere de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi : ergo ille Apoſtolus non prædicavit in Hiſpaniâ, quia (aiunt) argumentum ab authoritate negatâ magni eſt ponderis in re Hiſtoricâ : ergo illa expeditio fuit de novo conficta à Caſtellanis in gratiam nationis ſuæ, ut illi hanc gloriam aſſererent.

774 Cùm hoc argumentum ſex habeat partes, & æquivaleat quinque, vel ſex Enthymematis, dividendum eſt, ut totidem reſponſionibus illi fiat ſatis, quod ſequentibus Aſſertionibus præſtabitur.

## ASSERTIO XXXIX.

### *Expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi non officit ſilentium Sacræ Scripturæ.*

775 ULtrò concedimus, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non reperiri explicitè narratam in Sacrâ Scripturâ, expreſſis nominibus Hiſpaniæ, & Sancti Jacobi. Credimus tamen, reperiri implicitè, ut videre eſt Aſſertione 65. §. 1. & 2. Sed ut reſpondeamus argumento, dicimus : etiamſi neque explicitè, neque implicitè memoraretur in Sacrâ Scripturâ, non ideo dicendum fore, hanc expeditionem fuiſſe confictam, non enim omnia ſcripta ſunt in Sacrâ Scripturâ, neque enim Vetus Teſtamentum habet omnia, quæ conſtat accidiſſe ante tempora Chriſti Domini ; neque Novum Teſtamentum narrat omnia, quæ fecit Chriſtus Dominus, neque omnia, quæ geſſerunt Apoſtoli. Non contineri in Veteri Teſtamento omnia, quæ geſta ſunt tempore Veteris Teſtamenti, conſtat ex Epiſtolâ Catholicâ Sancti Judæ Apoſtoli, verſ. 9. ubi ait :

*Cùm Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur*

*caretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit: imperet tibi Dominus.*

Et tamen in toto Veteri Testamento non extat mentio hujus disputationis Sancti Michaelis, altercantis cum diabolo de Moysi corpore. Neque ideo dici potest, talem disputationem non accidisse, neque Sanctum Judam eam confinxisse. Sed dicendum est, eam Historiam accepisse vel ex libro, qui nunc non extat, vel ex Traditione, ut observat in hunc locum Lorinus, qui meritò reprehendit Theodorum Bezam, Hæreticum malè negantem, ex hoc loco Sancti Judæ colligi authoritatem Traditionum.

776 Scriptores autem Novi Testamenti plura Christi facta omisisse constat, quia quilibet ex Euangelistis præterit aliquot gesta Christi, quæ postea alius Euangelista scripsit; & ut neque singuli omnia, ita neque omnes omnia scripsere, cujus rei luculentissima testimonia scripsit frater Sancti Jacobi, Sanctus Joannes, qui post omnes scripsit Euangelium, nam cap. 20. vers. 30. ait:

*Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.*

& cap. 21. versu ultimo ait:

*Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.*

Unde ergo probabitur, à Christo non fuisse facta, quæ ab Euangelistis prætermissa sunt.

777 Si autem non omnia, quæ gessit Christus, cùm essent actiones theandricæ, hoc est, actiones, seu gesta Dei-Hominis, scripta sunt in Euangeliis, quomodo dici poterit, omnia gesta Apostolorum scripta fuisse à Sancto Lucâ in Actibus Apostolorum? Nostra ne intererat magis sciri gesta Apostolorum, quam gesta Christi? Librum scripsit Sanctus Lucas, quem scripsit *Acta Apostolorum*, quo titulo

titulo videtur innui, in eo contineri omnia Apoſtolorum geſta; & tamen pauciſſima illorum facta narrat, contentus exponere nonnulla Sancti Petri, pluraque (licèt non omnia) Sancti Pauli: ergo dicendum erit, Apoſtolos nil feciſſe præter ea, quæ dicuntur à Sancto Lucâ? Tacet diviſionem Apoſtolorum, illorumque expeditiones in ſuas uniuſcujuſque provincias, tacet illorum prædicationes, illorum paſſiones: ergo dicendum erit, Apoſtolos nunquam fuiſſe ab invicem diviſos? dicetur nunquam in provincias fuiſſe profectos? dicetur nunquam Gentibus prædicaſſe? affirmabitur nuſquam pro Chriſto paſſos fuiſſe? afferetur nunquam, & nuſquam veritati profuſo ſanguine teſtimonium perhibuiſſe? De ſolo Sancto Jacobo Maiori refert à Chriſti hoſtibus fuiſſe interemptum, aliorum martyria tacens: ergo credendum erit, ſolum Sanctum Jacobum mortem pro Chriſto paſſum? Nihil ſcripſit de prædicatione Sancti Jacobi: ergo dicendum eſt, Sanctum Apoſtolum nunquam prædicaſſe? Minimè gentium: ergo ex ſilentio Sancti Lucæ nihil inferri poteſt contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

778 Non ſolùm ſiluit Sanctus Lucas, quæ Sanctus Jacobus ante mortem geſſit, & ferè omnes res geſtas aliorum Apoſtolorum, ſed de ipſis Apoſtolorum Principibus Sanctis Petro, & Paulo, quorum res latiùs deſcripſit, multa ſilentio involvit; quocirca excribere placet inſignem locum Patris Alphonſi Salmeronis, qui quintus fuit in eo Clariſſimo Decemviratu primorum Patrum Societatis Jeſu, & tomo 11. lib. 12. tract. 4. ſcripſit:

> *Sed aliquis objicere poſſet, quî fiat, quòd Lucas polliceatur, ſe Apoſtolorum acta conſcripturum, cùm vix unius, & alterius Apoſtoli, nimirum Petri, & Pauli acta perſcribat: nec illorum quidem integram texat Hiſtoriam, ſed pauca quædam, quia ad mortem ſive Petri, ſive Pauli*

*non*

*non pervenit. Dicendum est, Lucam facta quædam Apostolorum, communia post Christi Ascensionem, quæ tum Ferosolymis, tum in adjacentibus Regionibus præstiterunt, enarrasse. Cùmque Petrus pro suo Pastorali munere in prædicatione, & signis Ecclesiæque gubernatione emineret; propterea coactus est Lucas admiranda quædam enarrare ejus opera, donec tandem pervenit ad mirabilem Pauli vocationem, & ad Apostolatus ejus promotionem; atque ab eo tempore peculiariter Beati Pauli labores, res gestas, atque vitam describere: pervenitque ad quartum usque Neronis annum, quo Romam Paulus vinctus destinatus est.*

*Quod verò ultra in Historiâ Pauli contexendâ non progrediatur, aut Petri, aliorumque res gestas non perscribat: Dei profectò consilium fuit. Aut enim Lucas (qui cum Paulo Romam venit, & comes fuit ejus peregrinationis, & quæcumque propriis oculis conspexit, scripsit) impeditus erat, & aliò ad tempus emissus, etiamsi cum eo esset in secundâ ad Neronem abductione, sicut ipse testatur, cùm ait:* Lucas est mecum solus. *Aut hæc Spiritui Sancto sufficere visa sunt: quemadmodum quæ scripta sunt ab Euangelistis, ad fidem de magnitudine Christi Filii Dei faciendam satis esse, judicata sunt; ita etiam, quæ hîc attigit Lucas, idonea sunt ad declarandam virtutem, & opera Apostolorum: nam illis persimilia extiterunt reliqua omnia. Adde, quòd cùm Historici munus sit ea præsertim, quæ vidit, scriptis prodere (est enim storein idem, quod spectare, & intueri) non ita poterat aliorum Apostolorum gesta, quæ non vidit, sicut illa Pauli, quibus interfuit, commemorare. Voluit etiam Spiritus Sanctus dare locum, quo Historiam Apostolicam à se inchoatam, alii prosequerentur, ut nos non tantum Divinam, sed etiam Ecclesiasticam Historiam, hoc est, à Patribus veteri-*

*veteribus, & Orthodoxis conſcriptam, etiam extra Canonem amplecteremur, & non tantum libris Canonicis, verùm etiam libris Patrum Eccleſiaſticis, ac Traditionibus paſceremur.*

779 Ex quâ Salmeronis doctrinâ manifeſtè perſpicitur, non officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi taciturnitatem Sancti Lucæ, cùm conſtet, ipſum plura alia certiſſima reticuiſſe. Imò efficaciter ſuadetur eadem expeditio ex eâ illius taciturnitatis Sancti Lucæ ratione, quam affert Salmeron, ſcilicet, quia ea, quæ prætermiſſa erant, perſimilia erant narratis: ergo geſta prætermiſſa Sancti Jacobi, erant perſimilia iis, quæ narrata ſunt de Sancto Petro, & de Sancto Paulo; ſed de utroque narratæ erant peregrinationes, & converſiones Gentilium: ergo quæ prætermiſſa ſunt de Sancto Jacobo, fuere peregrinationes, & converſiones Gentilium.

780 Deinde, ſi ideo Sanctus Lucas non ſcripſit geſta aliorum Apoſtolorum, ac proinde, neque geſta Sancti Jacobi, quia ea non vidit, ſignum eſt, ipſos plurima patraſſe extra Judæam, in quâ moratus eſt Sanctus Lucas eo tempore: ergo jam aberant à Judæâ ante paſſionem Sancti Jacobi, cujus tempore adhuc Sanctus Lucas in Judæâ erat: ergo etiam Sanctus Jacobus annis ante mortem aberat à Judæâ, proculque à Sancto Lucâ degebat, ut expreſsè docet rigidiſſimus Criticus Adrianus Baillet in Vitis Sanctorum Gallicè ſcriptis tom. 2. in Vitâ Sancti Jacobi §. 5. ubi ingenuè (adſcripto margini anno Chriſti 36.) ait:

*Aprés la deſcente du ſaint Eſprit lors que les Apôtres ſe ſeparerent pour aller annoncer l' Evangile par toute la terre, Saint Jacques ſortit de la Judee avant Saint Jean ſon frere & Saint Pierre mais nous ne pouvons dire poſitivement ou il alla.*

Et

Et tamen hic Author, ut plerique Galli Recentiores, negat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi leviſſimis argumentis, quæ omnia hoc Opuſculo diluta demonſtrantur. Quo igitur jure convelli poteſt iſta expeditio, ſolidiſſimis nixa fundamentis?

781 Poſtremò obſervat Salmeron, voluiſſe Spiritum Sanctum multa ſileri à Sancto Lucâ, quò nobis daretur locus, ut libris Patrum Eccleſiaſticis, ac *Traditionibus* paſceremur. Ex quo duo noſtræ cauſæ utiliſſima haurimus; unum eſt, ex ſilentio Sancti Lucæ dari locum Traditionibus, alterum aliud eſſe ſcripta Patrum, aliud Traditiones, ut Recentior Adverſarius deſinat poſtulare antiquos Authores ad probationem noſtræ Traditionis de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, qui proinde nullo modo poteſt impugnari ſilentio Sancti Lucæ, qui plura prætermiſit etiam de geſtis Sancti Pauli Apoſtoli, cujus Hiſtoricum præcipuè egit. Ut inde confirmetur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, geſtis Sancti PAULI Apoſtoli.

## ASSERTIO XL.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non poteſt oppugnari ſilentio Conciliorum.*

782 DUplici viâ poteſt reſponderi opponentibus expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi ſilentium Conciliorum; una eſt negando tale ſilentium, producendo Concilia, ex quibus probatur adventus Sancti Jacobi in Hiſpaniam. Altera eſt dicendo, etiam admiſſo Conciliorum ſilentio, nihilominus ſtare inconcuſſam ſententiam affirmantem, Sanctum Jacobum invexiſſe Hiſpaniæ Euangelii lucem.

783 Primâ viâ inceſſit Pater Caracciolus Noſter, aliique, qui expeditionem Hiſpanicam confirmavere ex Concilio primo Bracharenſi; cùm tamen hoc Concilium à nonnullis oppugnetur (licèt non tam validè, atque exiſtimant illius oppugnatores) & fortaſsè ſolùm hâc de cauſâ, quia meminit expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, nolo illius authoritate uti. Eandem iniit viam acerrimus propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi D. Michael Erze Ximenes, qui in eruditiſſimo opere de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, parte primâ, tractatum ſecundum inſumit in oſtendendo, hanc expeditionem probari Conciliis generalibus, ubi producit, præter ſupradictum Concilium Bracharenſe, Concilium Romanum ſub Joanne X. Concilium Baſileenſe (dum erat legitimum) & Concilium Tridentinum. Deinde plura Hiſpaniæ Concilia. Quorum tamen teſtimoniis non utor, quia exacta ad libram criticam (quâ ſemper utendum duco) non reperiuntur eſſe ſummi ponderis, præſertim cùm habeamus teſtimonia antiquiora Concilio Baſileenſi, quod apertiùs noſtræ ſententiæ favet. Eâdem graditur viâ Magnus Macedo, qui in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, pro eo novum argumentum produxit ex Actis Concilii Rhemenſis anno M. XLIX. cujus tamen authoritate non utor, & quia habeo teſtes antiquiores undecimo ſæculo, quo congregatum eſt illud Concilium Rhemenſe, & quia ex illius authoritate non habetur expreſsè, ſed infertur adventus Sancti Jacobi in Hiſpaniam.

784 Secundâ ergo viâ mihi carpendum eſt iter, aſſerendumque, Conciliorum ſilentium (quod ultrò Adverſariis damus) nihil officere ſententiæ affirmanti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

785 Ratio prima hujus eſt, quia ab heroicis Apoſtolorum temporibus plurima extitere in Eccleſiâ Concilia, quorum

Digitized by Google

quorum Acta non extant, neque ulla illorum verba leguntur, & tamen dici non potest, in illis Conciliis Patres nihil esse loquutos: ergo etiam dici non potest, Patres eorum Conciliorum nihil prodidisse de expeditionibus Apóstolorum, quarum memoria Fidelibus altiùs infigeretur, quàm ut posset oblivione deleri, hancque ad posteros fuisse transmissam munere Traditionis.

786 Ratio secunda est, quia Concilia (saltem Apostolis posteriora) non fuerunt instituta ad declarandas provincias, quæ singulis Apostolis obtigere. Non congregata fuere ad res Historicas decernendas, sed ad Hæreticos coercendos, & Catholicos reformandos, ad dogmata statuenda, & ad disciplinam Ecclesiasticam, pro temporum varietate, disponendam. Fidei articulos declarabant, de primis Fidei Plantatoribus non agebant; leges ferebant Episcopis successoribus Apostolorum, non enumerabant loca, quibus prædicaverunt Apostoli, antecessores Episcoporum.

787 Præterea, vel expeditio Apostolica Hispaniæ erat res necessariò declaranda in Conciliis, vel non? Si non erat necessariò declaranda in Conciliis (ut certè non erat) ad quid requiruntur testimonia Conciliorum de re non necessariò declarandâ? Si autem erat necessariò declaranda, proferant Adversarii loca Conciliorum, quibus ostendatur cujusnam Apostoli fuerit expeditio Hispanica, & cujus non fuerit; vel fateantur, Concilia siluisse res necessariò dicendas, quod certè Catholici non dicent, saltem de Conciliis generalibus.

788 Etiamsi expeditio Hispanica Sancti Jacobi fuisset res ad Fidem pertinens, non potest ex silentio Conciliorùm contra ipsam quidpiam deduci, sed potiùs pro ipsâ; quia Concilia in rebus Fidei ea potissimè decernebant dogmata, quæ tempore uniuscujusque Concilii ab

Hæreticis oppugnabantur, ut conſtat ex omnibus Conciliis. Ex eo autem, quòd in nullo Concilio fiat mentio expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ſignum eſt, illam nunquam fuiſſe oppugnatam, ſi ad Fidem pertineret. Vel non pertinere ad Fidem (ut certè non pertinet) ac proinde concluditur non neceſſariò fuiſſe de illâ in Conciliis agendum: unde Conciliorum ſilentium nihil officere poteſt hujuſmodi expeditioni.

789 Confirmatur primò noſtra reſponſio. Certum eſt non tam teſtimoniis Sancti Gregorii VII. Sancti Adonis Viennenſis, & Venerabilis Bedæ, quàm ex Traditione Eccleſiarum Hiſpaniæ, de quâ teſtatur Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ſub die 15. Maii, ſeptem Epiſcopos à Sanctis Apoſtolis miſſos prædicaſſe in Hiſpaniâ; & tamen hoc ſiluerunt omnia Concilia, neque hoc ſilentium officit prædicationi ſeptem Epiſcoporum; quare ergo Conciliorum ſilentium officiet prædicationi Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, de quâ teſtatur Traditio omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ, imò totius Orbis Chriſtiani, ut videbimus infra Parte 3. Sectione 3. Aſſertione 55. & octo ſequentibus.

790 Confirmatur ſecundò eadem reſponſio ex Sancto Paulo. Certum eſt apud nos, & pleroſque ex Adverſariis, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ; & tamen omnia Concilia ſiluerunt ejuſmodi prædicationem. Quidni ſiluerint prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpaniâ? Si autem hoc ſilentium non officit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Pauli, quare officiet expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi? Etſi ſilentio Conciliorum non poteſt oppugnari expeditio Hiſpanica Sancti Pauli, non poteſt ſimili Conciliorum ſilentio oppugnari expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, quam aſſerimus, & meritò ex Sancto Paulo Apoſtolo confirmatam dicimus.

ASSER-

Digitized by Google

# ASSERTIO XLI.

## *Expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi non officit silentium Martyrologii Romani.*

791 UT nihil officit expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi taciturnitas Sacræ Scripturæ, neque Conciliorum, ita nihil illi officit silentium Martyrologii Romani; imò facilior est solutio argumenti deducti à Martyrologii silentio; licèt Natalis Alexander tanti faciat hoc argumentum, ut in secundâ editione Historiæ Ecclesiasticæ tom. 1. Dissertatione 15. in fine Scholii secundi, quo conqueritur de Censoribus Romanis (qui jussu Sanctissimi Pontificis Innocentii XI. illius librorum examen instituerunt) quòd in illius operibus notaverint hanc propositionem: *Sanctus Jacobus nusquam in Hispanias profectus est*; non veritus sit scribere:

> *Ipsum Martyrologii Romani silentium mihi eloquentius visum est contra expeditionem Euangelicam Sancti Jacobi in Hispaniam, quàm Baronii commentatio.*

792 Facilior, inquam, hujus argumenti est solutio, quia licèt Martyrologii Romani tanta sit authoritas, ut dixerit Ildephonsus de Flores, Societatis Jesu, in egregio volumine de inclyto Agone Martyrii lib. 6. cap. 19. num. 717. paginâ 615.

> *Illud in primis omnium consensione firmatum esse constat, Romanum Martyrologium, ut nunc extat, omni alio amoto, summæ esse authoritatis (ut Gregorius tertius decimus statuit) cùm communiter ab Ecclesiâ usurpetur, & recipiatur, atque ab eo ipsâ Ecclesiæ authoritate, quæ homini Catholico summa est, perfundatur.*

Tamen non est maioris authoritatis, quàm sint Acta Apostolorum,

tolorum, à Sancto Lucâ, dictante Spiritu Sancto, conſcripta; imò eſt minoris; cùm autem non officiat expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi ſilentium Sancti Lucæ, quomodo illi officere poteſt ſilentium Martyrologii Romani?

793 Deinde, ſi taciturnitas Martyrologii Romani officeret Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, tota rueret hæc nobilior Hiſtoriæ pars. Quota enim pars Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ relata eſt in Martyrologium Romanum? Innumera Sanctorum hominum geſta, imò & nomina, in Romano Martyrologio reticentur; adeo ut Philippus Ferrarius, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, ediderit volumen in quarto, conſtans paginis 492. quod inſcribitur: *Catalogus Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt*: editum eſt hoc opus Venetiis anno 1625. ergo omnia à Romano Martyrologio prætermiſſa neganda erunt? Ergo ſupervacaneam operam poſuiſſe judicandi ſunt, qui in Vitis Sanctorum ſcripſere, quæ in Romano Martyrologio prætermittuntur? Ergo omnia, quæ in lectionibus Sanctorum narrantur, ultra ea, quæ in Martyrologio leguntur, falſa, & mendacia dicenda ſunt?

794 Quomodo officere poteſt expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi ſilentium Martyrologii Romani, quin officiat mille expeditionibus Sancti Pauli, de quibus æquè ſilet? nam ad diem 29. Julii, ait:

> *Romæ natalis Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui eodem anno, eodemque die paſſi ſunt ſub Nerone Imperatore: quorum prior in eâdem Urbe capite ad terram verſo, cruci affixus, & in Vaticano juxta viam Triumphalem ſepultus, totius Orbis veneratione celebratur; alter verò gladio animadverſus, & viâ Oſtienſi ſepultus, pari honore habetur.*

Satis habuit Martyrologium Romanum referre Sanctum Paulum

Paulum gladio animadversum, tacitis reliquis ipsius pulcherrimis facinoribus, quin hoc silentium illis officeret; & officiet simile silentium expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, quem dicit ab Herode Agrippâ decollatum?

795 Si de Sancto Jacobo sola credenda sunt, quæ refert Martyrologium, negetur unquam, vel usquam prædicavisse; nam de illius prædicatione altum est silentium in Martyrologio.

796 Si autem hujus silentii causam inquisieris, aliam invenire non poteris, quàm propositum fuisse Martyrologii Authoribus adnotare nomen, & dignitatem, seu conditionem personæ, diem præcipuè, & locum mortis Sanctorum Martyrum, genus mortis, & quandoque Tyrannum, sub quo passi sunt; & cùm dies mortis ignoratur, adnotare diem, quo illius memoria recolitur; & cùm omnia hæc præstiterit, ut potuit Martyrologium Romanum circa Sanctum Jacobum, nihil aliud est in eo desiderandum: ut hoc probem, illius verba apponenda sunt:

Octavo Kalendas Augusti.

*Sancti Jacobi Apostoli, fratris Beati Joannis Euangelistæ, qui propè festum Paschæ ab Herode Agrippâ decollatus est. Ejus sacra ossa ab Jerosolymis ad Hispanias hoc die translata, & in ultimis earum finibus apud Gallæciam recondita, celeberrimâ illarum gentium veneratione, & frequenti Christianorum concursu, religionis, & voti causâ illuc adeuntium, piè coluntur.*

Quo elogio Martyrologium complectitur omnia necessariò dicenda. Nam per verba *Sancti Jacobi Apostoli*, expressit nomen, & dignitatem personæ; per verba *fratris Joannis Euangelistæ*, eum distinxit ab alio Sancto Jacobo, qui dicitur Minor, & frater Domini; per verba *propè festum Paschæ*, innuit ignorari certum diem, quo passus est Beatus

tus Apoſtolus ; per verba ab *Herode Agrippâ*, declaravit Tyrannum, qui eum martyrio affecit ; per verba *decollatus eſt*, ſignificavit genus mortis. Quia incertus eſt locus martyrii Sancti Jacobi, ideo locum non appoſuit ; ut autem redderet rationem, cur illi diei octavo Kalendas Auguſti affixum fuit feſtum Sancti Jacobi, ignorato die illius mortis, additur : *Ejus ſacra oſſa ab Feroſolymis ad Hiſpanias hoc die translata, & in ultimis earum finibus apud Gallæciam recondita*, & ut ſuppleret defectum loci, quo paſſus eſt, appoſuit loca unde, & quo facta fuit translatio. Denique addidit gloriam, & honorem poſthumum, dicens : *Celeberrimâ earum gentium veneratione, ac frequenti Chriſtianorum concurſu religionis, & voti cauſâ illuc adeuntium, piè coluntur.*

797 Quibus omnibus cernitur mira proportio inter elogium Sancti Jacobi Maioris, & elogium Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſuperiùs adductum, in quibus eadem ferè dicuntur, eadem ferè ſilentur, ut inde pateſiat, ſilentium Martyrologii non officere expeditioni Sancti Jacobi, ſicuti non officit expeditionibus Sanctorum Petri, & Pauli.

798 Hinc etiam intelligitur, quàm immeritò allegetur pro cauſâ ſilentii Martyrologii Romani de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ipſam non inveniri in monumentis Romanis. Nam Martyrologium ſilet plurima geſta Sanctorum Petri, & Pauli, quæ certiſſimè conſtant ex Sacro Textu Actuum Apoſtolorum, & Epiſtolarum Sancti Pauli, & cùm fruſtra allegentur monumenta Romana, quæ multò antequam Martyrologium conderetur, interierant impio aſtu Diocletiani Imperatoris, ut probavimus numero 514. falſum eſt, quòd ex illis conditum ſit Martyrologium, & temporum continuatione auctum ; & æquè falſum eſt, Martyrologium Romanum eſſe primum

mum fontem, ac puriſſimum, ex quo in alias Eccleſias præſertim Latinas derivatæ ſunt memoriæ Sanctorum Martyrum, & non è contra. Nam multò plura legit Eccleſia de Sanctis Martyribus, quæ non hauſta ſunt ex Martyrologio Romano, ut apertè conſtabit Breviarium Romanum cum Martyrologio conferentibus. Unde malè infertur, quòd, cùm in Martyrologio (quod immeritò dicitur eſſe fontem memoriarum Eccleſiæ) prædicatio Hiſpanica Sancti Jacobi non videatur, dicendum eſſe, eam nuſquam diligentiſſimis Pontificibus Romanis, Epiſcopis, Diaconis, & Notariis in aliquo ſatis fido monumento repertam fuiſſe; nam in ſatis fidis monumentis, utpote Divinis, & Canonicis inventa ſunt plurima geſta Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ tamen à Martyrologio Romano ſunt ſilentio prætermiſſa: ergo expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi nullo modo officere poteſt ſilentium Martyrologii Romani.

## ASSERTIO XLII.

### *Expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi non officit ſilentium Græcorum.*

799 MInus curandum eſt de ſilentio Græcorum, licèt hoc argumento uſus fuerit Tillemont; nam in primis non extant nunc omnes Authores Græci, qui extabant tempore Sancti Iſidori, neque tempore Venerabilis Bedæ, imò neque tempore Photii, qui fuit utroque poſterior, utpote qui extruſus fuit è Sede Patriarchali Conſtantinopolitanâ ab Imperatore Leone Philoſopho, exeunte nono ſæculo, hoc eſt anno 886. nam ex Photii Bibliothecâ conſtat, ab ipſo multos lectos fuiſſe libros, quorum hodie nihil extat, præter reliquias in illâ

arcâ conſervatas à diluvio Barbarorum, quo plurima Græcorum monumenta ſubmerſa penitùs interiere.

800 Deinde ad Scriptores Græcos non ſpectabant res Hiſpaniæ, unde etiamſi omnes extarent, mirum non eſſet, ab illis prætermiſſam fuiſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; ſi autem quidam meminerunt expeditionis Hiſpanicæ Sancti Pauli, id ex eo evenit, quòd ipſe capite 15. Epiſtolæ ad Romanos ſignificat, ſe velle in Hiſpaniam proficiſci.

801 Neque obſtat, quòd Recentior Adverſarius dicat, non ideo aliquot Authores aſſeruiſſe, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, quia ipſe in Epiſtolâ ad Romanos dixerat, ſe in Hiſpaniam profecturum; & neget hanc cauſam Adverſarius, quia quòd de facto profectus fuerit, & in Hiſpaniam venerit, non conſtat ex eâ, aut aliâ Epiſtolâ.

802 Non, inquam, id obſtat, quia licèt verum ſit, quòd neque ex Epiſtolâ ad Romanos, neque ex aliâ conſtat, Sanctum Paulum profectum fuiſſe in Hiſpaniam, nihilominus Sanctus Gregorius VII. ex memoriæ lapſu, vel aliâ de cauſâ ſcripſit lib. 1. Regeſti Epiſtolâ 64. ad Alphonſum, & Sancium Hiſpaniarum Reges:

> *Cùm Beatus Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet.*

Unde ſicut deceptus eſt Sanctus Gregorius VII. decipi potuere alii, imò ex ſolâ promiſſione Divi Pauli, docet Abulenſis, credendum eſſe, ipſum veniſſe in Hiſpaniam; illius locum profero ex Commentariis in cap. 33. Geneſ. ubi ait:

> *Locus enim ab authoritate negativè, nec eſt verus, nec veriſimilis, quid enim valet, non legitur, quòd venit Beatus Paulus in Hiſpaniam: ergo non venit: magis enim valet argumentum contrariâ parte, Beatus Paulus promiſit*

*misit se venturum in Hispaniam: ergo credendum est, quòd venerit.*

Ergo quis prohibet dici, Authores, qui scripserunt, Sanctum Paulum venisse in Hispaniam, ad id motos fuisse illius promissione extante in Epistolâ ad Romanos.

803 Cùm autem Sanctus Jacobus nulli scripserit similem promissionem veniendi in Hispaniam, nulli Authori Græco præbuit ansam ad scribendam illius expeditionem Hispanicam.

804 Neque argutare quis poterit: si ideo credenda est prædicatio Sancti Pauli in Hispaniâ, quia ipse promisit, se in Hispaniam venturum: ergo ideo credenda non est prædicatio Sancti Jacobi in Hispaniâ, quia ipse non promisit, se venturum in Hispaniam; non, inquam, ita argutare quis poterit; nam Sanctus Jacobus poterat venire in Hispaniam, quin illud promisisset; sicuti Sanctus Paulus ad plures populos accessit, quin promiserit, se ad illos iturum, sed ad eos perrexit, quia factus est Apostolus, ut portaret nomen Christi coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel, ut legimus Act. 9. 15. & similiter Sanctus Jacobus venit ad Hispaniam, quia à Domino electus est Apostolus, & erat unus ex illis undecim, quibus Dominus dicit: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, ut legimus Matth. 28. 19. erat unus ex illis undecim, quibus Christus dixit: *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & usque ad ultimum terræ*, ut legimus Act. 1. 8. & non est credendum, Sanctum Jacobum neglexisse præceptum Domini prædicandi Gentibus; neque probatur tam certò de alio ex illis undecim Apostolis prædicasse usque ad ultimum terræ, quàm de Sancto Jacobo Maiore; id testante constantissimâ totius Hispaniæ Traditione, quam ignorasse Authores Græcos non est mirandum,

ſicuti in Hiſpaniâ ignorantur Traditiones Græcarum gentium.

805 Accedit, quòd etiam Authores Græci favent expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, unde falsò ſupponit Tillemont eorum ſilentium. Græcus Author eſt Euſebius, qui in Martyrologio aſſerit, S. Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ. Græcus Author eſt Sophronius, ſeu quicumque alius ſub ejus nomine, qui ſcripſit ea, quæ à Recentiore Adverſario tribuuntur Sancto Hieronymo, nempe:

> *Jacobus Zebedæi filius duodecim Tribubus, quæ erant in diſperſione, prædicavit Euangelium.*

Quod facere non poterat, niſi etiam prædicaret Judæis, qui certè erant in Hiſpaniâ, ut probavimus ſupra à numero 391. Græcus Author eſt Nicetas, qui aſſerit, Sanctum Jacobum prædicaſſe Gentibus; nam Oratione tertiâ in laudem Sancti Jacobi, quæ extat tomo 27. Bibliothecæ Patrum editionis Aniſſonianæ paginâ 391. eundem Sanctum Apoſtolum celebrat hoc elogio:

> *Magnum Dei Verbi tonitruum, ſublimi, magnoque fragore Jeſu Reſurrectionem Judæorum mentibus inſonans, atque eorum frangens duritiam: hactenuſque deſertam concutiens GENTIUM ECCLESIAM, eique ſenſim verbi Euangelici ſenſum ingerens, atque improbæ Synagogæ repudio probam, gratamque ſponſam Chriſto adhibens.*

806 Textum Græcum Nicetæ non vidi, ſed premo translationis verba; noto illud: *Hactenus deſertam concutiens Gentium Eccleſiam*, quod non poteſt intelligi de Gentilibus in regione Judæorum ex occaſione commorantibus, hi enim non erant deſerti, cùm etiam ipſis prædicaretur Chriſtus ab aliis Apoſtolis, ſed intelligendum eſt de Gentilibus commorantibus extra Judæam, ad quos non dum venerat alius Apoſtolus.

Præte-

Digitized by Google

807 Præterea premo illud *sensim*, quod significat, Sanctum Jacobum non prædicasse Gentilibus *cursim*; nam *sensim*, & *cursim* sunt contraria, juxta illud Ciceronis Philippicâ 2. *Vide autem inter te, & avum tuum, quid interfit, ille* sensim *dicebat, quod causæ prodesset: tu* cursim *dicis aliena.*

808 Deinde observo illud *Synagogæ repudio*, quo innuitur, prædicasse Sanctum Jacobum Gentilibus, postquam à Judæis Apostolorum fuerat repulsa prædicatio; & hanc fuisse repulsam, vivente Sancto Jacobo, ut etiam nos diximus numero 458.

809 Ex eo autem, quòd, teste Nicetâ, Sanctus Jacobus prædicaverit Ecclesiæ Gentium desertæ, quod huic prædicaverit *sensim*, & non *cursim*, quod ex Gentibus exhibuerit *probam, gratamque sponsam Christo*, bene colligitur, ipsum aliquot annos commoratum fuisse extra Judæam, ut scripsit Baillet à nobis citatus numero 197. bene infertur, magnum collegisse fructum, ut diximus numero 83. & 372. Si autem Sanctus Jacobus non solùm potuit prædicare, sed etiam prædicavit Gentilibus, nihil obstat illius expeditioni Hispanicæ, tolliturque una ex difficultatibus, quæ illi Romæ opponebantur tempore Clementis VIII. Pontificis Maximi. Unde dicendum est, etiam Nicetam, (qui utique est Author Græcus) favere illi expeditioni.

## ASSERTIO. XLIII.

### *Non officit expeditioni Hispanicæ S. Jacobi silentium Authorum Latinorum.*

810 AEquè debile est, atque præcedens argumentum, quod deducitur ex silentio Authorum Latinorum, ac proinde ipsi respondetur eodem modo,

modo, quo proximè reſpondimus ad ſilentium Græcorum; nam pauciſſimi ſunt Authores Latini, qui de Sancto Jacobo quidpiam olim ſcripſerint, præter illa, quibus occaſionem præbuere verba Sacræ Scripturæ, quam exponebant, vel ad quam alludebant; cùm autem in Sacrâ Scripturâ non legatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, mirum non eſt, præteriiſſe illos hunc Divi Jacobi adventum, quem ſiluit Sacra Scriptura. At ſicuti expeditioni Sancti Jacobi non officit ſilentium Sacræ Scripturæ, ut ſupra probavimus Aſſertione 39. ita non officit ſilentium eorum, qui illam interpretati ſunt. Quoad Authores Sermonum, pauciſſimi reperiuntur ex antiquis, qui Sermones in laudem Sancti Jacobi ediderint, adeo ut Doctiſſimus Pater Franciſcus Combefis, Ordinis Prædicatorum, qui in præclariſſimo opere inſcripto *Bibliotheca Patrum Concionatoria*, octo magnis voluminibus, in quo digeſſit per ſolemnia totius anni quotquot Patrum Homilias ſummâ diligentiâ invenire potuit, perveniens ad feſtum Divi Jacobi., nihil invenit apponendum, præter unam orationem Nicetæ Paphlagonis, Authoris Græci, & quatuor Beati Callixti II. & fragmentum unum ex Sancto Ambroſio deſumptum ex Decreto Gratiani 23.quæſt. 4. capit. *Quod Chriſtus.* Ex his Sanctus Ambroſius, nec nomen quidem Sancti Jacobi affert; Nicetas dicit, hunc Sanctum Apoſtolum prædicaſſe Gentibus Euangelium, ut ſupra adnotavimus; Beatus verò Callixtus multus eſt in aſſerendâ expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.

811 Quoad Hiſtoricos reſpondendum eſt cum eximio Patre Franciſco Suares tom. 1. de Religione lib. 2. de Diebus feſtis cap. 6. à numero 13. ubi ait:

> *In eâ prædicatione Sancti Jacobi nihil accidit adeo publicum, & prodigioſum, ut in univerſum Orbem illius fama exierit, quo poſſent excitari Hiſtorici ad id memoriæ prodendum.*

*dendum. In illis temporibus non fuerunt in Hiſpaniâ diligentes Scriptores rerum, quæ in eâ gerebantur, externi autem non poterant facilè illarum notitiam habere, niſi fortaſsè earum, quæ ad publica bella, & Reipublicæ ſtatum, & dominium pertinebant; nam aliarum rerum pertinentium ad Religionem, parvam, aut nullam curam habebant. Unde cùm in illâ ætate non fuerint Scriptores Eccleſiaſtici, qui de rebus Hiſpaniæ mentionem fecerint, niſi tenuem, mirum non eſt, quòd in Hiſtoriis antiquis nihil de hâc profectione Sancti Jacobi in Hiſpaniam reperiatur.*

812 Contra Magnum Suarium inſurgit Neotericus Adverſarius, aſſerens, falſum eſſe, ſi Sanctus Jacobus prædicavit in Hiſpaniâ, nihil in eâ prædicatione accidiſſe adeo publicum, & prodigioſum, ut ſaltem in Galliam conterminam, in Italiam, & proximam Græciam non exierit illius fama; ſiquidem Sanctus Jacobus mortuos ſuſcitaſſet, cæcis viſum reſtituiſſet &c. idque publicè ad infidelium converſionem, ut Dominus omnibus Apoſtolis conceſſerat. Sed hæc dicenti reponendum eſt illud Virgiliani Dametæ:

*Parcius iſta viris tamen objicienda memento.*

& illud:

*— ſolem quis dicere falſum*
*Audeat? —*

Ego certè potiùs faterer, me deceptum eſſe, quàm ſuſpicarer, Suarium, ſummum Virum, Scholarum Solem, quid falſum dixiſſe. Sed pro reſponſione lubet ſiſcitari, quænam miracula, quænam ſigna publica, & prodigioſa narrant antiqui, edita à Sancto Paulo in Hiſpaniâ? Quoſnam mortuos ſuſcitaſſe dicunt? Quotnam cæcis viſum reſtituiſſe &c. & tamen aſſeritur, Divum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ: ergo negari non poteſt, Sanctum Jacobum prædi-

prædicaſſe in Hiſpaniâ, ex eo quòd ignorentur miracula, quæ patravit in Hiſpaniâ.

813 Neque magis neceſſe erat exiiſſe in Galliam Hiſpaniæ conterminam, famam prædicationis, & miraculorum Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, quàm neceſſe erat exiiſſe in Hiſpaniam miracula, quæ Sanctus Paulus patravit in Galliâ; in Hiſpaniam autem nulla exivit fama miraculorum, quæ Sanctus Paulus edidit in Galliâ, & tamen prædicavit in Galliâ; ſimiliterque non pervenit in Galliam fama miraculorum, quæ Sanctus Paulus edidit in Hiſpaniâ, & tamen Sanctus Paulus prædicavit in hâc provinciâ: ergo nullum eſt argumentum ad negandam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, famam miraculorum ejuſdem Galliam non pervaſiſſe.

814 Quod dicimus de Galliâ, potiori jure dicendum eſt de Italiâ; & quæro, quænam miracula Sancti Pauli ab antiquis narrentur facta in Italiâ? Unde probabitur, illorum famam eo tempore perveniſſe in Hiſpaniam. Unde probabitur, tunc perveniſſe in Galliam Italiæ conterminam?

815 De Græciâ nihil eſt quod dicamus, niſi multò difficiliùs, ad ipſam pervenire potuiſſe famam miraculorum Sancti Jacobi, propter linguarum diverſitatem. Deinde, quænam fama pervenit in Hiſpaniam miraculorum, quibus in Græciâ confirmavit prædicationem Euangelicam Sanctus Paulus? Neque enim aſſignari poteſt potior ratio, ut fama rerum in Hiſpaniâ geſtarum in Græciam penetret, quàm ut fama earum, quæ in Græciâ acta ſunt, in Hiſpaniam perveniat.

816 Denique ſupponit, & jure meritò, Neotericus Adverſarius, famam geſtorum in Hiſpaniâ, per Galliam tranſituram fore in Italiam, & Græciam; ſed Gallia eo tempore adeo Eccleſiaſticarum rerum negligens erat, ut quinto

quinto sæculo Severus Sulpitius scripserit libro 2. Historiæ Sacræ:

> *Sub Aurelio deinde Antonini filio, persecutio quinta agitata. Ac tum primùm, intra Gallias, martyria visa, seriùs trans Alpes, Dei Religione susceptâ.*

Quæ meritò falsitatis accusat ex Carolo Sigonio, & Claudio Salmasio Georgius Hornius, eumque optimè confutat Natalis Alexander Dissertatione 16. in Historiam sæculi primi, propositione secundâ à paginâ 168.

817 Eodem sæculo, quo Severus Sulpitius, scripsit Sanctus Gregorius Turonensis nonnulla de Religione Christianâ, seriùs in Gallias introductâ, quæ eodem vitio laborant, atque ea, quæ scripsit Severus Sulpitius. Sanctus autem Gregorius Turonensis etiam falsitatis convincitur ab eodem Natali Alexandro in eâdem Dissertatione à paginâ 169. ex quo eruo Gallorum indiligentiam, vel in scribendis, vel in asservandis Ecclesiasticis monumentis, quia jam illo sæculo non extabant, ut animadvertit eodem loco idem Natalis Alexander; quomodo ergo nostra scirent, qui sua ignorabant? Si autem Galli & sua, & nostra ignorabant, quomodo nostra, nempe res gestas à Sancto Jacobo in Hispaniâ, ad Italos transmitterent, ut hi ea in Græciam transferrent? Præsertim cùm ante inventam artem Typographicam, (quæ initium in Europâ habuit sæculo quinto decimo) non tam proclivè esset rerum gestarum famam per Orbem extendi.

818 Deinde, quis prohibet asserere, famam quidem miraculorum, quæ edebant Apostoli, pervagatam fuisse totum Orbem, ignorato nomine cujusque Apostoli, locorumque propter illa stupentium; legimus etiam, horum famam pervenisse Romam, quin ibi expressa reperiantur nomina miracula facientium, ut videre est apud

Sancti Auguſtini diſcipulum Luſitanum noſtrum Paulum Oroſium lib. 7. cap. 4. ibi:

> *Poſt paſſus eſt Dominus Chriſtus, atque à mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad prædicandum dimiſit, Pilatus Præſes Paleſtinæ provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, conſequentibuſque virtutibus, quæ vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per Diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant, & de eo, quòd certatim, creſcente plurimorum Fide, Deus crederetur.*

Unde bene poterat diffundi per totum Orbem fama miraculorum Sancti Jacobi, ut unius ex Diſcipulis Chriſti, quin illius noſceretur nomen; & cùm Diſcipuli Chriſti diſperſi eſſent per provincias totius Orbis, in totoque Orbe miracula antea inaudita patrarent, opus non erat, ut potiùs nominaretur una provincia, quàm alia, cùm in omnibus ſimilia acciderent. Et ſicuti prius dicente Sancto Lucâ Act. 2. *Multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Jeruſalem fiebant, & metus erat magnus in univerſis*, quin nomina exprimerentur ſingulorum Apoſtolorum, ita poſtea evenit in toto Orbe.

819 Quod ſi apud antiquos Authores Fideles hæc notitia miraculorum non invenitur, id provenit, quia, ut jam diximus à numero 514. antiqua Eccleſiæ monumenta interierunt in perſecutione Gentilium; quod autem non extet apud Authores infideles eorum temporum, quorum opera ad nos pervenere, id provenit ex malitiâ infidelium, qui rerum Eccleſiaſticarum Hiſtorias corruperunt, ut videre eſt in Cornelio Tacito, & Juſtino, Gentilibus, & in Flavio Joſepho, Judæo; nam Tacitus lib. 15. Annalium cap. 14. conviciis onerat Sanctos Martyres, quos Neroniana perſecutio atrociſſimis tormentis interfecit. Suetonius in Claudio cap. 25. vel ipſum Sanctiſſimum

ctissimum Christi nomen corrupit, in Chrestum illud transformans, Christianisque Judæorum nomen indidit. In Nerone verò cap. 16. Christianos vocat:

> *Genus hominum superstitionis novæ, & maleficæ.*

Justinus autem lib. 36. cap. 2. & 3. Veteris Testamenti Historiam mille fabulis conspurcavit. Josephus denique plurima falsa suæ Historiæ immiscuit, adeo, ut Cardinalis Baronius ad annum Christi 34. n. 227. de eo scripserit:

> *Cùm multa ab eo aliter, quàm ab Euangelistis esse scripta, legantur, cùmque etiam à se ipso interdum discrepasse reperiatur, vel aliis certioribus testimoniis erroris arguatur, plus æquo illi à me tribui veritas, quam profiteor, minimè patitur.*

Illiusque errores Baronius sæpissimè arguit tomo 1. Annalium Ecclesiasticorum.

820 Cùm tales fuerint priscorum temporum Scriptores à Christianâ Religione alieni, quomodo Apostolorum narrarent miracula, quæ præstigiarum loco habebant, dum Christianos maleficiorum arguerent? Quid ergo evinci potest contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi à talium Authorum silentio?

821 Silentium verò utriusque Idacii non potest meritò objici contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi; nam Idacius Clarus scripsit librum polemicum contra Varimundum Arianum, nullamque habuit occasionem de illâ expeditione loquendi. Multòque minus Idacius Lemicensis, nam falsissimum est, quòd in illius Chronico maximè locum habere debeat hæc prædicatio; quia certissimum est, quòd hæc prædicatio minimè locum habere debeat in illo Chronico, quod incipit ab Imperatore Theodosio, qui cœpit imperii habenas moderari anno octavo supra septuagesimum quarti sæculi, hoc est plus-

quam trecentis & triginta annis, poſt prædicationem Sancti Jacobi, cui proinde locus eſſe non poterat in illo Chronico; unde immeritò arguitur ab illius ſilentio, contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

822 Nihil etiam nobis officit ſilentium Pauli Oroſii, diſcipuli Magni Patris Sancti Auguſtini, qui, magiſtro ſuadente, ſcripſit opus Hiſtoricum in ſeptem libros diſtributum; nam hujus Authoris ſcopus non fuit exponere à quibus Chriſtiana Religio fuerit in toto Orbe prædicata, hinc tacet de expeditionibus Apoſtolorum; etſi Oroſii ſilentium officeret expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, æquè officeret expeditioni Hiſpanicæ, aliiſque Sancti Pauli, quas æquè ſilentio obrutas reliquit. Si verò huic non officit, cur illi officiet?

823 Idem omninò dicendum de ſilentio Roderici Ximenii, Archiepiſcopi Toletani, in ſuâ Hiſtoriâ, cujus taciturnitatem obſervavit Cardinalis Baronius tomo 9. ad annum Chriſti 816. n.49. eaque infeliciter dimotus eſt à ſententiâ, quam tenuerat in Notis ad Martyrologium die 25. Julii, & tomo 1. Annalium ad annum 44. nam æquè ſilet prædicationem Sancti Pauli in Hiſpaniâ, atque expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, idque illis de cauſis, quas expoſui ſupra Aſſertione 35. num.708.

824 Hæc omnia hujus argumenti capita uno gladio, imò unico ictu jugulantur, nempe hâc ſolâ reſponſione eſſe argumentum à ſilentio, ac proinde nihili faciendum, juxta omnium Logicorum fidem.

825 Neque illi patrocinari poſſunt, quæ adducuntur ex tribus venerabilibus Authoribus, Magno Suario, Gaſpare Sanctio, & Cardinale Bellarmino; nam Suarius tomo 4. de Religione tract. 9. lib. 2. capite 5. n. 8. ſolùm rejicit id, quod *nullum habet in antiquitate fundamentum.* Quæ autem Traditione firmantur, maximum habent in antiquitate

quitate fundamentum ; nam priùs est Traditio , quàm scriptura , ut sapienter docuit Tertullianus ; unde Traditio maius habet in antiquitate fundamentum. Sanctius verò prudentissimè dicit tract. 4. de Prædicatione Sancti Pauli in Hispaniâ num. 27. pag. 99. quòd *nec divinare licet* quando *eâ de re nihil proditum est ab antiquis* ; quia nihil proditum esse , non solùm excludit scripturam , sed etiam Traditionem , imò potiùs excludit Traditionem , quàm scripturam, ut observabunt perpendentes vim, propriamque significationem verbi *prodo* ; & de eo tantum nihil proditum est , de quo silet scriptura , & de quo nulla est Traditio. Cardinalis denique Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis , non solùm rejicit Metaphrastem , quia multa addit , quorum nulla est mentio apud veteres Historicos ; audiamus ipsum Bellarminum , de Simeone Metaphraste loquentem , ubi ait :

> *Illud autem est observandum , à Metaphraste scriptas fuisse Historias de vitis Sanctorum , multis additis ex proprio ingenio , non ut res gestæ fuerunt , sed ut geri potuerunt ; addit enim Metaphrastes , multa colloquia , sive dialogos Martyrum cum persecutoribus , aliquas etiam conversiones astantium Paganorum in tanto numero , ut incredibiles videantur , denique miracula plurima , & maxima in eversione Templorum , & Idolorum , & in occisione persecutorum , quorum nulla est mentio apud veteres Historicos.*

826 Exquibus demonstratur , Metaphrastem non ideo tantum fuisse rejectum à Cardinale Bellarmino , quia ea scripsit , quorum nulla est mentio apud veteres Historicos ; sed quia multa addidit ex proprio ingenio ; sed quia scripsit incredibilia , & quia scripsit res , quæ , cum forent maximè publicæ , ut eversiones Templorum , & Idolorum , occisionesque persecutorum , non poterant sileri à Scripto-

Scriptoribus, neque eorum (ſi vera eſſent) poterat deficere mentio apud veteres Scriptores.

827 Unde non eſt dicendum, eſſe principium receptiſſimum apud Suarium, Sanctium, & Bellarminum, de rebus antiquis, ſine teſtibus pariter antiquis, nihil affirmari poſſe. Si nomine teſtium antiquorum intelligantur ſoli Authotes librorum, excluſâ Traditione. Nam Traditio maiorum, etiam eſt teſtimonium antiquum rerum antiquarum; quod maximè ex eo conſtat, quia hi tres Authores, Suarius, Sanctius, & Bellarminus ſunt tres viri robuſtiſſimi, qui Traditiones validiſſimè propugnarunt, ut videre eſt in Patre Suario, in Defenſione Fidei Catholicæ lib. 1. cap. 9. per totum. In Patre Sanctio, qui in Diſputatione de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ tractat. 2. capite 1. pag. 22. ſubſcribit Cardinali Bellarmino. In Cardinale Bellarmino tomo 1. controverſiâ 1.

828 Neque dicas, hos Authores ſolùm loqui de Traditionibus Divinis, Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis, non verò de Hiſtoricis; nam hoc quoad Sanctium falſum eſt; nam loquitur de Traditionibus merè Hiſtoricis, & poſtquam allegavit Cardinalem Bellarminum, ſubjungit:

> *Quod verò ibi de verbo Dei non ſcripto, ſed ex Apoſtolorum ore per poſterorum manus ad nos uſque producto, id eſt, de fide Canonicâ dictum eſt, ſuo etiam modo de Hiſtoriâ non ſcriptâ, ſed conſtanti ſermone ad poſteros deductâ, id eſt, de humanâ fide, cenſeri omninò ſuo modo debet.*

Quoad Suarium verò conſtat ex illius tomo 1. de Religione lib. 2. cap. 9. ea omnia, quæ dicuntur de Traditionibus Sacris, ipſum aptare Traditionibus Hiſtoricis proportione ſervatâ, ita ut unaquæque Traditio mereatur fidem ſibi convenientem; hoc eſt, ut Traditio Divina mereatur fidem Divinam, Traditio verò humana fidem humanam, neque nos maiorem fidem, quàm humanam præ-

ſtandam

ſtandam aſſerimus expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi. De Traditione autem pleniùs agemus infra Parte 3. Sect. 2. & 3. per undecim Aſſertiones.

## ASSERTIO. XLIV.

### *Argumentum à Scriptorum antiquiorum ſilentio in re hiſtoricâ nullius eſt efficaciæ.*

829 JAm olim in Regali Academiâ expoſui, nihili faciendum argumentum ex purè negativis; nunc volo dicti illius rationem reddere, oſtendereque vitium argumenti negativi adverſus Joannem Launoium, qui dum ſe jactaret optimum veritatis vindicem peſſimum egit incertitudinis Architectum, præjaciens ſententiis ſuis, tamquam fundamentum, opuſculum, quod vocat Diſſertationem de authoritate negantis argumenti, editum primò Lutetiæ Pariſiorum anno 1650. & ſecundò ibidem anno 1662. additâ Appendice, in quâ Joannis Baptiſtæ Thiers exercitatio adverſus eandem Diſſertationem expenditur, & caſtigatur.

830 Intolerabilis ſcripturiendi libido Launoium ſeptuaginta voluminum fecit Authorem, ſed cùm nimia illius licentia magis laboraverit in deſtruendo, quàm in ædificando, pluſquam dimidia pars eorum operum tacta eſt Vaticano fulmine, prohibitis Romæ ſex ſupra triginta ex illis voluminibus.

831 Joannem Launoium acuratè depinxit Theophilus Raynaudus tomo 15. in Hercule Commodiano (ſic enim indigitat Joannem Launoium;) ego verò nihil dicam, niſi Launoium fuiſſe quidem hominem multæ eruditionis, nullius tamen fidei, utpote qui ſæpiſſimè, & miſerrimè lapſus eſt, ut viri docti palam fecere, teſte Perraultio

ultio tomo 2. de Viris Illuſtribus, qui in Galliâ vixere ſæculo decimo ſeptimo in Elogio Joannis Launoii.

832 Non licet, (quia noſtri argumenti non eſt) ſingulas Launoii hallucinationes perſequi; unam tantùm, & alteram attingam. Primam prodit hic Author in Præfatione Diſſertationis, continentis judicium de Authore vitæ Sancti Maurilii, Epiſcopi Andegavenſis ex m. ſ. Andegavenſi erutæ, ubi pag. 4. editionis Pariſienſis anno 1663. ait:

> *Si ageretur cum Cardinale Baronio, qui Jacobum Zebedæi filium in Hiſpaniam profectum, & corpus ejus illuc translatum fuiſſe negat.*

Ad cujus dicti falſitatem oſtendendam, non eſt opus adire nonum tomum Annalium Cardinalis Baronii ad annum Chriſti 816. n. 52. & 53. ubi agit de Sancto Jacobo Compoſtellæ ſepulto, ac de illius corporis inventione apud Iriam Flaviam, eamque magno Dei beneficio adſcribit. Sed ſatis eſt legi ipſius Launoii Diſſertationem de *Authoritate negantis argumenti*, quam hîc impugnamus, in illâ enim numero 126. agens de Cardinale Baronio, paginâ 149. tranſcribit verba ejuſdem Cardinalis de corpore Sancti Jacobi, tamquam magno theſauro ſub Hiſpanâ terrâ deliteſcente; quâ etiam paginâ legitur altera Launoii hallucinatio; nam poſt adducta argumenta, quibus Baronius, non ſibi conſtans, oppugnavit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſubjungit:

> *His abnutivis, qui reſtitere in Hiſpaniâ, præter indigniſſimam verborum acerbitatem, aliud nihil objecerunt.*

833 Aut igitur Launoius legit Hiſpanorum Apologias pro adventu Sancti Jacobi, aut non legit? Niſi legit, quomodo ſcit, in illis nihil eſſe præter verborum acerbitatem? Si verò legit, quâ fide ſcripſit, nihil, niſi verborum acerbitatem, objici Baronio in illis Apologiis,

quæ

quæ plenæ ſunt teſtimoniis, & argumentis probantibus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi?

834 Prætereo, inter acerrimos propugnatores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi numerari nonnullos viros morum ſanctimoniâ illuſtres, de quibus nefas eſt vel ſuſpicari, uſos fuiſſe indigniſſimâ verborum acerbitate adverſus Baronium S. R. E. Cardinalem. Nunquid ſuſpicandum eſt, indignè tractatum fuiſſe Baronium à Thomâ de Maluendâ, Dominicano, quem Baronius illius eruditionis famâ allectus, Romam advocandum curavit? à Thomâ de Maluendâ, qui, teſte Nicolâo Antonio in Bibliothecâ Hiſpanicâ *Doctrinæ inſigne meritum Religionis, ac pietatis curâ, & ſtudio cumulavit.* Inſurgeret in Baronium Eccleſiæ Principem, illum verborum acerbitate proſcindendo Thomas de Maluendâ? de quo Pater Alphonſus Fernandes, Placentinus, in Concertatione Prædicatoriâ pag. 429. ait:

> *Reſpondet doctrinæ egregia morum integritas, & vix dici poteſt quo ſpiritu ea inter ſe copulavit, quæ maximè diverſa videntur, inſignem nimirum eruditionem cum mirabili humilitate, ſui per omnia contemptum, cum præclarâ exiſtimatione, quam de illo omnes habebant.*

835 Baronium eruditione, & virtutibus potiùs, quàm purpurâ eminentiſſimum, indignâ verborum acerbitate offendere tentaret ille venerabilium Servorum Dei Triumviratus, nempe Didacus Murillius, Franciſcanus, Franciſcus Suarius, & Gaſpar Sanctius, Jeſuitæ? Certè hallucinatus eſt Launoius, ſi iſtorum quatuor monumenta legit, & nihil vidit Baronio objectum præter indigniſſimam verborum acerbitatem.

836 Per me audiat Launoius vir probus, non eo inficias; neque enim mihi eſt animus illius manes ſollicitare, ipſius tamen opera argumentis inficialibus ſuper-

ſtructa infelicia ſunt, & quia diſplicuere Eccleſiæ Chriſti, quæ ex illis, ſex ſupra triginta volumina damnavit, & quia placuerunt Synagogis Sathanæ, nempe Calvini, Lutherique aſſeclis. De Calvianis fidem facit Theophilus Raynaudus tomo 18. in Hercule Commodiano, quæſito 5. pag. 336. ubi deſcribit Epiſtolam hominis Calviniſtæ Gebennâ miſſam die 20. Septembris anno 1643. qui loquens de Launoio, ait:

> *Eum tametſi ab Eccleſiæ Romanæ Doctoribus, falſitatis, & inſcitiæ vehementer inſimulatum, mirum in modum probarunt noſtri Gebennenſes Miniſtri. Primò enim inſiſtit noſtro ſolemni in Traditiones argumento; quo iis tantum, quæ vel in Sacris Bibliis, vel Patribus priorum ſæculorum extant, nitendum eſſe aſſerimus.*

De Lutheranis Launoio addictis, teſtatur Doctiſſimus Emmanuel de Schelſtrate tomo 2. Antiquitatis Eccleſiaſticæ, Diſſertatione 2. cap. 6. articulo 1. n. 2. pag. 121. columnâ 1. Ex eo autem, quòd Launoii Critice maximè favet Lutheranis, ſcripſit Antonius Reiſerus, Miniſter Hamburgenſis, ediditque Amſtelodami anno 1685. librum in quarto, cui præfixit titulum: *Joannes Launoius Theologus, & Sorboniſta Pariſienſis, teſtis, & confeſſor veritatis Euangelico-Catholicæ in potioribus Fidei capitulis controverſis adverſus Robertum Bellarminum, & alios quoſdam Sedis Romanæ defenſores ..... vindicatus?*

837 Et quomodo Launoius non inureretur Catholicorum Romanorum cenſurâ, qui promeruit illud elogium, quod legitur apud Reverendiſſimum Patrem Ignatium de Laubruſſel, Societatis Jeſu, in nunquam ſatis laudato opere de Abuſu Critices in materiâ Religionis, tomo 1. lib. 1. §. 8. pag. 77. nempe *Launoium ſuâ Critice Cœlo terræque formidabili plures Sanctos dejeciſſe de Cœlo, quàm decem Romani Pontifices Sanctorum Catalogo adſcripſerint.*

Quâ

838 Quâ ratione Joannes Launoius non iniisset Hæreticorum gratiam, qui factus est patronus argumenti negantis, seu inficialis, quod est Hæreticis familiare? Hoc testatur Christophorus Gillius lib. 1. Commentationum Theologicarum tract. 7. cap. 14. pag. 362. ubi de argumento negativo loquens, ait:

> *Fuit autem familiare Hæreticis, quando à Sanctis Patribus, aut Conciliis alicujus erroris convincebantur, confugere ad hoc asylum, nimirum, Patres antiquos non ita dixisse, & ideo se non posse, aut debere credere.*

839 Idem ante Christophorum Gillium, observaverat Nicolaus Harpersfeldius, qui prudens se abdidit nomine Alani Copi, dialogo 1. capite 11. pag. 66. ubi de Hæreticis Magdeburgensibus loquens, ait:

> *Postquam monstra, quæ devincerent, ingeniosè sibi finxerunt; tum magno impetu formidandam illam Herculis clavam per solitam suam dialecticam contorquent, ut illam Socratis, & Sozomeni narrationem confringant.*

Sed Theodoretus, *inquiunt*, non facit hujusmodi applicationem lib. 2. cap. 4. & Ruffinus hæc omnia de Julio silentio præterit. *Quasi verò Ruffini narratio omnia Julii acta, quem vix nominat, complectatur &c.*

840 Ergo argumentum negativum clava Herculea est, sed Herculis Commodiani, ut Launoius dictus est; clava est Hæreticorum, quos nemo negaverit Hercules esse furentes. Certè apud Dialecticos istiusmodi inutilissimum argumentum ironicè est clava Herculea, verè tamen est baculus arundineus, ut ille apud Ezechielem cap. 26. vers. 6. de quo Sanctus Hieronymus ibi: *Baculus arundineus..... & calamus fragilissimus, cui innitentes tassum deprehendere præsidium.* Et uberiùs Cornelius à Lapide ibidem: Baculus, *id est sustentaculum in promissione, sed in solutione* arundineus, *id est infirmus, vacuus, inanis, & fallax.*

Sed ne videar iſta liberè applicuiſſe argumento à ſilentio vetuſtiorum, in re Hiſtoricâ, ad Fidem non pertinente, pergo probare fallaciam argumenti à ſilentio, etiam in re Hiſtoricâ, idque conficiam ab authoritate, à ratione, ab exemplo, ab argumentorum ſolutione, & denique ab inconveniente, ſeu abſurdo.

## §. I.

## *Probatur Aſſertio ab Authoritate.*

841 PRodeat ante omnes Cardinalis Baronius, quem ut Anteſignanum, ſequuntur oppugnatores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi. Hiſtoriæ enim Eccleſiaſticæ Purpuratus Pater, tomo 1. Annalium ad annum Chriſti 47. num. 3. loquens de argumento à ſilentio, ait:

> *Adeo ut inanis prorſus reddatur illa argumentatio ſuâ naturâ alioqui invalida: Lucas non ſcripſit: igitur non ſunt facta.*

Hancque ſententiam de imbecilitate argumenti à ſilentio confirmat authoritate Sancti Hieronymi in caput 2. Epiſtolæ ad Galatas, ubi agitur de controverſiâ agitatâ inter Principes Apoſtolorum Sanctos Petrum, & Paulum.

842 Baronio ſuccinit alter Adverſariorum primipilaris; Natalis Alexander Criticus, ſeus potiùs hypercriticus moroſiſſimus, qui Diſſertatione 11. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi 1. pag. 142. mihi, ſic ait:

> *Multa enim alia ſunt ab Apoſtolis facta, quorum nec Sanctus Lucas, nec Apoſtolorum ullus meminit. Nec argumentum INFICIALE alicujus omninò ponderis eſt.*

Et Diſſertatione 14. paginâ 152. ait:

> *His adde, argumenta ab authoritate negativâ, nullius prorſus*

*prorsus esse ponderis : alioquin labascerent insigniora nostræ Fidei mysteria.*

Et Dissertatione 17. pag. 179. ait :

*Respondeo, hæc argumenta futilia esse, quia negantia sunt.*

Et Dissertatione 22. pag. 227. ait :

*Respondeo denique, hæc argumenta, quæ ex Authorum silentio repetuntur, nec nisi negativâ probatione constant, ad veritatis fidem faciendam, infirma vulgò ab eruditis existimari.*

843 Succedat Tilemontius celebris inter Hypercriticos, hostis & ipse Hispanicæ Sancti Jacobi expeditionis, qui tomo 1. Memor. ad Historiam Ecclesiasticam Nota 7. circa Apostolum Sanctum Thomam pag. 660. mihi, rejicit argumentum ab omissione (quod est idem atque à silentio) quia, ut ipse ait, in Authoribus reperiuntur infinitæ omissiones, dè quibus rationem reddere, nemo scit.

844 Hos tres Authores ideo eduxi in primâ acie, quia sunt tres viri robustissimi inter oppugnatores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, neque de illis quis poterit suspicari, in gratiam illius damnasse argumenta negativa ; nunc alios proferam, & duobus Gallis proximè adductis, plures ejusdem nationis subnectam.

845 Superioribus subscribit Antonius Pagi, Ordinis Minorum, & maiorum gentium Criticus, qui in Criticâ Historico-Chronologicâ in universos Annales Ecclesiasticos Cæsaris Baronii, tomo 1. sæculo secundo ad annum Christi 147. §. 15. ait :

*Argumentum negativum, omni aliâ probatione denudatum, fallax, & errori obnoxium.*

846 Jacobus Salianus, Societatis Jesu, Clarissimus ille Author Annalium Ecclesiasticorum Veteris Testamenti

menti, tomo illorum 1. ad annum mundi 1694. numero 6. contemnit argumentum negativum.

847 Theophilus Raynaudus, ejuſdem Societatis, nobilis Polygraphus, vir certè Chalcenterus, hoc eſt, æneis interioribus præditus, utpote infatigabilis, & defæcatiſſimi judicii tom. 15. hoc eſt, tomo 1. Heteroclitorum Sect. 3. puncto 1. pag. 243. columnâ 2. docet, argumentum à ſilentio eſſe malè materiatum principium; quod jam docuerat tomo 9. in Sancto Brunone Stylitâ Myſtico, puncto 3. num. 8. pag. 17. columnâ 1. nam loquens de quodam Papyrii Maſſoni argumento negativo, dixit:

> *Argumentum certè ejus peſſimè materiatum eſt, & vel quatiente, aut propellente nemine labans. Nam apud Dialecticorum pueros pervulgatum eſt ludicrum haberi argumentum ab authoritate negativâ, ſivè à ſilentio, & præteritione nudâ anteriorum, qui quidem non refragentur, ſed tantum non ſuffragentur; ridet hanc argumentandi formam Sanctus Hieronymus.*

848 Joannes Columbus, ejuſdem Societatis, in Opuſculis variis Hiſtoricis, Diſſertatione de Cartuſianorum initiis, num. 93. ait:

> *Quæ Adverſarius tertium quoque ſcripſit, & per Lutetiam ſparſit, non ea ſunt, ut fidem illam, quæ per ſæcula ferè ſex ſteterat inconcuſſa, potuerit ſeu extinguere, ſeu dejicere. Nunquam ille, aut potiùs per illum Marſyas eam diruat, aut excutiet, vel imminuat uno ABNUTIVO illo ARGUMENTO, ſi tamen argumentum.*

849 Loquutus eſt Columbus ad mentem inclyti illius Societatis Jeſu Herois Patris Fonſecæ (quem dixere Luſitanum Ariſtotelem) qui primus ex Societate tradidit doctrinam, poſtea toto Orbe celeberrimam, de Scientiâ Mediâ,

Mediâ, ille enim Institutionum Dialecticarum lib. 7. cap. 35. ait:

> *Argumentari negativè ex authoritate, non est hoc pacto concludere: Aristoteles non dixit, hoc ita esse: ergo non ita est (ut ipsi putant) sed hoc modo Aristoteles dixit: hoc non ita esse: ergo non ita est.*

850 Mitiùs tamen agit Columbus cum argumento abnutivo, quàm pro illius merito, dum solùm dubitat, an argumentum sit. Acriter, ut par est, in illud invehitur, quem subjicio.

851 Reverendissimus scilicet Pater Ignatius de Laubrussel, ejusdem Societatis, Vir Doctissimus, Sapientissimus, & Prudentissimus, à Sacris Confessionibus Serenissimæ Ludovicæ Mariæ Elisabethæ Aurelianensis, Reginæ Catholicæ, viduæ Regis Catholici Ludovici I. nuper immaturâ morte extincti, in aureo supra citato opere de Abusu Critices in materiâ Religionis tom. 1. lib. 1. articulo 2. pag. 10. ubi docet, argumentum negativum subjectum esse centum exceptionibus, & quod inter Criticorum manus frequenter sit ad instar gladii ancipitis in dexterâ hominis furiosi.

852 Patribus his Societatis Jesu subscribit Joannes Cabassutius, doctissimus Præsbyter Congregationis Oratorii Jesu Christi in Galliâ, in Notitiâ Ecclesiasticâ, ubi de Concilio Sinuessano, paginâ 80. columnâ 1. mihi, dicens:

> *Certè ex meris negativis nihil concluditur, neque ex eo, quòd Marcellini culpam Augustinus ignoravit, inferre quis potest, fuisse fabulosam, non magis quàm inferat quispiam, nullum fuisse Sardicense Concilium, ex eo, quòd idem Augustinus illud minimè agnovit.*

853 Sed omnium (non solùm Gallicæ gentis, sed cujuscumque nationis) optimè ostendit inefficaciam negantis

gantis argumenti Joannes Baptiſta Thiers integro volumine, quod inſcribitur: *Exercitatio adverſus Joannis Launoii Diſſertationem de authoritate negantis argumenti*: editumque fuit Pariſiis anno 1662. in octavo, cui conatus eſt reſpondere Launoius in Appendice ad ſuam Diſſertationem, ſecundò editam eodem anno 1662. ibidem in octavo, ſed nihil aliud egit, quàm pergere more ſuo in falſis, adſtruendis, dum pro veritate decertaſſe gloriatur.

854 Ex Authoribus Anglicis irridet argumentum negativum Nicolaus Harperſfeldius (quem jam diximus latere ſub nomine Alani Copi) in Dialogis contra Summi Pontificatûs, Monaſticæ vitæ, Sanctorum, Sacrarum Imaginum oppugnatores, & Pſeudomartyres. Dialogo 2. cap. 5. pag. 199. ubi poſtquam retulerat errorem Magdeburgenſium, hæc illorum verba excribens: *Prima, & Apoſtolica Eccleſia iſtas initiandi Monachi cæremonias de tonſurâ, de veſtibus mutandis, & ſimiles ignoravit.* Subjungit Catholicè:

> *Sed quâ ratione, quâ authoritate, quo veterum teſtimonio id colligunt Magdeburgenſes: merâ ſcilicet, ut ſolent, inficiatione. Hæc eſt enim quinti hujus Euangelii admirabilis ad res controverſas probandas, Dialectica.*

855 Prætereo Guillielmum Beveregium Anglicanum, qui in Codice Canonum Eccleſiæ Primitivæ vindicato, & illuſtrato lib. 1. cap. 16. §. 8. pag. 156. meritò irridens Dallæum, & Anonymum obſervatorem contra ipſum diſputantes de re Hiſtoricâ, ait:

> *Adeo, ut tota eorum diſputatio negativis ſolis fundata argumentis, nihil aliud ſit, quàm incertitudinum quarundam, & dubiarum hypotheſium congeries.*

Venio ad Authores Hiſpanos, & ex iis paucos ſeligo.

856 Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis (quis,

Digitized by Google

(quis, & quantus Vir!) in Commentariis in cap. 33. Geneſis pag. 336. mihi col. 1. literâ A. inquit:

*Locus enim ab authoritate negativâ nec eſt verus, neque veriſimilis; quid enim valet, non legitur, quòd venit Beatus Paulus in Hiſpanias: ergo non venit?*

857 Alphonſus Salmeron, quintus ex decem primis Patribus Societatis Jeſu, in Acta Apoſtolorum tract. 60. pag. 390. mihi col. 1. ait:

*Hoc argumentum eſt ab authoritate negativè deſumptum, quod infirmum eſt, & nullius roboris.*

858 Joannes Pineda, ejuſdem Societatis clariſſimum ſidus, lib. 4. de Rebus Salomonis cap. 14. §. 5. numero 4. ait:

*Argumentum ab authoritate, quod vocant, negativâ, vim non magnam adverſus renitentem habet.*

859 Franciſcus Turrianus, ejuſdem Societatis, vir à Cardinalibus Baronio, & Hoſio, aliiſque clariſſimis Authoribus laudatiſſimus, & quem Magnus Martinus de Aſpilcuetâ Navarrus in Propugnaculo Apologetico libri ſui de Redditibus Eccleſiaſticis num. 4. vocat Eruditiſſimum Doctorem, Scriptorem diligentiſſimum, & judicio emunctiſſimo, Illuſtriſſimæ Societatis Jeſu inſigne ornamentum, in Defenſione pro Epiſtolis Decretalibus Pontificum Apoſtolicorum adverſus Magdeburgenſes libro 5. cap. 20. à paginâ 608. egregiè profligat argumentum ab authoritate negativè, ſive ab Authorum ſilentio.

860 Illuſtriſſimus, & Doctiſſimus D. D. Ludovicus Tena, Epiſcopus Derthuſanus, in Iſagoge Sacræ Scripturæ lib. 3. Difficultate 8. pag. 271. col. 1. ait:

*Argumentum ductum ab authoritate negativè nihil valet.*

861 Chriſtophorus Gillius, Luſitanus, è Societate Jeſu, Vir non minus virtutibus, quàm literis clarus, in

Commentationibus Theologicis lib. 1. tract. 7. cap. 14. paginâ 362. numero 5. ait:

> *Argumentum negativum eſt cùm ex eo, quòd Patres aliquid non dixerint, aut hoc, aut illo loquendi genere non uſi fuerint, concludit aliquis, id non eſſe aſſerendum, vel non utendum hoc loquendi genere. Hoc autem argumenti genus in univerſum eſt inutile, cùm argumentamur ab authoritate etiam Divinâ: nam quis ferat ita argumentum* (forſan Typographi eſt error, & *arguentem* ſcriptum erat) *Deus hoc non revelavit: ergo non eſt? poteſt quippe eſſe, quamvis Deus non revelaverit, quamvis Concilia, & Patres non dixerint: dummodo tamen oppoſitum non aſſerat.*

862 Licèt ſatis, ſuperque probatum ſit ab authoritate tot Doctorum hominum, argumentum inficiale, & ab omiſſione, ſeu ſilentio eſſe inutile, ſeu inane, volo tamen ulteriùs oſtendere, illud etiam fuiſſe Sanctorum Patrum calculo damnatum.

863 Sanctus Maximus Prologo in opera Sancti Dioniſii Areopagitæ, contemnit argumentum ab omiſſione, quo aliqui illa opera Sancto Dioniſio abjudicanda credidere, ait enim:

> *Ita ſane inquiunt, ſed libros ejus non recenſuit Euſebius Pamphili, quin nec Origenes. Ad quos dicendum, quamplurima Euſebium omiſiſſe, quæ ad manus ejus non pervenerant. Etenim non dicit omnia omninò ſe colligiſſe, quinimò fatetur, innumerabiles libros ad ſe non perveniſſe. Etiam multos poſſem commemorare, quos ipſe non habuit, & hos quidem ſuæ regionis, ut Hymenæi, & Narciſi, qui Sacerdotio functi ſunt Feroſolymis. Ego ſane in aliquos Hymenæi libros incidi. Sed nec Pantæni opera annotavit, neque Clementis Romani, duabus ſolùm Epiſtolis exceptis. Sed neque plures alios. Origenes*

Digitized by Google

*genes autem nescio an omnes, vix certè quatuor recensuit.*

864 Sanctus etiam Hieronymus contemptor fuit argumenti ab omissione, non solùm in Commentariis in Epistolam ad Galatas, capite 2. ubi ait:

*Nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, quum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentiâ prætermiserit.*

865 Quem locum Sancti Hieronymi opponit Cardinalis Baronius supra citatus, alteri loco ejusdem Sancti Hieronymi, ex libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, quo Sanctus Pater visus est fidere argumento ab omissione, nam §. *Lucas*, ait:

*Periodos Pauli, & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter Apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solùm ignoraverit?*

866 Quo Sancti Hieronymi loco utitur Launoius in Dissertatione de authoritate negantis argumenti num. 27. paginâ 55. ad probandam efficaciam argumenti abnutivi, seu inficialis. Baronius tamen respondet, Sanctum Lucam non semper fuisse individuum comitem Sancti Pauli; & respondere poterat, Sanctum Lucam non solùm hoc, sed plura gesta Divi Pauli forsitan ignorasse, certè prætermisisse. Et loco Catalogi Scriptorum Ecclesiasticorum opponit, (ut diximus) supradictum locum ex Commentariis in Epistolam ad Galatas. Et poterat dicere, Sanctum Hieronymum tam parum fisum fuisse argumento ab authoritate negatâ, quod adduxerat in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ut statim in eodem loco arripuerit argumentum ab authoritate negante; immediatè enim subjungit:

*Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum, refert,*

*præsbyterum quendam in Aſiâ amatorem Apoſtoli Pauli, convictum apud Joannem, quod Author eſſet libri, & confeſſum, ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id excidiſſe.*

Quod ideo fecit, quia ſciebat Sanctiſſimus Doctor, argumentum ab omiſſione non eſſe tutum. Idem Sanctus Hieronymus in Epiſtolâ ad Pammachium, & Oceanum de erroribus Origenis irridet argumenta inficialia, & à ſilentio; loquens enim de defenſoribus Origenis, ait:

*Ad ſubſcriptionem tergiverſantur, quæruntque ſubfugia. Alius, non poſſum, inquit, damnare, quod nemo damnavit. Alius nihil ſuper hoc à Patribus ſtatutum eſt: ut dum ſuper hoc totius Orbis provocatur authoritas, ſubſcribendi neceſſitas differatur. Quidam conſtantiùs, quomodo, inquit, damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnavit Arium, damnaſſet utique & Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet. Scilicet uno medicamine omnes ſimul morbos debere curare. Et idcirco Spiritûs Sancti neganda maieſtas eſt, quia in illâ Synodo ſuperſubſtantiâ ejus ſilentium fuit. De Ario tunc, non de Origene, quæſtio fuit: de Filio, non de Spiritu Sancto confeſſi ſunt, quod negabatur; tacuerunt, de quo nemo quærebat.*

867 Circa quæ Divi Hieronymi verba, tria ad rem noſtram obſervo. Primum eſt, argumenta negativa eſſe familiaria Hæreticis, ut ſupra vidimus cum Nicolâo Harpersfeldio, & Chriſtophoro Gillio. Secundum eſt, hîc rejici à Doctore Maximo tria argumenta inficialia, ſeu à ſilentio. Tertium denique eſt, cùm Divus Hieronymus fuerit non nihil antiquior Sancto Auguſtino, falſum eſſe quod dixit Joannes Launoius in Diſſertatione de authoritate negantis argumenti numero 30. in fine paginâ 63. nempe, quòd tempore Divi Auguſtini nondum nati erant,

erant, qui respondèrent argumentis inficialibus, nihil omninò probari; nam natus erat Sanctus Hieronymus, qui argumenta inficialia irrisit; natus erat Sanctus Augustinus, qui illa flocci fecit, ut jam ostendo.

868 Nemo meliùs, quàm Sanctus Augustinus nos docere potest, quàm parvi faciendum sit argumentum negativum, & quidem eo ipso loco, quod nobis objicitur à Neoterico Adversario expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi pro authoritate argumenti negativi, seu ab authoritate negatâ, deficiente authoritate negante, nempe ex libro primo (non secundo, ut per errorem Typographi citatur) de Origine animæ capite 9. ubi postquam dixit:

> *Huc accedit, quod non incredibiliter dicitur Latronem, qui tunc credidit juxta Dominum Crucifixum aquâ illâ, quæ de vulnere lateris ejus emicuit, tamquam Sacratissimo Baptismo fuisse perfusum. Ut omittam, quòd eum antequam damnaretur, baptizatum non fuisse, quoniam nemo nostrum novit, nemo convincit.*

Statim subjungit:

> *Verum hæc, ut volet, quisque accipiat.*

869 Sed observa attentiùs erudite, & Dialectice lector, sagittam, quæ ex pharetrâ Divi Augustini contra nos intenditur, ipsos ferire Adversarios; quibus non unum tantum vulnus infligit. Nam in primis ait Divus Augustinus non incredibiliter dici, Latronem fuisse respersum, & baptizatum sanguine, qui exiliit ex latere Christi; & tamen nullum producit Authorem æqualem, vel propemodum æqualem, qui illum eventum narraverit. Ex quo cognoscitur, Divum Augustinum tenuisse, non incredibiliter dici, etiam illa, quæ à nullo Authore æquali, vel propemodum æquali referuntur. Ergo juxta mentem Divi Augustini, non ideo quidpiam dicendum

est

eſt eſſe incredibile, quia à nullo Authore æquali, vel propemodum æquali affirmatur. Ergo juxta mentem Divi Auguſtini non ideo eſſet incredibilis expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, quia à nullo Authore æquali, vel propemodum æquali narraretur. Et hoc eſt primum, & luculentum Adverſarii vulnus.

870 Secundum vulnus eſt, quia Sanctus Auguſtinus hoc loco non argumentatur à ſilentio, ſeu defectu Authorum affirmantium, ſed à ſilentio Authorum negantium, hoc eſt, à defectu authoritatis negantis. Et docet, non eſſe dicendum, Latronem non fuiſſe baptizatum antequam damnaretur; *quoniam nemo noſtrûm novit, nemo convincit.* Ergo juxta mentem Divi Auguſtini, nemo negare debet, quæ nemo neganda eſſe prius convicit. Ergo juxta mentem Divi Auguſtini, nemo negare debet expeditionem Hiſpanicam, narratam ante mille annos; quin producat Authorem antiquiorem, qui illam negandam eſſe convincat.

871 Si tamen perſtare velent Adverſarii, in aſſerendo, locum illum Sancti Auguſtini continere argumentum negativum, ſeu ab authoritate negatâ, nihil proficient, imò tertium excipient vulnus; nam fatendum illis eſt, Sanctum Auguſtinum parvi feciſſe argumentum negativum; ſubjunxit enim: *Verum hæc, ut volet, quiſque accipiat.* Noverat enim Divus Auguſtinus, utpote, qui ſubtiliſſimus erat Dialecticus, negativis argumentis lectorem non poſſe conſtringi. Si ergo juxta mentem Sancti Auguſtini, argumentum negativum non conſtringit repugnantem; quomodo ab argumento negativo conſtringeremur nos negare expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi? Et cur ad probandam authoritatem argumenti inficialis, nobis opponitur authoritas Divi Auguſtini?

872 Neque dici poteſt, hanc ſolutionem nos æquè atque

atque Adversarios premere; nam illa verba Sancti Augustini : *Hæc ut volet, quisque accipiat*; sicuti applicata argumento à silentio, seu defectu antiquiorum affirmantium, significant contemptum argumenti ab authoritate negatâ; sic applicata argumento ex defectu authoritatis negantis, significant contemptum hujusmodi argumenti. Ergo ex Divo Augustino malè eruimus, non posse negari, quæ ab æqualibus negata sunt; cùm Divus Augustinus hujusmodi argumentum contempserit; reliqueritque lectori libertatem hæc accipiendi, ut voluerit.

873 Non, inquam, id dici potest, nam diversa ratio est in uno, atque alio modo intelligendi Divum Augustinum; nam argumentum ab authoritate negatâ nunquam valet, ut docent supra citati Authores; argumentum verò ab authoritate negante tantum valet, quantum valet argumentum ab authoritate affirmante, ut docet Petrus Fonseca, citato libro 7. capite 35. ubi loquens de hâc argumentandi ratione, ait :

> *Quæ argumentandi ratio, non minorem habet vim, quàm si affirmativè colligas.*

Quod argumentum tandiù valet, quadiù non eliditur alio argumento ab authoritate affirmante oppositum. Tunc enim allicitur intellectus ad assentiendum fortiori authoritati, & si neutra sit convincens, licèt utraque fortis, quodlibet eorum fundat diversam opinionem probabilem, & intellectus potest eligere ex duabus illis opinionibus, quam maluerit. Ut in casu Latronis, de quo extabat una sententia credibilis, dicens, illum fuisse baptizatum sanguine, qui exsilierat ex latere Christi; & ex aliâ parte stare poterat sententia, ipsum fuisse baptizatum antequam damnaretur, quia nulla erat authoritas id negans. Quæ duæ sententiæ sibi contrariæ suis nitebantur fundamentis; sed nulla habebat fundamenta convincentia

tia in concurſu alteriùs, unde quilibet poſſet accipere quamlibet pro libitu ſuo, ut ipſi permittit Sanctus Auguſtinus, dicens: *Verum hæc ut volet, quiſque accipiat.*

874 Quàm verò Divus Auguſtinus contempſerit argumentum ab authoritate negatâ, clariùs perſpicietur ex illius libro 3. de Animâ, & ejus origine, capite 9. ubi loquens de eodem Latrone, ait:

> *Latro quippe ille, quamvis potuerit judicio Divino inter eos deputari, qui martyrii confeſſione purgantur, tamen etiam utrum non fuerit baptizatus, ignoras. Nam, ut omittam, quod creditur aquâ ſimul cum ſanguine exſiliente de latere Domini juxta confixus, potuiſſe perfundi, atque hujuſmodi Sanctiſſimo Baptiſmo delui: quid ſi in carcere fuit baptizatus, quod & poſtea perſecutionis tempore nonnulli clanculo impetrare potuerunt, quid ſi & antequam teneretur? Neque enim propterea illi publicæ leges parcere poterant, quantum attinet ad corporis mortem, quoniam divinitùs remiſſionem acceperat peccatorum. Quid ſi jam baptizatus in latrocinii facinus, & crimen incurrerat, & non expers baptiſmatis, ſed tamquam pœnitens accipit ſcelerum veniam, quæ baptizatus admiſit? Quandoquidem pietas tam fidelis, & Domino in animo ejus, & nobis, in verbis ejus apparuit. Nam ſi eos, de quibus non ſcriptum eſt* (Nota bene) *utrum fuerint baptizati, ſine baptiſmo de hâc vitâ receſſiſſe contendimus, ipſis calumniamur Apoſtolis, qui, præter Apoſtolum Paulum, quando baptizati fuerint, ignoramus. Sed ſi ipſos baptizatos eſſe per hoc nobis innoteſcere potuit, quod Beato Petro Dominus ait: Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet: Quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum de Barnabâ, de Timotheo, de Tito, de Silâ, de Philemone, de ipſis Euangeliſtis Marco, & Lucâ, de innumerabilibus cæteris: quos abſit, ut baptizatos eſſe dubitemus.*

Non

875 Non poterat Sanctus Doctor clariùs explicare, nullam fidem mereri argumentum negativum, seu deductum à silentio Authorum.

876 Quanti verò Divus Augustinus pro parte affirmante fecerit argumentum à defectu authoritatis negantis, circa baptismum ejusdem Latronis, patet ex illius libro 1. Retractationum capite 26. ubi retractans ea, quæ dixerat libro de Diversis quæstionibus octoginta tribus, ad quæstionem 62. ait:

> *De eo, quod scriptum est in Euangelio, quòd* baptizabat Jesus plures, quàm Joannes, quamvis ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus *ubi quod dixi.* Latro ille, cui dictum est: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso; qui nec ipsum baptismа acceperat: *hoc quidem, & alios ante nos Rectores Sanctæ Ecclesiæ posuisse in suis literis invenimus, sed quibus documentis satis possit ostendi, quòd non fuerit baptizatus ille Latro, ignoro. De quâ re in posterioribus quibusdam Opusculis nostris diligentiùs disputandum est, maximè in eo, quòd ad Vincentium Victorem* de Animæ origine *scripsimus.*

877 Retractavit igitur Sanctus Augustinus ea, quæ dixerat de non baptizato Latrone, eo, quòd deficerent documenta, quibus posset ostendi, Latronem non fuisse baptizatum, pressus viribus argumenti à defectu authoritatis negantis; quia licèt hoc negaverint ante ipsum alii Rectores Ecclesiæ, hoc est, Episcopi, ii tamen fuerunt Sanctus Cyprianus Epistolâ 73. ad Jubaianum, aliique ejus Sectatores; Sanctus autem Cyprianus in eâ Epistolâ adstruebat errorem suum de baptizandis Hæreticis: unde Sanctus Augustinus illius authoritatem nihili faciendam duxit, cessitque viribus argumenti à defectu authoritatis negantis, ne Latronis baptismum negaret.

878 Si autem Sanctus Auguſtinus poſtremò cenſuit, non debere negari id, quod à nullo Authore idoneo negabatur; quomodo quis negare audebit, quæ ab antiquis Authoribus aſſeruntur, & à nullo Authore antiquo negantur? Quo jure nunc negabitur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi à graviſſimis Authoribus ante mille annos aſſerta, & à nullo antiquo Authore negata? Non audet tandem negare Sanctus Auguſtinus, baptiſmum Latronis, licèt illum antea negaviſſet Sanctus Cyprianus, qui certè vivebat, & vir erat antequam complerentur ducenti anni à morte Latronis, & audebimus negare expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, aſſertam ante mille annos, quia eam poſt quindecim ſæcula negavere Magdeburgenſes, nullo nixi fundamento, niſi argumento ducto ab authoritate negatâ? Vel quia illam negavit ſibi contrarius Baronius, nullo idoneo nixus fundamento, ut demonſtrandum eſt Aſſertione 46? Manet ergo inconcuſſum, probatumque ab authoritate, argumentum ex puris negativis, & argumentum ab authoritate negatâ nullius eſſe roboris, ſed inane, & fallax.

## §. II.

## *Probatur Aſſertio à Ratione.*

879 NE patientiâ lectoris abutar, eum ducere nolo in ſenticetâ Dialecticorum, demonſtrando ex principiis Logicis, nihil concludi ex duplici præmiſsâ negativâ, id prohibente illo principio *dici de omni, dici de nullo;* nam ut ait Beatus Albertus Magnus, Ordinis Prædicatorum, lumen longè clariſſimum lib. 1. Prior. tract. 5. cap. 3.

*In omni ſyllogiſmo cujuſcumque modi ſit, in omnibus tribus*

*tribus figuris oportet aliquem terminorum esse prædicativum, seu affirmativum ad medium, & oportet aliquem esse universalem universaliter acceptum ad medium; quia aliter per* dici de omni, & dici de nullo, *perfici non potest.*

Suppono, exempli gratiâ, & ne recedam à scopo hujus operis, eos, qui ab authoritate negatâ volunt oppugnare expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, uti syllogismis perfectis juxta regulas Dialecticas, ipsosque ostendam, nihil convincere.

880 Videtur illam expeditionem oppugnari posse ab authoritate negatâ altero ex duobus syllogismis; scilicet vel uno, cujus conclusio est affirmativa, vel altero, cujus conclusio est negativa. Primus syllogismus est:

*Omnis res tacita ab omnibus Scriptoribus æqualibus, est falsa;*
*Sed expeditio Hispanica Sancti Jacobi, est res tacita ab omnibus Scriptoribus æqualibus:*
*Ergo expeditio Hispanica Sancti Jacobi est res falsa.*

Secundus syllogismus est:

*Nulla res tacita ab omnibus Scriptoribus æqualibus est vera;*
*Sed expeditio Hispanica Sancti Jacobi, est res tacita ab omnibus Scriptoribus æqualibus:*
*Ergo expeditio Hispanica Sancti Jacobi non est vera.*

Utriusque syllogismi consequentia rectè colligit in primâ figurâ, primi quidem in *Darii*, secundi verò in *Ferio*; & tamen utriusque consequens est falsum, propter falsitatem unius, vel potiùs utriusque præmissæ; nam nullius illarum veritas potest ostendi, unde vel utraque, vel saltem altera neganda est, non concedenda, quo corruit tota vis syllogismi, qui est *Oratio, in quâ quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud evenire per ea, quæ posita sunt, & concessa.* Ut docet Petrus Hispanus (hoc est Petrus Ju-

liani Ulyſſiponenſis ex Archiepiſcopo Bracharenſi Pontifex Maximus, dictuſque Joannes XXI.) in Summulis tract. 4. pag. 228. Unde non conceſsâ aliquâ præmiſsâ, perit ſyllogiſmus.

881 Unde non ſunt concedendæ illæ præmiſſæ, quæ ſunt falſæ; nam in primis falſa eſt illa maior affirmativa: *Omnis res tacita ab omnibus Scriptoribus æqualibus, eſt falſa*; & eodem modo eſt falſa illa minor negativa: *Nulla res tacita ab omnibus Scriptoribus æqualibus, eſt vera.* Nam multa veriſſima ſunt, quæ à Scriptoribus æqualibus ſcripta non ſunt, & tamen non ſunt falſa, ſed vera. Nam de geſtis Chriſti Domini ait Sanctus Joannes cap. 20. verſ. 30. & 31.

> *Multa quidem, & alia ſigna fecit Jeſus, in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei: & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

Et cap. 21. verſ. 25.

> *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ, ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.*

Unde Sanctus Auguſtinus tom. 5. Serm. 98. de Verbis Euangelii Sancti Lucæ cap. 7. & de tribus mortuis, quos Dominus ſuſcitavit, citato hoc loco Sancti Joannis, ait:

> *Multi ergo ſunt alii ſine dubio ſuſcitati: ſed non fruſtra tres commemorati.*

882 Sanctus etiam Paulus 2. Corinth. cap. 12. verſ. 4. de ſe, tamquam de alio, dicit:

> *Raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Et tamen non falſa, ſed vera erant verba illa; & tamen ſcripta non ſunt, multòque minus ab æqualibus.

Conſtat

883 Constat igitur, illas duas præmissas maiores, tam affirmativam, quàm negativam esse falsas, quod satis est, ut nihil probent syllogismi illis constantes. Et ratio Logica falsitatis illarum est, quia inter res, & scriptionem rerum non datur connexio necessaria, imò neque dari possit, cùm semper res vera præcedat scriptionem Historicam, & sæpe datur scriptio sine re, ut accidit in scriptis falsis, & possit perire scriptura, permanente nonnunquam, & semper verâ existente re.

884 Dixi *cùm semper res vera præcedat scriptionem Historicam*, ut excluderem veram scriptionem Propheticam, quæ ex naturâ suâ postulat præcedere rem veram, juxta illud Sancti Cyrilli Alexandrini in cap. 3. Habacuch: *Spiritus Sanctus futurorum notitiam Prophetis priùs revelat*; & illud Sancti Gregorii Magni Homiliâ 1. in Ezechielem. *Cùm ideo Prophetia sit, quòd futura prædicat, quando de præterito, vel præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit*: licèt etiam possemus dicere, vel ipsas res Propheticè prædictas, præcessisse scripturas Propheticas, juxta doctrinam Magni Patris Sancti Augustini lib. 17. de Civitate Dei cap. 18. dicentis: *More solito, tamquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur, quoniam, quæ ventura erant, jam in prædestinatione, & præscientiâ Dei velut facta erant, quia certa erant.*

885 Sed excluſi scriptiones Propheticas, quia hîc agimus de re Historicâ; neque est hujus loci differere de connexione Prophetiæ cum re prædictâ, & è contra. Et tamen cum hoc stat, quòd licèt valeat argumentum à Prophetiâ ad eventum Prædictum, & à prophetiâ negante ad eventum negatum, non tamen valet à negatâ Prophetiâ ad negandum eventum.

886 Deinde illa præmissa minor affirmativa, quæ communis est utrique syllogismo, non est tam certa, ut illam

illam concedere cogamur ; nam nunc non poteſt affirmari , expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe tacitam ab omnibus Scriptoribus æqualibus , cùm multa antiquorum ſcripta interierint , vel malitiâ hominum , vel injuriâ temporum. Exemplo eſſe poſſunt pluſquam viginti libri Veteris Teſtamenti , qui periere , nempe :

1 Liber Bellorum Domini.
2 Liber Juſtorum.
3 Liber Verborum Salomonis.
4 Liber Verborum Regum Iſrael.
5 Liber Verborum Regum Juda.
6 Samuelis Libri.
7 Samuelis Liber.
8 Liber Nathanis.
9 Liber Gad Prophetæ.
10 Liber Ahiæ Prophetæ.
11 Liber Abdonis Prophetæ.
12 Liber Jehu Prophetæ.
13 Liber Chozai Prophetæ.
14 Salomonis tria millia Parabolarum.
15 Salomonis Cantica quinque millia , vel quinque ſupra mille.
16 Salomonis Phyſica de Arboribus , & aliis.
17 Liber Enoch.
18 Epiſtolæ Eliæ Prophetæ.
19 Jeremiæ Deſcriptiones.
20 Liber dierum Joannis Hircani.

& alii , de quibus videndus eſt Nicolaus Serarius , Societatis Jeſu , in Prologomenis Bibliacis capite 8. quæſtiunculâ 14. pag. *66*.

887 Quota pars extat librorum , qui referuntur ab Euſebio , à Sancto Hieronymo , Genadio , Sancto Iſidoro , à Photio , Honorio , Sigeberto , aliiſque Bibliographis ?

Nulla

Nulla sollicitudo satis erat ante inventam artem Typographicam ad vindicandos libros ab edacitate temporis. De Tacito Imperatore scribit Flavius Vopiscus: *Cornelium Tacitum, Scriptorem Historiæ Augustæ, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus Bibliothecis collocari jussit, & ne lectorum incuriâ deperiret, libros per annos singulos decies scribi publicitùs in publicis Archiis jussit, & in Bibliothecis poni.* Et tamen ex Taciti Historiarum libris pars maxima deperiit, ut observavit Gerardus Joannes Vossius lib. 1. de Historicis Latinis cap. 30. pag. 146.

888 Etiam post inventam artem Typographicam, sunt tot librorum perdendorum causæ, ut Rudolphus Capellus, ad calcem libri sui Lectionum Bibliothecariarum apposuerit Alphabetum Bibliothecis hostile, enumerans res Bibliothecis noxias, hoc est, indiculum hostium tam naturalium, quàm moralium, quotquot Bibliothecas infestant, in cujus fine ait:

> *Et quis omnes errores, quis mala omnia, quis miserias, & infelicitates Bibliothecarum enumerare potest, ut par est, quis ruinas describere?*

889 His similia scribit Morhosius in Polyhistore tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 19. ubi ait:

> *Causæ evertentes Bibliothecas, vel ex hominum malitiâ, vel ex simplicitate, & barbarie, vel ex superstitione, vel ex casibus fortuitis proveniunt. Non facilè credat aliquis, adeo malitiosos esse nonnullos, ut in Bibliothecas grassari velint.*

Et deinde plures enumerat Bibliothecas ab hominibus eversas: numero verò 28. ait:

> *Quæ non hominum culpâ, casibus, sæpe fortuitis incendiis, aquis pessum ivere Bibliothecæ? quorum Catalogum nectere possemus, si juvet infandos renovare dolores.*

Et prosequitur, enumerando fortuitam plurium Bibliothecarum

thecarum jacturam ; refertque Authores, qui de hoc argumento ſcripſerunt.

890 Theophilus autem Spizelius, qui edidit librum inſcriptum : *Sacra Bibliothecarum illuſtrium arcana retecta*, in illius Diſſertatione præliminari §. 12. ait :

> *Maximis profectò ſtragibus, variiſque interitûs generibus obnoxia eſt animorum officina quælibet.*

Totoque eo paragrapho deplorat plurium illuſtrium Bibliothecarum cladem.

891 Hæc cùm ita ſint, certum remanet, nunquam ab authoritate negatâ impugnari poſſe quodpiam factum, multòque minus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, neque probari eſſe falſam, vel (quod eſt idem) non eſſe veram. Imò neque ulla Aſſertio ex illo medio authoritatis negatæ oſtendi poteſt falſa.

892 Hùc recidit alia ratio, quâ infirmatur argumentum inficiale, ſeu ab authoritate negatâ ; nempe, quia ſemper ſupponit vel conditionales falſas, vel cauſales falſas, in quas reſolvitur ; nam tota vis hujus enthimematis :

> *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non eſt ſcripta ab Authoribus æqualibus :*
> *Ergo eſt falſa, ſeu non eſt vera.*

Semper ſupponit iſtam cauſalem conditionatam :

> *Quia ſi fuiſſet vera, neceſſariò ſcripta fuiſſet à Scriptoribus æqualibus.*

Quæ utique eſt falſiſſima, tum quia non omnia ſcripta ſunt ab Authoribus æqualibus, tum maximè, quia nulla neceſſariò ſcripta ſunt, ſed omnia contingenter. Unde etiam dato gratis antecedente enthimematis, negari debet conſequens, & conſequentia illius, ut prodiens ex præſuppoſitâ præmiſsâ cauſali, & conditionali falſâ.

893 Cùm verò iſta probent, argumentum ab authoritate

Digitized by Google

ritate negatâ nullius esse momenti, in quâcumque re Historicâ id efficaciùs probant in rebus Apostolorum, quorum Historia omninò interiit, corruptaque fuit ab Hæreticis, & pro veris Historiis obtrusa fuere mille deliramenta, quæ à Sanctis Patribus judicata sunt Apocrypha, ut videre est cap. *Sancta Romana Ecclesia*, ubi, inter alios, declaratur Apocryphus liber inscriptus: *Sortes Apostolorum*, & reprobatur cap. *Non observetis*, causâ 26. quæst. 7. Abdiæ Babylonii, Apostolici certaminis Historia damnata fuit, ut fide indigna, à Sanctissimo Sancti Patris nostri Caietani socio Paulo IV. Pontifice Maximo. Insuper Apostolorum Actus conficti, alii ab Ebione, alii à Præsbytero quodam Asiæ, alii à Leucio Manicheo, Apostolorum Euangelium, Apostolorum Itinerarium, aliaque similia scripta rejecta sunt à Sanctis Patribus, Sacrisque Conciliis, ut videre est apud Paulum Minervam, Ordinis Prædicatorum, libello de Libro Apocrypho pag. 47. & 48. & apud Eliam Dupin in Dissertatione Præliminari super Bibliis lib. 2. cap. 6. §. 4. 5. 6. 11. & apud Gerardum Joannem Vossium de Historicis Græcis lib. 2. cap. 9. à paginâ 162. & apud Sixtum Senensem in Bibliothecâ Sanctâ lib. 2. verbo *Apostolorum*, pag. 39. & denique apud Possevinum in Apparatu Sacro tom. 1. verbo *Apostolorum*, pag. 112.

894 Quibus libris Apocryphis aptari potest illud Sancti Augustini lib. 15. de Civitate Dei cap. 23. n. 4.

> *In his autem Apocryphicis, etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est Canonica authoritas.*

Sed aliud est Canonica authoritas, aliud authoritas Historiæ humanæ; unde non ideo, quòd quidlibet reperiatur in libro Apocrypho, damnandum esset tamquam indignum fide humanâ, quandiù non convincitur apertæ falsitatis, vel erroris, quod patet in multis operibus,

quæ à Gelaſio in capite *Sancta Romana Eccleſia* Diſtinct. 15. declarantur Apocrypha, & tamen hodie utiliter leguntur, & allegantur, ut ſunt Opuſcula Tertulliani, Clementis Alexandrini, & Caſſiani.

895 Deinde Euſebius Cæſareenſis pauca ſcripſit de Apoſtolis, ſi non eſt mutilum caput 1. libri 3. quod inſcribitur *Apud quas Gentes Chriſtum Apoſtoli prædicaverint:* quem titulum, qui legit, ſperat, ſe illo capite inventurum expeditiones omnium Apoſtolorum, ſed in eo non reperit niſi aliquot expeditiones Sancti Thomæ, Sancti Joannis, Sancti Petri, & Pauli. Sanctus Irenæus (teſte Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum) ſcripſit volumen ad Martianum Fratrem *de Apoſtolicâ prædicatione*, ſed hoc volumen non extat.

896 Clemens Alexandrinus Stromatum libro 4. in fine, Sanctorum Apoſtolorum, res geſtas ſe vidiſſe indicare videtur, dicens:

> *Apoſtoli autem fuere pleni in omnibus: Invenies itaque, ſi volueris, ex eorum rebus geſtis, & ſcriptis, eorum cognitionem, vitam, prædicationem, juſtitiam, caſtitatem prophetiam.*

Sed ea Apoſtolorum Acta exciderunt, ut ait Pater Auguſtinus Mannus, Congregationis Oratorii, in Selectis Hiſtoriis capite 642. pag. 881. Sanctus Hieronymus in principio vitæ Beati Malchi Captivi Monachi ait:

> *Scribere enim diſpoſui (ſi tamen vitam Dominus dederit, & ſi vituperatores mei ſaltem fugientem me, & incluſum perſequi deſierint) ab adventu Salvatoris, uſque ad noſtram ætatem, id eſt, ab Apoſtolis, uſque ad noſtri temporis fæcem, quomodo, & per quos Chriſti Eccleſia nata ſit, & adulta, perſecutionibus creverit, martyriis coronata ſit.*

Sed ingenti Reipublicæ Chriſtianæ, & literariæ damno hoc

hoc Maximi Doctoris opere caremus, ſive quòd nunquam ſcriptum fuit, ſeu quòd interciderit. Attamen ex his verbis Sancti Hieronymi nonnihil colligitur utile rei noſtræ. Nam Sanctus Doctor vivebat vigeſimo anno quinti ſæculi, & tamen diſpoſuerat ſcribere Hiſtoriam à Chriſto nato, hoc eſt, Hiſtoriam quatuor ſæculis antiquiorem, quæ vel erat ſcripta ab æqualibus, vel non? Si erat ſcripta ab æqualibus, ubi ſunt horum æqualium monumenta? Cur ergo, deficientibus nunc illis æqualium monumentis, dicendum eſt, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non fuiſſe ſcriptam ab æqualibus. Si verò Hiſtoria, quam Sanctus Hieronymus meditabatur, non erat ſcripta ab æqualibus, ſine illorum teſtimonio ſcriberet Sanctus Hieronymus: ergo ſcribi poteſt res antiqua ſine æqualium Scriptorum teſtimonio (contra id, quod ſtatuere intendit Pſeudo-Criticus Launoius) quin Hiſtorici fides periclitetur.

897 Tempore Sancti Joannis Chryſoſtomi, qui obiit circa annum ſeptimum ſæculi quinti, non extabant vitæ Apoſtolorum, ut ipſe conqueritur in Prologo Commentariorum in Epiſtolam ad Philemonem. Quomodo ergo aſſeri poteſt, antiquos non ſcripſiſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſi legere non poſſumus veterum monumenta, quæ intercidere, de geſtis Apoſtolorum? Ergo efficaciùs probatur, non valere argumentum ab authoritate negatâ, in rebus ſpectantibus ad Hiſtoriam Apoſtolorum, qualis eſt expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi Apoſtoli.

898 Efficaciſſimè autem probatur debilitas argumenti ab authoritate negatâ, in rebus ſpectantibus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Hiſpaniæ, idque duplici ex cauſâ. Prima eſt miſerrima ſtrages, quam ſæpiùs Hiſpania paſſa eſt tam à Gentilibus, quàm ab Hæreticis, tam à Maho-

metanis, quàm à Catholicis; nam gemente Hiſpaniâ ſub Arabum jugo, omnia pene ſcribebantur, aut linguâ, aut caracteribus Arabicis, non ſolùm res Civiles, ſed etiam Sacræ, in quæ volumina incidentes poſtea Catholici, jam Arabici idiomatis ignari, exiſtimantes, ea volumina ſpectare ad Mahometanam ſuperſtitionem, ea igni tradebant, ne erroribus iterum Hiſpaniam inficerent. Altera cauſa, ob quam multò minoris ponderis eſt argumentum ab authoritate negatâ in rebus Hiſpanicis, maximè ad Religionem ſpectantibus, eſt, quia antiqui Scriptores Hiſpaniæ, etiam circa res Civiles, quarum fuere minus incurioſi, brevitati maximè ſtuduerunt; multaque maximè memoranda omiſerunt, ut obſervat antiquitatum Hiſpaniæ diligentiſſimus Hiſtoricus Reverendiſſimus Pater Fr. Franciſcus de Bergançâ, Monachus Benedictinus tomo 1. Antiquitatum Hiſpaniæ lib. 3. cap. 4. num. 49. pag. 190. & ſicuti ab authoritate Divinâ negatâ nihil ſequitur, niſi in articulis Fidei probandis, ſic *nec ab authoritate humanâ negatâ quidquam ſequitur, niſi præſupponam Authorem aliquid plenè, & perfectè tradidiſſe*, ut ait M. Antonius Itterus in Synopſi Philoſophiæ Rationalis Sect. 3. Subſect. 2. cap. 2. art. 13. n. 5. De nullo autem Authore antiquo rerum Hiſpanicarum, præſupponi poteſt, rem quampiam plenè, & perfectè tradidiſſe: ergo nunquam argui utiliter poteſt ab authoritate negatâ, ſeu ab omiſſione Scriptorum Hiſpaniæ, cùm ſoliti ſint plurima memoranda reticere, præſertim ea, quæ erant eorum tempore notiora, & quæ in omnium ore tunc erant.

899 Poſtremò, vel argumentum ab authoritate negatâ non probat quod intenditur, vel probat intentum; ſi non probat intentum (ut certè non probat) nihil urget affirmantes; & fruſtrà à negantibus opponitur. Si autem probat intentum, æquè urget negantes, atque affirmantes,

tes, imò magis urget negantes, quàm affirmantes; nam si verbi causâ non potest affirmari, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, ex eo, quòd non reperiatur Author, qui hoc affirmaverit ante quintum, vel, si mavis, ante septimum sæculum; quomodo poterit negari, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, cùm non reperiatur Author, qui ante sextum decimum sæculum hoc negaverit? Præsertim cùm vivamus sæculo decimo octavo, & nulla hucusque inventa sit repugnantia in eâ expeditione, ob quam possimus nec quidem suspicari, fuisse deceptos eos, qui plusquam mille ante annos illam expeditionem affirmarunt.

900 Etiamsi reperiretur Author antiquus sæculi octavi, vel noni, qui negaret expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, neque ideo dici posset, falsò illam affirmari, nisi ille Author eam probaret impossibilem contra illam asserentes. Si igitur in eo eventu non posset impugnari illa expeditio ab authoritate etiam negante; quomodo post plusquam mille annos oppugnabitur ab authoritate negatâ?

901 Restringere autem authoritatem Scriptorum, narrantium solùm ad eos, qui sunt æquales rei narratæ, vel propemodum æquales, & qui non sint posteriores ducentis annis (quod est figmentum eductum è cerebro Launoii) est merè voluntarium, nullâque ratione fultum, neque aliò tendit, quàm ad evertendam universam fidem Historicorum, qui res scripserunt, non solùm ab Orbe condito, sed etiam à principio Monarchiarum. Quotus enim Author extat æqualis rebus antiquissimis, quæ à Sapientibus Scriptoribus narrantur, & à prudentibus Lectoribus creduntur?

902 Deinde, si credendum est Authori, scribenti post ducentos annos à re narratâ, quia per duo sæcula censetur

ſetur duraſſe Traditionem incorruptam ; quare non credetur Authori, ſcribenti poſt trecentos annos, cùm poſt ipſos Traditio poſſit durare æquè incorrupta?

903 Denique (ut probationem à ratione abſolvamus) valdè abſonum eſt id, quo ſuam Diſſertationem de authoritate negantis argumenti claudit Launoius, nempe quòd ſi quando argumentum ab authoritate negatâ in Dialecticorum regulam : *Ex puris negativis nihil ſequitur*, impingit, *violari debet* (verba ſunt Launoii) *regulæ ratio.* Violari debet Dialecticæ regulæ ratio. .O' præclaram arguendi methodum! Non audent violare Theologi in materiâ Sanctiſſimæ Trinitatis illam regulam: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt idem inter ſe*, etiam loquentes de ineffabili Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed illam conciliant cum diſtinctione Perſonarum, & unitate naturæ, ut videre eſt apud Magnum Suarium lib. 4. de Trinitate cap. 3. maximè numero 8. & 9. & audet Launoius violare rationem regulæ Dialecticæ: *Ex puris negativis nihil ſequitur*!

904 Quod verò Launoius ibidem ait:

> *In ſummâ, hujus rei judicium referendum eſt ad Naturalem Logicam, quæ quo maior eſt in unoquoque homine, & perſpicacior, eò facilius Artificialis Logicæ regulas aſſequitur, & ab iis minus aberrat.*

Ridendum planè eſt; nam videtur novum hunc Aiacem in ſuum ipſius gladium incubuiſſe, quia dum vult violari regulas Logicæ Artificialis, provocat ad Logicam Naturalem, quam fatetur eò perfectiùs aſſequi regulas Logicæ Artificialis, quò perſpicacior fuerit. Si diceret Lannoius, regulas Logicæ Artificialis corrigendas eſſe per Logicam Naturalem, rem quidem abſurdam diceret, ſed maximè idoneam ad confirmandum abſurdum errorem, de violandâ Logicâ Artificiali in gratiam argumenti ab authoritate negatâ; ſed dicens recurrendum ad Logicam Naturalem,

turalem, quia hæc quò perſpicatior eſt, eò faciliùs aſſequitur regulas Artificialis Logicæ, nihil aliud facit, quàm provocare ad judicium, ex quo jam exiit damnatus; nempe ad Tribunal, in quo meliùs obſervantur leges Logicæ Artificialis, quæ Launoium condemnant pro argumento ex puris negativis infeliciter pugnantem.

## §. III.

## *Probatur Assertio ab Exemplo.*

905 NOn ſola authoritas, non ſola ratio oſtendunt, nihil valere argumentum ab authoritate negatâ, ſeu ab omiſſione, vel ſilentio Scriptorum æqualium: ſed maximè multiplex exemplum eorum, quæ ab Authoribus æqualibus prætermiſſa ſunt, & altiſſimo ſilentio involuta; quæ tamen à poſterioribus ſcripta ſunt, & à Sapientioribus credita. Hujuſmodi omiſſionum multiplex extat exemplum, in Sacrâ Scripturâ, & in antiquis Authoribus; pauca ſeligo.

906 Tacent Euangeliſtæ diem Nativitatis Chriſti. Tacent numerum, & dignitatem, & nomina Magorum, qui Chriſtum in Præſepio adoraverunt. Tacent, ipſum ad Columnam alligatum fuiſſe, ut flagellaretur. Tacent ipſius faciem, Berenices Sudario, & defuncti Corporis Imaginem ſindoni impreſſam.

907 Tacent parentes Beatiſſimæ Virginis, eorumque nomina Joachini, & Annæ. Tacent ipſius Nativitatem, Præſentationem in Templo. Tacent ipſius Aſſumptionem, Reſurrectionem, imò & ipſius Mortem.

908 Tacet Sanctus Lucas expeditiones Sanctorum Apoſtolorum, præter aliquot Sancti Petri, & Sancti Pauli, & horum duorum plures omittit: & universè de rebus

à Sacrâ

à Sacrâ Scripturâ omiſſis, Salianus, tomo 5. Annalium Veteris Teſtamenti ad annum 3609. num. 91. ait:

*Quis novit conſilium Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Quam multa optamus à Scripturâ fuiſſe tradita, quæ ſilentio obvoluta ſunt.*

909 Et de omiſſis ab Euangeliſtis ait Theophilus Raynaudus tom. 9. tract. de Sancto Latrone, capite 8. num. 19.

*Non poſſunt certè, quæ piè hâc in parte excogitantur infirmari, aut falſitatis inſimulari, ex eo, quòd in Scripturis non ſunt prodita; nam, ut præmiſit, & rectè expendit Gabriel Biel, certum eſt, Euangeliſtas multa attigiſſe tantum, prætermiſſis, pleriſque adjunctis: alia prorſus prætermiſiſſe, quæ tamen, quod apertè per Prophetas fuerunt prænuntiata, aut certâ maiorum Traditione teneantur, nemo ſanus in dubium revocet.*

910 Neque dici poteſt, ideo ab Euangeliſtis fuiſſe prætermiſſa nonnulla, quia jam antea erant à Prophetis prænuntiata; nam etiam multa ſcripſere ex prænuntiatis in libris Veteris Teſtamenti, addentes, ea facta eſſe, ut implerentur Scripturæ; & de pluribus jam prænuntiatis tacuerunt, prædicta fuiſſe à Prophetis. Exemplo ſit Sanctus Joannes, qui capite 19. verſ. 24. & 25. ait:

*Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illâ, cujus ſit. Ut Scriptura impleretur dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem.*

Et eodem capite verſ. 28.

*Ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.*

& verſ. 36. & 37.

*Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.*

Cùm

Digitized by Google

Cùm præterea multa alia narraverit, quæ prædicta erant, quin tamen prædictionum mentionem fecerit, ut cùm loquutus est de alapâ, quin dixerit, prædictam fuisse à Jeremiâ; de flagellatione, quin addiderit, prædictam fuisse à Davide, de bajulatâ Cruce, quin scripserit, prædictam fuisse ab Isaiâ. Ut alia prætermittam. Quærentibus autem causas hujusmodi præteritionum, respondendum est illud Divi Pauli ad Romanos 11. 33.

> *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?*

911 Hæc de iis, quæ à Sacrâ Scripturâ silentio prætermissa sunt; venio ad Authorum omissiones. Philo, & Josephus, Hebræi, omiserunt totam Historiam Job, ut animadvertit Salianus ad annum mundi 2398. num. 1. Omisit Josephus plures Pontifices Hebræos, ut notat idem Salianus ad annum mundi 2900. n. 5. Omisit plurima de Historiâ Samuelis, ut notat idem Author ad annum mundi 2913. n. 20. & 21. Omisit ferè totam Historiam libri secundi Machabæorum, ut observat idem Author ad annos mundi 3891. n. 71. & 3893. n. 52. ut omittam Josephi plures quàm viginti alias minoris momenti omissiones, ab eodem Saliano variis in locis notatas. Sed non omittam, Josephum silentio præteriisse etiam probaticam Piscinam, miraculis celeberrimam, ut animadvertit post alios Cardinalis Toletus in caput 5. Sancti Joannis, Annotatione 3. ubi loquens de Josepho, ex odio Christi Piscinam tacente, addit:

> *Nec hoc est solùm, multa enim numeratu digna tacuit eâdem de causâ, nec enim Herodis illius facti meminit, quando tot infantes occidit, nec adventûs Magorum, nec complurium aliorum, quæ apud ejus gentem divinè Christus gessit.*

912 Euſebius Cæſareenſis plurima omiſit, non enim ſibi propoſuit ſcribere expeditiones omnium Apoſtolorum, ut ipſe ait libro 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 1. juxta correctiſſimam verſionem Henrici Valeſii, ubi legimus:

> *Satis habeo, ſi non omnium illuſtriſſimorum, certè Servatoris noſtri Apoſtolorum ſucceſſiones in iis Eccleſiis, quæ etiam num celeberrimæ habentur, poſteritatis memoriæ commendare.*

913 Quid igitur mirum, non ſcripſiſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, cùm Eccleſia Hiſpaniæ non eſſet una ex iis, quæ tempore Euſebii celeberrimæ habebantur? Euſebius ſolùm curavit memoriæ mandare, quæ ſpectabant ad ſucceſſionem Eccleſiarum Patriarchalium; ex harum autem numero non erat Eccleſia Hiſpana, ſed tantum Romana, Antiochena, Alexandrina, & Hieroſolymitana.

914 Idem Euſebius variis in locis ſuæ Hiſtoriæ fatetur, ſe plures libros ignoraſſe. Plures etiam Authores omiſit ſponte ſuâ, ut docet Cardinalis Baronius tomo 2. Annalium ad annum Domini 109. n. 59. & ad annum 302. n. 11.

915 Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum plures omittit Scriptores, in iiſque clariſſimum Eccleſiæ lumen Sanctum Auguſtinum, licèt quibuſdam, qui tunc vivebant, ut Soebadius, Didimus, Sanctus Epiphanius, Eunomius, Sanctus Ambroſius, Evagrius, Ambroſius Alexandrinus, Sanctus Gregorius Niſſenus, Gelaſius Cæſareenſis, & Theotimus. Item de pluribus Authoribus ſcripſit, quorum nonnulla opera ipſi incognita fuerunt, ut ipſe aſſerit, ſcribens de Soebadio, Euzoio, Priſcilliano, Sancto Gregorio Niſſeno, Joanne Antiocheno, Gelaſio Cæſareenſe, Theotimo, Dextro, Triphyllo; & Sancto Hilario.

Quid

Digitized by Google

916 Quid memorem Scriptores Ecclesiasticos prætermissos à Genadio, à Sancto Isidoro, à Sancto Ildephonso, ab Honorio Augustodunensi, à Sigeberto-Gemblacensi, à Thrithemio; & (ut alios prætream) à Cardinale Bellarmino? Tot certè Scriptores, tot scripta Ecclesiastica omisit Bellarminus, ut Casimirus Oudin anno 1686. Parisiis ediderit librum, constantem paginis 720. in octavo, inscriptum: *Supplementum de Scriptoribus, vel scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino omissis ad annum* 1460. *vel ad artem Typographicam inventam.* Quod Opusculum in tantam excrevit molem, ut tria ingentia volumina in folio compleverit, quæ edita sunt Lipsiæ, anno 1722. sub hoc titulo: *Casimiri Oudini Commentarius de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis, illorum scriptis tam impressis, quàm manuscriptis adhuc extantibus in celebrioribus Europæ Bibliothecis à* Bellarmino, Possevino, Philippo Labbeo, Guillielmo Caneo, Ludovico Elliâ du-Pin, & aliis, *Omissis ad annum* 1460. *vel ad artem Typographicam inventam.*

917 Ex his colligitur, perperam probandum fuisse non extitisse in rerum naturâ eos Scriptores, quos antiqui Catalogorum Authores omiserunt.

918 Jam verò de factis Historicis, quis nescit, plurima ab antiquis Authoribus prætermissa fuisse? In solâ Historiâ Lusitanarum rerum (ne aliarum gentium Historicos attingam) innumera, eaque clarissima facta, omissa fuisse à Regum nostrorum Chronologis scimus omnes, quæ negari non possunt, cùm ad nos pervenerint per maiorum nostrorum Traditionem, à parentibus in filios derivatam. Et hæc sufficiunt, ut ab exemplo probetur, nihil valere argumentum ab authoritate negatâ, seu ab Authorum silentio, & omissione.

## §. IV.

## *Probatur Aſſertio ab Argumentorum ſolutione.*

919 NE mihi ſuccenſeat lectòr, quòd tempus, chartamque, & atramentum perdam in ſolvendis argumentis nullius ponderis, qualia ſunt, quæ pro argumento ex puris negativis deducto ab illius Patronis fieri ſolent: Nam ſunt nonnulli homines, qui alicui ſententiæ ideo inhærent, eamque mordicùs defendunt, nixi leviſſimis fundamentis, quia illorum ignorant levitatem; alii verò, quia paradoxa defendunt, quia licèt cognoſcant, ea fundamento ſolido carere, exiſtimant tamen fundamentorum, quibus nituntur, levitatem ab Adverſariis non cognoſci. Unum ex iſtis credendum eſt, fuiſſe Joannem Launoium, negantis argumenti Patronum, quem hîc refellendum ſuſcepimus.

920 Primum, & palmare Launoii argumentum, eſt argumentum abnutivi generis, ſeu negans Chriſto, Sacris Authoribus, Conciliis, optimis Eccleſiæ tractatoribus, & Scholæ Magiſtris validum ſemper viſum eſſe; cùm eas præſertim res agitant, quæ in facto, uſu, ac Traditione conſiſtunt: ergo tale argumentum non eſſe universè ſpernendum.

921 Optimè colligit conſequens, ſi verum eſſet antecedens; ſed Launoius optimus artis fallendi Magiſter, peſſimâ fide (hoc eſt ſuâ) affingit Chriſto, Sacris Authoribus, Conciliis, optimis Eccleſiæ tractatoribus, & Scholæ Magiſtris perpetuam approbationem, & uſum argumenti negantis; & ut hoc tutiùs peragat, confundit argumentum inficiale, ſeu ab authoritate negatâ, quod Sapientio-

pientiores rejiciunt, cum argumento consequentis negativi, quod nullus Dialecticus non approbat. Cùm omnes sciant, ex novendecim modis, qui reperiuntur in tribus figuris Aristotelicis, duodecim omninò constare conclusione negante, ex quibus quatuor concludunt universaliter, & octo particulariter. Nullus tamen ex his modis concludit, nec concludere potest ex duplici præmissâ negativâ, quod necesse erat, ut Launoius convelleret illud principium Logicum, statuens *ex puris negativis nihil concludi.*

922 Illud Launoius affingit Christo, Sacris Authoribus, Conciliis, optimis Ecclesiæ tractatoribus, & Scholæ Magistris, quia omnibus exemplis, quæ per centum & quadraginta novem capita profert, vel subtrahit, præmissam affirmativam expressam, vel latentem, vel ipsam se non videre innuit, vel nos ipsam visuros non esse confidit.

923 Longa, & tædii plena res esset ostendere, Launoium totâ illâ suâ Dissertatione per 149. capita nihil aliud agere, quàm celare præmissas affirmativas, vel expressas, vel latentes in exemplis, quæ producit; & quod maximè mirandum est, nonnunquam vult credi, argumentum esse negativum, cùm exprimat latentem præmissam affirmantem.

924 Exemplum celatæ præmissæ affirmantis expressæ in textu, hujusque mutilati, sit ex capite 1. Dissertationis Launoianæ pag. 12. ubi ait:

> *Christus, quod eundem Joannem cap. 8. ex negante propositione negantem deducit*: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

925 Hoc loco Launoius celat præmissam affirmantem, quæ est expressa in Sacro Textu, quem infelicissimè mutilat, cùm non prætermiserit conjunctionem causalem

*Propte-*

*Propterea*, quæ manuducit vel cæcum auditorem, ad præmiſſam celatam, quæ eſt expreſſa in Sacro Textu, ubi legitur:

*Qui ex Deo eſt, verba Dei audit,*
*Propterea vos non auditis,*
*Quia ex Deo non eſtis.*

Exemplum cælatæ præmiſſæ affirmantis, & latentis in Textu, eſt ibidem, ubi Launoius ait:

*Chriſtus Dominus apud eundem Joannem capite* 10. *ſimili modo prorſus differit*: Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.

926 Quo loco Launoius celat præmiſſam quandam affirmantem latentem in argumento, quo Chriſtus probavit, Judæos non credere, quia non erant illius oves, nam ſi eſſent oves, crederent: præmiſſa autem affirmans, quæ latet in verbis Chriſti, eſt iſta: *Omnes qui credunt, ſunt oves meæ*, quæ, ſi addatur verbis expreſſis à Chriſto Domino, conficit ſyllogiſmum colligentem in quarto modo ſecundæ figuræ, hoc pacto:

*Omnes qui credunt, ſunt oves meæ;*
*Vos non eſtis oves meæ:*
*Ergo vos non creditis.*

927 Exemplum argumenti vocati ex purè negativis, cùm tamen habeat expreſſam præmiſſam affirmativam, nobis ſubminiſtrat Launoius in ipſo Diſſertationis limine, in quo miſerrimè labitur, dum ait:

*Chriſtus Dominus, in quo erant omnes ſapientiæ*, & ſcientiæ theſauri abſconditi *apud Sanctum Matthæum capite* 5. *ex affirmante propoſitione, negantem inducit*: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. *Quaſi diceret, eſt civitas ſupra montem poſita: ergo non poteſt abſcondi.*

928 Labitur, inquam, miſerrimè, cùm vocat argumen-

Digitized by Google

gumentum ex purè negativis illud, cui fatetur addi præmissam affirmativam, quâ conficitur syllogismus colligens in tertio modo secundæ figuræ, hoc pacto:

*Non potest civitas abscondi supra montem posita;*
*Hæc civitas est supra montem posita:*
*Ergo hæc civitas non potest abscondi.*

929 Dixi, Launoium vocare hoc argumentum ex puris negativis, quia hoc, & omnia alia argumenta, quæ ab eo producuntur in totâ illâ Dissertatione per centum quadraginta novem capita, ideo producuntur, ut impugnetur illa Logicorum regula: *Ex puris negativis nihil colligi*; unde ad finem Dissertationis, pag. 176. docet, quòd nonnunquam violari debet illius regulæ ratio.

930 In vanum igitur laboravit Launoius totâ illâ Dissertatione, congerendo exempla argumentorum, quæ sibi videbantur, vel finxit sibi visa fuisse, esse ex puris negativis; cùm ne unum quidem proferre potuerit, quod aliquâ præmissâ affirmativâ non constet; nam licèt in omnibus argumentis illis, seu ferè omnibus colligatur conclusio negativa ex antecedente negativo, semper præsupponitur Maior, vel Minor affirmativa; & semper argumentis à se productis aliquam præmissam affirmantem animadvertere potuit Launoius, ut in exemplo proximè allato, quo dixit, Christum ex propositione affirmante induxisse negantem; quod fieri nunquam potest, cùm semper conclusio sequatur debiliorem partem. Et licèt syllogismi, quorum conclusio est negativa, dicantur negativi, tamen dici non possunt ex puris negativis, cùm necessariò contineant saltem implicitè præmissam affirmativam.

931 Deinde, etiamsi concedamus, omnia, quæ ex Sacrâ Scripturâ, Conciliis, Patribus, aliisque gravibus Authoribus collegit Launoius, esse argumenta convincentia, nunquam concedemus, esse omnia ab authoritate

tate negatâ, quod opus erat, ut terreremur argumentis à Launoio productis, ne derogaremus fidem argumentis ab authoritate negatâ in re Hiſtoricâ. Nam argumenta ab authoritate negatâ ſolùm habent vim in rebus habentibus neceſſariam conexionem cum authoritate, non verò in habentibus conexionem ſolùm contingentem cum ipſâ authoritate; multòque minorem vim habent talia argumenta in rebus nullam cum authoritate conexionem habentibus, & quæ reſpectu authoritatis ſunt res diſparatæ, ut clariùs explicabitur in ſolutione tertii argumenti.

932 Secundum argumentum, quo Launoius vult adſtruere fidem argumenti ex purè negativis, proponere volo verbis ejuſdem Authoris, ut lectori conſtet, quàm fide indignus, & quò rapiat hominem veſana novandi libido; ait igitur cap. 150. pag. 177.

> *Sed qui tam falſò, quàm ignoranter dicunt, nihil ullis negantibus probari, ne animadverterunt quidem, à ſevérioribus Dialecticis notari ſolitum negativam conſecutionem aliquando valere*: Semper enim, *inquiunt*, conſecutio valet à negativâ de prædicato finito ad affirmativam de prædicato infinito, ſi modo totum, & ſolum infinitum fiat, ſive, *ut loqui mos eſt*, infinitetur id, quod negatum fuit, nec ſubjectum mutetur, nec ulla propoſitionem anadiploſis afficiat. *Deinde* conſecutio valet etiam, *inquiunt*, ab affirmativâ de prædicato infinito ad negativam de prædicato finito, ſi modo ad tempus præſens, non præteritum, vel futurum propoſitio referatur. *Horum exempla legi poſſunt apud nonnullos ex iis, qui in Ariſtotelis libros de Interpretatione, & de priori Analyſi Commentarios ediderunt.*

933 Hîc lubet dicere cum Horatio in Arte Poeticâ:

*Quid*

Digitized by Google

*Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*
*Parturient montes, nascetur ridiculus mus.*

Unde somniavit Launoius, fuisse quempiam tam ignorantem, ut diceret *nihil ullis negantibus probari*; cùm nemo sit, qui nesciat, conclusionem negativam non posse deduci, nisi influxu unius ex præmissis, quæ sit negativa? Valet equidem consecutio à negativâ de prædicato finito, ad affirmativam de prædicato infinito. Valet enim: *Lignum non est lapis: ergo lignum est non lapis*; valet consecutio ab affirmativâ de prædicato infinito, ad negativam de prædicato finito. Valet enim: *Lignum est non lapis: ergo lignum non est lapis.* Quid inde? Quid hoc ad lemma, cui insistit Launoius? Quod ex hoc sequitur, libenter concedimus Launoio, concedimus Adversariis nostris; nempe, (ut prius proposito exemplo insistamus) *expeditio Hispanica Sancti Jacobi non est scripta ab æqualibus: ergo est non scripta. Est non scripta: ergo non est scripta.*

934 Ex hoc autem argumento Launoii manifestè apparet ipsius mala fides, & nihil aliud velle, nisi captiosè fallere, nam ad quid necesse erat recurrere ad terminos infinitos, seu infinitantes, cùm mille alia exempla posset adducere clariora; nam certum est, ex quâcumque propositione subalternante negativâ inferri propositionem subalternatam negativam, seu ut clariùs dicam, ex universali negativâ inferri particularem negativam; quocirca audiendus est Chrysostomus Javellus tract. 9. de Consequentiis parte 2. §. *Tertia est*: ubi ait:

*Ab universali negativâ ad quamlibet singularem est semper, & universaliter bona consequentia. Nam bene sequitur in omni materiâ tam naturali, quàm contingenti, quàm remota, ut hic: Nullus homo est rationalis: ergo nec iste, nec ille, & sic de singulis. Nullus homo est sapiens: ergo nec iste, nec ille.*

935 Quòd autem ex negatione prædicati finiti, inferatur affirmatio prædicati infiniti, nihil contra nos eſt; certum eſt enim, quòd ex affirmatione unius oppoſiti, benè ſequitur negatio alterius oppoſiti; ex negatione unius oppoſiti, bene ſequitur affirmatio alterius oppoſiti; hoc autem non ex ſolo influxu propoſitionis affirmantis, nam propoſitio negativa non poteſt inferri ex affirmativâ, cùm concluſio ſemper neceſſariò ſequatur debiliorem partem; ſed etiam ex influxu propoſitionis negativæ, utpote debilioris, quam ſequi debet concluſio. Significatum autem termini finiti, opponitur ſignificato termini infiniti, ut obſervat Javellus tract. 3. de Propoſitione cap. 2. fol. 44. a. quia ut idem notat tract. 2. de Partibus Propoſitionis cap. 1. §. *Septima diviſio*, terminus infinitus eſt, qui negat unam naturam, eam ſcilicet, quam ſignificat terminus finitus, & verificatur de quâcumque aliâ, & ideo dicitur infinitus, quod clariùs cognoſcet, qui obſervaverit cum Ittero in Synopſi Philoſophiæ Rationalis Sect. 1. cap. 3. n. 3. terminum infinitum dici etiam terminum negativum, utpote qui ſignificat negationem rei poſitivæ, aut quaſi poſitivæ abſolutam, *ut non homo*, *non lapis*, *non Cerberus*. Sicuti homo, lapis ſunt res poſitivæ, & Cerberus res quaſi poſitiva; & idem eſt hæc negari in propoſitione negativâ termini poſitivi, atque affirmari in propoſitione affirmativâ termini negativi.

936 Et ratio communis omnium dictorum eſt, quia conſequens debet contineri in antecedente, ut evenit in omnibus exemplis, quod non accidit in noſtro caſu, quia non exiſtentia rei, non continetur in non exiſtentiâ ſcripturæ æqualis; poteſt enim res exiſtere, quin extiterit ſcriptura æqualis, & ne recedamus à propoſito exemplo, ex hâc propoſitione: *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non fuit ſcripta ab æqualibus*, non poteſt inferri: *Ergo talis expe-*

*ditio*

*ditia non fuit*; quia existentia illius expeditionis non continetur in existentiâ scripturæ æqualis, sicuti propositio subalternata continetur in suâ subalternante. Sed solùm potest inferri propositio verbi passivi, sic: *Æquales non scripserunt talem expeditionem: ergo talis expeditio non fuit scripta ab æqualibus.* Vel: *Talis expeditio non fuit scripta ab æqualibus: ergo fuit non scripta.*

937 Ratio Dialectica, propter quam non valet hæc argumentatio *illa expeditio ab æqualibus scripta non fuit: ergo illa expeditio non fuit*, est, quia antecedens est propositio de tertio adjacente, & consequens est propositio de secundo adjacente, à propositione enim de tertio adjacente, non potest argui negativè, ad propositionem de secundo adjacente; non enim valet: *Nullus homo est lapis: ergo nullus homo est*; & similiter non valet: *Expeditio Hispanica non est scripta ab æqualibus: ergo talis expeditio non est*; quia sicuti homo est, quin sit lapis, ita illa expeditio est, quin sit scripta: ideo est mala consequentia: *Illa expeditio non est scripta ab æqualibus: ergo illa expeditio non est*; quia in illâ antecedens potest esse verum, quin consequens sit verum; quod est signum malæ consequentiæ, quæ proinde propriè non est consequentia, neque deservit scientiæ adquirendæ, sed potiùs est causa erroris, ut docet Javellus tract. 9. de Consequentiis capite 2.

938 Invitus sane immoratus sum his Dialecticis tricis, sed me coegit Launoius, nos provocans ad severiores Dialecticos in causâ nullius momenti, qualis est illa de propositione termini infiniti, sive negativi, quâ nihil rem suam juvat; ipsum audiamus paulò maiora canentem.

939 Tertium Launoii argumentum pro efficaciâ argumenti ab authoritate negatâ, proponitur ab ipso in Appendice ad Dissertationem de Authoritate negantis argumenti, Animadversione 13. paginâ 250. ubi ait:

*Tum rurſus dicendum, rationem non eſſe potiorem, cur negativa ratiocinatio in rebus merè Hiſtoricis momenti non ſit magni; in materiâ verò Fidei ſit firmiſſimi, id eſt, maximi.*

Quod paucis interjectis, paginâ ſequenti, confirmare nititur Launoius, his verbis:

*Si negativa ratiocinatio in Fidei materiâ momenti ſit magni, in rebus verò Hiſtoricis momenti non poterit non eſſe magni. Quæ enim diſputandi methodus ſufficit, ut dogma Fide Divinâ credendum vindicetur, & contraria illi falſitas deſtruatur; eadem & ſufficiet, ut narratio humanâ tantum fide credenda vindicetur, & contraria illi falſitas deſtruatur.*

940 Propoſui iſtud argumentum eiſdem verbis Launoii, ut ex iis conſtet peſſima hujus Authoris fides, quâ aſſumit ſummâ cum fiduciâ, ea, quæ nullo pacto probant id, quod intendit, quâ de cauſa

941 Reſpondeo primò retorquendo argumentum; nam licèt propoſitio, quæ caret authoritate revelantis, non ſit de fide ſupernaturali, non tamen ideo eſt falſa; nam res, & facta, quæ traduntur in Sacrâ Scripturâ, non erant de Fide, antequam ſcriberentur ab Authore inſpirato, adeo ut ſi quiſpiam, antequam ab Authore inſpirato ſcriberetur mors Chriſti, diceret *Chriſtus mortuus eſt*, non proferret propoſitionem fide ſupernaturali tunc credendam, & tamen proferret propoſitionem veram; ſic licèt propoſitio, quæ non eſt affirmata ab æqualibus, non habeat eam certitudinem, quæ oritur ex teſtimonio æqualium, non ideo tamen dicenda eſt falſa, quia certè antequam ſcriberetur, vera erat, & licèt non ſcriberetur ab æqualibus, poſſet habere certitudinem, quæ ſatis eſſet ad hoc, ut crederetur fide naturali, & humanâ, quæ quò maius eſt teſtimonium, tantò plus poteſt habere certitudinis

dinis (credimus enim maiori certitudine iis, quæ à pluribus, & melioribus asseruntur) potestque crescere usque ad certitudinem moralem, ut notant Patres Complutenses in Logicâ, Disp. 20. quæst. 3. num. 26.

492 Respondeo secundò ad rem: potiorem dari rationem, cur negativa ratiocinatio in rebus merè Historicis momenti non sit magni, in materiâ verò Fidei sit firmissimi, id est, maximi. Et ea potior ratio est, quia ad hoc, ut aliqua propositio sit credenda fide supernaturali, necesse est, ut testimonium habeat ab authoritate Dei revelantis, & non dato hoc testimonio, non potest talis propositio dici credenda de fide supernaturali; cùm ratio formalis Fidei, sit sola Divina revelatio, sine quâ nulla propositio potest pertinere ad Fidem supernaturalem. Ad hoc autem, ut propositio credatur fide humanâ, & naturali, sola requiritur authoritas humana, quæ non restringitur ad solum testimonium extans Scriptorum æqualium; unde à silentio extantium Scriptorum æqualium, non potest inferri, esse falsam ullam rem Historicam, quæ asseratur ab Authore plusquam ducentis, vel trecentis, vel etiam mille annis juniore, dummodo sit Author, qui mendacii non possit eâ in re convinci; cùm rem, quam scripsit, potuerit accepisse à Scriptoribus suo tempore extantibus, quorum monumenta ad nos non pervenere. Sic exempli gratiâ credimus Sancto Augustino in libris de Civitate Dei, plurima antiquissima narranti ex Varronis operibus, quæ ad nos non pervenere. Credimus Diogeni Laertio, & credimus mille aliis, multò se ipsis antiquiora narrantibus, quia habiti sunt Authores graves, & quia in iis, quæ narrant, non possunt mendacii, nec deceptionis convinci; in iis autem, in quibus erroris convincuntur, non credimus neque junioribus, neque antiquioribus, neque antiquissimis, neque ipsis æqualibus,

bus, imò neque ipſis, qui teſtantur ſe vidiſſe, quæ narrant; ſi iſta falſitatis convincuntur. Hinc non credimus antiquis Romanorum Patribus, aſſerentibus Romulum ſublimem raptum procellâ, ut refert Titus Livius lib. 1. cap. 16. licèt non ante multos dies audierimus mira de procellâ, quæ orta eſt die decimâ nonâ Novembris hoc anno 1724. ex quibus & nôs nonnulla vidimus. Non credimus Proculo Julio, aſſerenti Romulum poſt mortem ſe illi obvium dediſſe, ut ibidem legitur apud Livium, qui tamen ait:

*Mirum, quantum illi viro nuntianti hæc fides fuerit.*

Neque ulli credimus fabulæ, à quocumque Authore ſcripta ſit.

943 Quartum Launoii argumentum eſt ex fine Diſſertationis de Authoritate negantis argumenti pag. 178. ubi ait:

> *Quod ſi quis contradicat, & oppoſitum* (hoc eſt non fidendum eſſe argumentis negativis, ſeu ab authoritate negatâ, ſive à ſilentio) *velit admitti, nullus ſupererit fabulas, quæ rei alicujus geſtæ veritati accreſcent confutandi locus. Aut certè, qui contradicet, doceat nos, quâ tandem methodo confutentur, everſâque falſitate veritas deſtruatur. Tunc de hâc opinione decedemus, & oblatas certioris contra mendacium præſcriptionis regulas libenter complectemur.*

944 Tria his verbis proponit Launoius. Unum docet, alterum quærit, tertium ſpondet. Primò enim docet, ſolo argumento à ſilentio æqualium, confutari poſſe fabulas. Secundò quærit etiam methodum confutandi fabulas. Tertio ſpondet, ſe deceſſurum à ſuâ opinione, & accepturum novas leges mendacii deſtruendi. Ad ſingula reſpondebimus.

945 Ad primum dico, argumentum à ſilentio æqualium

lium non esse aptum ad confutandas fabulas, quia argumento à silentio nihil conficitur, ut hucusque probatum est, tam ab authoritate, quàm à ratione, tam ab exemplo, quàm ab argumentorum solutione. Argumento autem, quo nihil conficitur, neque potest falsitas destrui, nec veritas adstrui. Silentium enim æqualium nihil probat, nisi se ipsum, mutato verbo activo in passivum, scilicet: *Hoc tacuere æquales: ergo hoc tacitum fuit ab æqualibus*; quo non potest deveniri in cognitionem veritatis, neque in destructionem falsitatis.

946 Tum etiam, quia non semper tanta est authoritas æqualium, ut eorum dictis teneamur præstare fidem, ut supra notavimus; cùm Authores æquales sæpe scripserint ducti amore, vel odio eorum, de quibus scribebant; ut facilè probare poteram, si vacaret excurrere per Historiam Ecclesiasticam, & Civilem omnium ætatum; unde si non semper possumus ducere argumentum validissimum à clamore Authorum æqualium, quo jure unquam ducemus argumentum validissimum à silentio Authorum æqualium? Quot scripsere Authores æquales, primis rumoribus ducti, quæ postea alii re attentiùs exploratâ, falsa fuisse demonstrarunt? Si veritas invenienda foret in solis Authoribus æqualibus, falsum esset illud commune effatum, nempe Tempus patrem esse veritatis; falsa esset illa sententia Thaletis Milesii, primi inter Septem Græciæ Sapientes, quæ refertur à Diogene Laertio lib. 1. in Vitâ Thaletis: *Sapientissimum tempus invenit namque omnia.*

947 Si in solis Authoribus æqualibus quærenda foret veritas, quàm multa falsissima pro verissimis amplectenda forent; de multis enim Authoribus æqualibus rei narratæ dici potest, quod de Fabio Scriptore Romano dixit Polybius libro 3. ubi ait:

*Sed*

*Sed quorſum hæc de Fabio, & ſcriptis ejus; Nam quo fidem Authori detraham, quandoquidem Scriptorum ipſius vanitas facilè per ſe ipſam legentibus apparet, verum ut ſtudioſos ejus hortemur, ne tam Authoris epigraphen, quàm ipſam rerum geſtarum ſeriem animadvertant; ſunt enim nonnulli, qui non tam ſcripta ab Authore, quàm ipſum amplectuntur Authorem: & quia ille tempore, quo hæc gerebantur, vixit, Senatuique Romano interfuit, nihil ab eo dici poſſe non verum exiſtimant. Ego verò adhibendam quidem in multis huic Authori fidem exiſtimo, haud tamen uſquequaque credendum. Siquidem res ipſæ, quæ, qualeſque fuerint, quomodo conveniant, conſiderandum.*

948 Hoc accidere pluribus aliis Hiſtoricis animadvertit Sapientiſſimus Pater Laubruſſel tractatu de Abuſibus Critices in materiâ Religionis tom. 1. lib. 1. §. 14. pag. 134. ubi obſervat teſtimonium Hiſtoricorum, etiam æqualium, eſſe frequenter recuſabile; & ſaltem pluribus in locis, & caſibus non eſſe ſuſpicione liberum. In cujus confirmationem notat, Zozimum furere in Conſtantinum Magnum, cujus tamen Imperatoris Euſebius agit encomiaſten. Euſebium favere Arianorum partibus, Sacratem verò, & Sozomenum Novatianis. Deinde ex æqualibus alios ductos eſſe partium ſtudio, quod æquè traxit illorum voluntatem, atque intellectum; unde proclive eſt hoc in eorum operibus ſeſe prodere. Paulum Jovium profeſſum fuiſſe, ſeſe ſcripturum de quopiam, juxta cujuſque in ſe merita, ſive calamo argenteo, ſive ſtylo ferreo &c.

949 Nolo ad recentiora exempla devenire, ſed non prætermittam quoddam antiquiſſimum. De Alcibiade ſcripſit Cornelius Nepos:

*In hoc natura quid efficere poſſit videtur experta. Conſtat enim*

Digitized by Google

*enim inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus.*

Deinde plurimis de ipso in utranque partem narratis, subdit:

*Hunc infamatum à plerisque tres gravissimi Historici, summis laudibus extulerunt: Tucydides, qui ejusdem ætatis fuit: Theopompus, qui fuit post aliquanto natus: & Timæus, qui quidem duo maledicentissimi, nescio quomodo, in illo uno laudando consenserunt; nam ea, quæ supra diximus, de eo prædicantur.*

Unde sæpissimè, attentis solis Authoribus æqualibus, contraria scribentibus, veritas ignorabitur, dicendumque est illud Lucani lib. 1. Pharsaliæ v. 125.

*—— quis justius induit arma*
*Scire nefas, magno se judice quisque tuetur.*

950 Ad secundum dico, veram methodum investigandæ veritatis, & destruendæ falsitatis, esse illam ipsam, quam ex Joanne Baptistâ Thiers, & Hadriano Valesio describit ipse Launoius in Animadversionibus in exercitationem Joannis Baptistæ Thiers adversus Dissertationem Joannis Launoii, de Authoritate negantis argumenti, Animadversione 15. pag. 255. ubi ex Hadriano Valesio, Dissertatione de Basilicis Francorum cap. 6. dicitur:

*Qui verum investigant, æquales maximè, aut subpares Authores sequi debent, etsi graves, & docti sint: si æquales, atque etiam subpares desunt ad proximos quoque subparibus est decurrendum: deficientibus & proximis; ad insequentes, & posteriores necessariò veniendum. Ex posterioribus, recentioribusque sequenda est præcipuè eorum authoritas, & fides, qui judicio, doctrinâ, diligentiâque præcellunt. Si nihil Historiæ* (nota diligenter) *nihil moribus, institutisque eorum temporum, quæ memorant, repugnans, atque contrarium reperiatur.*

951 Neque contra iſtam methodum quidpiam evincunt, quæ ipſi opponit captioſiſſimè Launoius, dicens ipſâ ſterni viam, admittendis quibuslibet narrationibus fabuloſis. Nam tres narrationes fabuloſæ, quas in exemplum ſtatuit, non poſſunt admitti ab eâ methodo, quæ non admittit quidpiam repugnans Hiſtoriæ, moribus, inſtitutiſque temporum, quæ memorant. Tres enim narrationes illæ repugnant Hiſtoriæ, & moribus, inſtitutiſque eorum temporum, quæ memorant; unde à ſuperiori methodo excluſæ, & deſtructæ remanent; methodus verò ſtabilis, & inconcuſſa perſeverat.

952 Deinde, neque iſta methodus neglecta, vel contempta fuit à graviſſimis Scriptoribus, ſed potiùs ab ipſis ſummâ cum laude uſurpata maximè ab Heroibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cæſare Baronio, Jacobo Saliano, Auguſtino Torniello, & Henrico Spondano.

953 Neque iſti methodo repugnat ſententia Cardinalis Baronii, quâ abutitur Launoius in Diſſertatione de Authoritate negantis argumenti cap. 128. pag. 145. ubi inducit Baronium tom. 1. Annalium, dicentem:

> *Quòd à Recentiore Authore de rebus antiquis, ſine alicujus vetuſtioris authoritate profertur, contemnitur.*

954 Hâc Baronii authoritate abutitur, ut dixi, Launoius, ait enim:

> *Cæſar Cardinalis Baronius tom. 1. Annalium, hoc abnutivum, tamquam certam ſibi proponit regulam, quâ injectas in Hiſtoriam fabulas excindat.*

Cùm tamen Cardinalis Baronius, (ut ſupra §. 1. vidimus) tom. 1. ad annum Chriſti 47. num. 3. loquens de argumento à ſilentio, dicat:

> *Adeo ut inanis prorſus reddatur illa argumentatio ſuâ naturâ alioqui invalidâ: Lucas non ſcripſit: igitur non ſunt facta.*

Quis

Digitized by Google

Quis credat, prudentissimum Cardinalem proposuisse sibi, tamquam certam regulam, argumentationem, quam judicat naturâ suâ invalidam, & prorsus inanem? Longè alia mens fuit Cardinalis Baronii, dum dixit, *quòd à Recentiore Authore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris authoritate profertur, contemnitur.* Non postulavit testimonium Authorum æqualium, sed vetustiorum, non contemnit Authores antiquos de rebus antiquioribus loquentes, sed Recentiores de rebus antiquis, sine vetustiorum authoritate scribentes, neque enim nos dicimus, credendum esse Authoribus hesternis, loquentibus de rebus antiquissimis, sine authoritate Scriptorum, qui superioribus sæculis vixerunt. Nam Authores hesterni habuerunt eosdem antiquos libros, quos habent hodierni; Scriptores autem, qui vixerunt sæculis superioribus, habuerunt plura monumenta, quæ ad nos non pervenere, ut supra ostendimus; & ideo ipsis, si fuere Authores graves, & recti judicii, credimus in omnibus rebus etiam antiquissimis, quas asserunt, & legisse potuerunt in monumentis, quæ jam nostrâ ætate non extant.

955 Et tantum abest, ut Baronius deroget fidem Authoribus, qui non sunt æquales, vel suppares rebus narratis, ut potiùs eodem loco, qui affertur à Launoio capite citato pag. 146. & 147. alleget Sanctum Gregorium VII. & Rodericum Ximenium, Authores plusquam mille annis juniores re narratâ. Unde Joannis Launoii abundè deprehensa est fallendi ars.

956 Ex eo autem, quòd deneganda sit fides Authoribus hesternis in iis, quæ sine authoritate præcedentium dicunt, enervatur, quod sequitur, argumentum.

957 Quintum argumentum pro argumento à silentio, sive ab authoritate negatâ adducitur à Clarissimo Viro Paulo Ignatio de Dalmasses, Protho-Chronologo

Principatûs Gotholanici ( cujus humanitatem expertus ſum Barcinone) in Diſſertatione Hiſtoricâ de Patriâ Pauli Oroſii cap.10. n.10. pag. 107. ubi Sermone Hiſpanico ait, quæ hîc latinè affero:

> *Certum eſt, quòd ſi hoc argumentum* ( loquitur de argumento ab authoritate negatâ ) *non haberet vim, quiſque, quin timeret, & perhorreſceret falſitatis convinci, ſuumque dolum detegi, poſſet ex arbitrio ſuo addere Hiſtoriis quidquid ſibi viſum eſſet, vel quidquid foret è re ſuâ.*

958 Enervatur, inquam, hoc argumentum, quia non concedimus Scriptoribus hodiernis poteſtatem quidlibet audendi in re Hiſtoricâ, ſine maiorum authoritate, ſine prædeceſſorum teſtimonio; ſolùm dicimus, non denegandam eſſe fidem Authoribus antiquis, & gravibus, licèt non ſint æquales, vel ſuppares rei narratæ.

959 Et licèt Clariſſimus Dalmaſſes utatur argumento ab authoritate negatâ, non diffitetur, id eſſe debile, ut videre eſt eodem capite 10. à numero 5. ad 9. & n.11.

960 Si autem debile eſt argumentum ab omni authoritate negatâ, ſeu à ſilentio omnium Scriptorum; quantò debilius erit argumentum à ſilentio æqualium, ſive ſupparium rei narratæ, cui nititur vires addere totius antiquitatis hoſtis Launoius?

961 Ad tertium dico, Launoium non fuiſſe ſtaturum promiſſis; nam cùm leges à Valeſio, & Joanne Baptiſtâ Thiers præſcriptas non acceperit, licèt aptiſſimas adſtruendæ veritati, & deſtruendæ falſitati, ſperari non poterat ſuâ opinione deceſſurum hominem tenaciſſimum, qui neque ceſſurus eſſet Sancto Auguſtino Epiſtolâ 40. aliàs autem 9. cap.4. n.7. dicenti:

> *Quare arripe, obſecro te, ingenuam, & verè Chriſtianam cum caritate ſeveritatem, ad illud opus corrigendum, atque emendandum, & palinodiam, ut dicitur, cane.*

*Incom-*

*Incomparabiliter enim pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum.*

Launoio etenim, ut olim Ciceroni lib. 4. Epistolâ 5. ad Atticum, subturpicula esse palinodia visa est, hinc opinione non decessit; illi tamen gratias agimus, quòd sententiæ suæ nomen indiderit opinionis, quæ semper habet adjunctam formidinem partis oppositæ, & versatur circa objectum, quod potest aliter se habere; & cui non repugnat dari de ipso opinionem contrariam; unde ruit certitudo illius Launoiani principii dictantis, non esse credendum nisi Authoribus æqualibus, & supparibus, quibus silentibus de re quâpiam, hæc ad fabulas sit ableganda.

962 Aptissimam autem methodum discernendi pias Traditiones à popularibus erroribus, tradit Doctissimus Vir Honoratus à Sancta Mariâ, ex Carmelitarum Nudipedum Sanctissimo, & Sapientissimo Cœtu optimus veritatis, & pietatis vindex, dignus Magnâ Matre Divâ Teresiâ filius, in opere Gallicè conscripto, cui titulus *Reflexiones super regulis, & super usu Critices* tom. 2. Dissertatione 3. pag. 110. & sequentibus, quæ novem absolvitur regulis infra scriptis.

I. Traditio pia nulla sine probatione materiæ consentanea recipiatur.

II. Traditio recipienda nil contineat fabulosum, nil ridiculum, nil impossibile, nil superstitiosum.

III. Opus est, ut possit rationabiliter præsumi Ecclesiam, Episcopos, alioque, qui primò recepere Traditiones pias, id non feciſſe sine fundamento, licèt hoc nobis sit incognitum.

IV. Debet investigari, an sit locus dubitationi circa usus, & facta; si autem fuerit locus dubitationi, necesse est haberi probationes apertas, certas, & evidentes, ut possit demonstrari falsitas narrationis.

V. Hæ

V. Hæ Traditiones piæ, & uſus, ut recipiantur, nihil debent habere contrarium uſibus eorum temporum, quorum eſſe dicuntur, neque rebus jam receptis, aut oppoſitum ſtatui, aut conditioni perſonarum, ad quas ea facta ſpectant.

VI. Debet obſervari, an detur quæpiam manifeſta contradictio circa rerum ſubſtantiam, an tantum circa circunſtantias, quæ non cohærent facto principali.

VII. Ut recipiantur tutò hæ Traditiones, hi uſus, hæc facta Hiſtorica neceſſe eſt quælibet hæc nunquam fuiſſe directè impugnata, & rejecta ab Authoribus illis æqualibus, aut ab aliis, quorum authoritas nos poſſit cogere ad credendum, ea fuiſſe falſa.

VIII. Neceſſe eſt, ut poſſit aptè, & rationabiliter reſponderi, & fieri ſatis difficultatibus, quæ opponi poſſunt iis Traditionibus, uſibus, & factis.

IX. Quando autem in iis Traditionibus, vel uſibus reperiretur quidpiam, quod non poſſet perfectè accommodari omnibus iis regulis, non ideo tamen ſupprimendæ, & rejiciendæ ſunt hujuſmodi Traditiones. Si illarum ſuppreſſio futura erit maiori ſcandalo, quàm ipſe abuſus, qui tolli intenditur. Et niſi eſſet melius tolerari illud, quod non poteſt ſupprimi, aut impugnari, quin magnum quoddam inde proficiſcatur ſcandalum.

Has leges ſapientiſſimè ſtatuit Optimus Criticus Pater Honoratus, quibus, qui paruerit, nunquam contra veritatem, nunquam contra pietatem peccabit.

*963* Harum enim legum, uſu, & obſervantiâ obtinebitur ſine diſpendio pietatis cognitio certiſſima veritatis Hiſtoricæ, quâ maiorem fruſtra quis deſiderabit, in hujus generis quæſtionibus, quocirca audiendus eſt Edmundus Purchotius, in Logicâ, Parte 2. Sect. 1. cap. 3. præcepto 2. ubi ait:

*In*

Digitized by Google

*In quæstionibus facti, aut in iis, quæ ad Historiam pertinent, frustra Metaphysicam, aut Geometricam certitudinem requireret aliquis; cùm sola certitudo moralis sufficiat, id est, ea certitudo, quæ secundum vivendi morem in publicâ hominum societate usurpatum, admitti solet. Eaque non ex nudo facto, aut ex possibilitate tantum alicujus rei, vel ex unâ, aut alterâ, quæ hujus affertur ratione, sed ex omnibus circunstantiis, aut ex omnibus rationibus simul sumptis est dijudicanda. Tametsi enim singulæ rationes, quæ de facto aliquo afferuntur, probabiles tantum sint, non demonstrantes, omnes tamen simul sumptæ, & ad circunstantias illius comparatæ, vim demonstrationis habere possunt.*

## §. V.

## *Probatur Assertio ab Inconvenienti.*

964 ETsi inutilitas argumenti ab authoritate negatâ non probaretur efficaciſſimè ab authoritate, à ratione, ab exemplo, ab argumentorum ſolutione, quibus oſtendimus, illud eſſe non niſi contemptu dignum, tamen jure meritò profligandum eſſet, ut perniciosiſſimum Reipublicæ literariæ, quippe quod eſt peſtis importuniſſima, & infeſtiſſima toti Hiſtoriæ.

965 Inconvenientia, quæ ſequuntur ex argumento ab æqualium, ſeu ſupparium authoritate negatâ, ad tria capita reduxit Doctiſſimus Pater Honoratus à Sanctâ Mariâ in opere citato tomo 2. lib. 1. Diſſertatione 2. articulo 2.

966 Primum incommodum, quod ſequitur, admiſſo argumento à negatâ authoritate æqualium, vel ſupparium eſt, reddi ſuſpectam univerſam Hiſtoriam Veteris Teſta-

Teſtamenti, quæ ſcripta non eſt in libris Canonicis, inutiliſque redditur lectio Joſephi, fruſtraque laboravit Salianus, dum ſex volumina, Annalium, Veteris Teſtamenti ſcripſit. Fruſtra eandem Spartam ornarunt duobus voluminibus Torniellus, uno Henricus Spondanus; unò, & altero Natalis Alexander, ut alios præteream. Nam quidquid àfferant, præter illa, quæ ſcripta ſunt in libris Canonicis, erutum eſt ex Authoribus ſequioris ætatis, ac proinde non æqualibus, neque ſupparibus rebus narratis.

967 Secundum incommodum eſt, quia admiſſo argumento à negatâ authoritate æqualium, vel ſupparium, magna ruit pars Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, (addo & Civilis) quæ ſcripta eſt à graviſſimis Authoribus, non tamen æqualibus, vel ſupparibus. De quot enim Traditionibus piis actum eſſet, eâ argumentorum fæce adminiſsâ? Quot in Eccleſiâ pro compertis, & exploratis habita, quæ ſi ad Authores æquales, aut ſuppares recurrendum eſſet, falſiſſima judicarentur? Quot in Eccleſiâ Beati Viri coluntur, quos Beatos eſſe nulli eorum æquales, aut ſuppares atteſtantur? Quot miracula contigiſſe credimus, de quibus altiſſimum eſt apud æquales, vel ſuppares Scriptores ſilentium? Quot Sanctorum Reliquias reveremur, quibus nulli Authores æquales, vel ſuppares, nulla æqualia, aut ſupparia monumenta ſuum præſtant teſtimonium? Quot denique de Sanctorum vitis palam, ac publicè leguntur in Eccleſiâ Catholicâ narrationes, quæ ab æqualibus, vel ſupparibus editæ non inveniuntur? Ut ſapienter exclamat, & Chriſtianè ingemit Joannes Baptiſta Thiers.

968 Ad quæ omnia Launoius reſpondet ineptiſſimè Animadverſione 2. de Joanne Thiers hæc exclamante, quinquies repetit:

> *Sic innuere videtur veritatem, & Eccleſiam hominum indigere mendacio.*

Quibus

Quibus verbis alludit ad illud Job 13. 7.

*Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo laquamini dolos?*

in quem locum Estius ait:

*Rectè hoc usurpatur contra illos, qui falsa confingunt miracula, quasi pro honore Dei, & Sanctorum.*

Illa tamen verba pravè usurpat Launoius contra Joannem Baptistam Thiers, qui illis interrogationibus nulli mendacio, sed veritati patrocinatur. Launoius autem ablegat ad fabulas quidquid ab Authoribus æqualibus scriptum non est, utpote, qui confundit cum fabulis Historias verosimiles, & cum erroribus popularibus probabiles Traditiones, ut de aliis Criticis ait supra citatus Honoratus à S. Mariâ lib. 1. Dissertatione 2. articulo 2. §. 5.

969 Tertium inconveniens, quod sequitur ex sententiâ relegante ad fabulas quidquid prætermisere Authores æquales, vel suppares rebus narratis, est, plurima facta præcidenda esse ex libris, quos scripserunt illi ipsi, qui se jactant Critices vindices, & veritatis ultores, ut sunt Tillemontius, Baillet, & Dupin, cum Natali Alexandro, nam & isti etiam commiserunt ipsa, quæ in aliis vindicarant, ut de quolibet eorum dici possit, quod de C. Licinio Stolone dixit Valerius Maximus lib. 8. cap. 6. num. 3.

*Suâ lege cecidit, ac docuit, nihil aliud præcipi debere, ni quod prius quisque sibi imperaverit.*

Nam hi omnes plurima scripsere, de quibus apud æquales, vel suppares Authores nil reperitur, nisi altum silentium.

970 His tribus inconvenientium capitibus à Patre Honorato notatis, addi posset maximum illud, quod inuit Natalis Alexander loco citato supra Assertione 44. num. . . . dum dicit:

*His adde, argumenta ab authoritate negativâ nullius prorſus eſſe ponderis, alioquin labeſcerent inſigniora noſtræ Fidei myſteria.*

Sed hoc prætermiſſo, maximum inconveniens argumenti negativi eſt eſſe fallax, & errori obnoxium, ut teſtatur Antonius Pagi, eâdem Aſſertione citatus. Eſſe gladium ancipitem in manu furioſi, ut ait ibidem citatus Pater Laubruſſel.

971 Conſona his antea dixerat Doctiſſimus Benedictinus Joannes Mabillon tract. de Studiis Monaſticis, tom. 2. cap. 13. pag. 367. ubi ſcripſit:

*Sæpiſſimè evenit quoſdam primam negativam argumentandi rationem, vehementi adeo, furioſoque impetu proſequi, ut firmiores etiam, atque inconcuſſas veritates ex hujuſmodi ratiocinii abuſu condemnent.*

972 Hùc accedit, argumentum negativum eſſe familiare Hæreticis, ut docet citatus Gilius, eſſe Herculeam (hoc eſt fabuloſam) Hæreticorum clavam, ut vidimus ex Harpersfeldio. Hoc argumento impugnant Lutherani Catholicam Purgatorii veritatem, ut alia prætermittam. Hoc argumento Proteſtantes, nihil certi in Hiſtoriâ relinquunt, ut animadvertit Fleures in Præfatione tomi 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Sed quod ſanguineis lacrimis deplorandum eſt, quod etiam Catholici nonnulli, ut notat idem Fleures, ut videantur docti peſſimâ Hæreticorum æmulatione in hunc errorem trahuntur. Sunt enim, qui non audent credere miracula, neque viſiones, timentes videri minus ſimplices, non enim animadvertunt hæc debilia ingenia (quæ Galli per ironiam, vel antiphraſim vocant fortia) ruere Religionem, niſi illi ſubſternatur pro fundamento fides habita factis ſupernaturalibus, neque videntur recordari multò potiùs ab his ſenſibilibus Omnipotentiæ Divinæ probationibus, quàm

Digitized by Google

quàm à concionibus, & disputationibus conversum fuisse mundum, abjeciſſeque vanam idololatriæ superstitionem, ut ibidem observat Fleury.

973 Egregiè autem falluntur, qui argumenti negativi usu opinionem eruditionis, & sapientiæ reconditioris volunt aucupari. Nemo enim credet utentem argumentis ab authoritate negatâ, tot instructum esse eruditionis præsidiis, quot necessaria sunt, ne usu illius argumenti fallamur, quocirca audiendus est Sapientissimus Mabillon loco citato, ubi ait:

> *Ne in praxi argumenti merè negativi fallamur, necessum est nedum singulos evoluisse Scriptores, ex quorum silentio tale argumentum eruitur, sed insuper nullatenus ambigere, num aliqui nobis desint, qui fuerint ipsius contemporanei; contingere nanque potest, quòd Author, cujus scripta ad nos usque minimè devenerint, rei alicujus mentionem fecerit, quæ tamen à cæteris fuerit prætermissa. Præterea certi simus oportet, quòd nihil de iis, quæ evenerunt in materiâ, de quâ agitur, Scriptorum illius ævi, qui nobis supersunt, solertia præterierit.*

974 Siquis autem de se tantum habeat polliceri, audiat illud Sancti Pauli Apostoli, alloquentis Romanos occasione cujusdam altercationis (ut ait Estius in cap. 12. ad Romanos vers. 3.) *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*; hoc est, ut vertit Sanctus Joannes Chrysostomus Homil. 20.

> *Nequis arroganter de se sentiat, præterquam oporteat de se sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit.*

Cui succinit Guillielmus Estius hîc:

> *Nequis de donis Dei plusquam accepit, sibi arroget, nec limites talenti sui prætergrediatur: quomodo si quis merus Grammaticus, aut linguarum peritus de Controversiis Theologicis censuram usurpet.*

975 Ex non audito hoc Apoſtoli præcepto factum eſt, ut plures ex argumenti negativi uſui deditis Apoſtolicæ cenſuræ ſubjacuerint, prohibitis à Sede Apoſtolicâ pluribus eorum libris, ut fuere Joannes Launoius, Natalis Alexander, Elias Dupin, aliique ſimiles. Et hæc ſufficiant pro diluendo argumento ab authoritate negatâ, ſeu à ſilentio in rebus Hiſtoricis.

## SECTIO VII.

### *Aſſeritur, clamorem quorundam Recentium Scriptorum non officere ſententiæ affirmanti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.*

976 ETſi apud Doctos non magni ponderis ſit authoritas Recentiorum, tamen apud indoctos (quorum ubique maior eſt numerus) plurimi fieri ſolet, quippe cùm ignorent momenta rationum, quibus unaquæque res ſtabilitur, ſatis habent ſequi quemlibet Authorem, in quem inciderint, & more diſcipulorum Pythagoræ, reddunt pro ratione ſimplex illud *Ipſe dixit.* Cùm autem Sanctus Paulus ad Romanos cap. 1. v. 14. dixerit: *Sapientibus, & inſipientibus debitor ſum.* Et Guillielmus Eſtius hæc verba ſic expoſuerit:

> *Sapientes intelligit eos, qui vulgò ſapientes dicebantur, id eſt, ſæculari Philoſophiâ imbutos, inſipientes verò, qui illâ ſapientiâ carebant. Aut generaliter ſapientes, doctos; inſipientes, indoctos.*

Æquum eſſe arbitratus ſum, ut qui hucuſque in hâc Diſſertatione laboravi ſapientibus, ſeu doctis morem gerere, removendo ea, quæ ſententiæ afferenti expeditionem Hiſpa-

Hiſpanicam Sancti Jacobi videbantur repugnare ; tandem inſipientibus , ſeu in doctis proficere , ipſis aperiendo , eos hâc in quæſtione non debere moveri clamoribus Recentiorum , neque eorum in verba jurare. Non enim apti ſunt antiquis rebus docendis Magiſtri , qui verè cum Baldado Suhite apud Job cap. 8. verſ. 9. dicere poſſunt : *Heſterni quippe ſumus , & ignoramus* ; quo ille rationem reddidit illius , quod prudentiſſimè dixerat verſ. 8. nempe : *Interroga enim generationem priſtinam , & diligenter inveſtiga Patrum memoriam* ; in quæ verba audiendus eſt inclytus Auguſtinianus , inter Sacræ Scripturæ Interpretes à ſapientiâ , & ab eruditarum linguarum peritiâ laudatiſſimus Didacus à Stunicâ hîc :

> *Baldad citat ſuperiorum temporum memoriam. Doctrina verò per manus piorum , Religioſorumque virorum , ad nos traducta , debet etiam haberi pro oraculo.*

Inſultent ergo heſterni , & hodierni Pſeudocritici , nobis pias Traditiones amplectentibus. Rideant piorum , & Religioſorum hominum eruditos labores ; ſed non de pietatis oppugnatoribus , non de Pſeudocriticis , non de Recentioribus , ſed de Viris generationis priſtinæ , de maioribus noſtris , dixit Baldad verſ. 10.

> *Et ipſi docebunt te , loquentur tibi , & de corde ſuo proferent eloquia.*

Ergo nihil curandum eſt , quidquid contra antiquiores obtrudunt Recentiores. Hocque circa expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi , hâc Sectione ſuſcepi oſtendendum.

977 Quia autem in duos manipulos dividi poſſunt Recentiores , qui contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi pugnant ; alii enim ſolùm negant illam expeditionem , nullâ probatione productâ ; alii verò illam negant , & collectis undique leviſſimis fundamentis , oppugnare

nare tentant. Ideo duabus ſequentibus Aſſertionibus eorum teſtimonia elevare aggredior. In unâ oſtendam, non officere ſententiæ affirmanti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi Recentiores, qui illam negant, quin ullum producant fundamentum ſuæ negationis. In alterâ demonſtrabo, non officere eidem ſententiæ Recentiores, qui illam levibus fundamentis oppugnare tentant.

978 Utrique Aſſertioni duodecim fundamenta præjacio, totidem ſcilicet leges, quas olim mihi præfixi, ut juxta eas Hiſtoriam ſcriberem, ut conſtat ex Actis Regalis Academiæ Anno primo, die 9. Octobris anni 1721. quæ etiam mihi deſerviunt ad ferendum judicium de aliis Scriptoribus, & ſunt:

979 I. *Nihil ſcribito contra Breviarium, vel Miſſale, vel Martyrologium Romanum.*

Hanc legem præſcribunt, & veritatis amor, obedientiæ obſequium, & prudentiæ cautio. Veritatis amor, quia Eccleſia eſt *Columna, & fundamentum veritatis*, ut docet Sanctus Paulus 1. ad Timotheum cap. 3. verſ. 15. *Quiſquis enim contra Eccleſiam ſapit, deſipit*; ut ſapientiſſimè dixit Comptonus in Phyſic. Diſp. 12. Sect. 3. num. 1. Obedientiæ obſequium. Ait enim Divus Paulus ad Romanos cap. 13. verſ. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Prudentiæ cautio, quia ut eodem capite verſ. 2. monet Sanctus Paulus: *Qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt.* Et ſcimus, plures Authores damnatos fuiſſe, multoſque libros fuiſſe prohibitos, quia improbabant ea, quæ ab Eccleſiâ probata fuerant. Et docet Bordonus in Sacro Tribunali cap. 2. num. 50. eſſe temerariam eam propoſitionem, quæ adverſatur propoſitioni expreſſæ in Breviario, vel Miſſali Romano.

980 Hujus etiam prudentiæ nos admonet illud Pollionis apud Macrobium, Saturnal. lib. 2. cap. 4. *Non eſt facilè*

Digitized by Google

*facilè in eum scribere, qui potest proscribere.* Nam scimus, non semel fuisse proscriptos libros, qui adversabantur Breviario approbato à Romano Pontifice. Et factum illud Phavorini, hominis Galli, qui, ut ex Philostrato scribit Gerardus Joannes Vossius, lib. 2. de Historicis Græcis, cap. 10.

> *Ab Adriano Cæsare aliquando culpatus ob sermonem, quem defendere optimâ ratione posset, silere maluit. Reprehendentibus hoc amicis, dicebat, nolle sibi cum eo negotium esse, qui triginta haberet legiones.*

De authoritate Breviarii Romani latiùs dicemus ad calcem hujus Dissertationis in Appendice de hâc re.

981 II. *Ne impugnato Traditiones Ecclesiarum, nec de illis dubitato.*

Hanc etiam legem præscribunt veritatis amor, charitas Christiana, & prudentiæ cautio. Veritatis amor, quia ut ait Plinius in Panegyrico ad Trajanum: *Melius quippe omnibus, quàm singulis creditur: singuli enim decipere, & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.*

982 Charitas Christiana; audiendum est enim illud consilium, quod Sanctus Ambrosius dedit Sancto Augustino, ut hic testatur Epistolâ 54. (aliàs 118.) ad Januarium, capite 2.

> *Tu ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

De quo consilio ait eodem loco Sanctus Augustinus.

> *Ego verò de hâc sententiâ etiam, atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cœlesti oraculo acceperim. Sensi enim, sæpe dolens, & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ authoritate, neque universalis Ecclesiæ Traditione, neque vitæ corrigendæ*

*gendæ utilitate, ad certum poſſunt terminum pervenire (tantum quia ſubeſt qualiſcumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſuâ Patriâ ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem ſuam, quò remotiorem à ſuis, eò doctiorem factam putat) tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi, quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.*

983 Prudentiæ cautio, quia ex impugnatione Traditionum Eccleſiarum innumera naſcuntur diſſidia, & cùm nulla ſit Eccleſia, quæ plurimos, eoſque doctiſſimos non habeat propugnatores, imprudenter unus multos laceſſet; cùm nec Hercules contra duos; & huc aptari poteſt illud Plutarchi, dum in vitâ Theſei loquitur de Minoe.

*Equidem palam tum apparuit, eos rem gravem ſubire, qui cum urbe facundâ, & doctâ inimicitias ſuſcipiunt. Nam Minos in theatris Athenienſium conviciis laceratus eſt. Neque ei profuit Heſiodus, ſummum eum Regem appellans; neque Homerus, colloquio Jovis uſum dicens: quin Tragici prævalerent Poetæ, qui de pulpito, & in Scenâ, iniquitatis, & violentiæ magna ipſum infamiâ onerarunt.*

984 Expertus eſt Cardinalis Baronius, quanti ſtet provocaſſe non ſolùm urbem, ſed Regionem facundam, & doctam, ut teſtatur Spondanus ad annum Chriſti 44. num. 4. dicens:

*Adverſus Baronium conſurrexit pro ſuarum Eccleſiarum Traditione univerſa Hiſpania, multis eâ de re à quocumque hominum genere editis ſcriptis.*

985 III. *Nihili ducito argumenta purè negativâ.* Hujus legis æquitas abundè oſtenſa eſt Aſſertione præcedenti.

986 IV. *Ne credito Authori Hæretico, in re ſpectante ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam.*

Lex

Lex ista fundatur in doctrinâ Melchioris Cani, Critici emunctissimæ naris, ex Ordine Prædicatorum, Episcopi Canariensis, lib. 11. cap. 5. in fine, ubi ait:

> *Illud tenendum est, nervos, atque artus esse sapientiæ non temerè credere: iis præsertim Historicis, qui quoniam Fidem Divinam violarunt, fidei humanæ authoritatem amiserunt.*

987 Fundatur in sententiâ Sancti Leonis Magni, qui in Epistolâ ad Leonem Augustum, quæ in veteribus Codicibus est 78. in tom. Conciliorum est 76. & in tomo 1. Epistolarum Decretalium Summorum Pontificum est 84. pag. 257. ait:

> *Detestandum ergo nobis est, perseveranterque vitandum, quòd fraus Hæretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem piè, & plenè diffinita revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum, ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia, Propheticis, & Euangelicis, & Apostolicis authoritatibus consonare.*

988 Vel ipse M. Tullius Cicero suum huic Legi addidit suffragium, dum in Oratione pro M. Fonteio dixit:

> *Testibus, Judices, non credere cupidis, & iratis, & ab religione remotis, non solùm potestis, sed etiam debetis.*

Quis autem nescit, Hæreticos esse Ecclesiæ detrahendi cupidos, adversusque illam non solùm iratos, sed etiam conjuratos, & à Sanctâ illius Religione remotos.

989 Legi etiam assistit ratio; nam quomodo Historicus, qui amator est veritatis, illiusque assertor, & vindex, sequetur Authores Hæreticos? Hæreticus, (ut ait Sanctus Ignatius Martyr Epist. 14. ad Ephesios, apud Bibliothecam Patrum Anissonianam tom. 2. parte 1. pag. 90. columnâ 2. litera G.) *est mendax, fraudulentus, assentatione, & adulatione gaudens: subdolus.*

990 Deinde, cùm Hiſtoricus ſequi debeat ſententias apud doctos receptiores, & communiores, neceſſe eſt, ut caveat Hæreticos Scriptores, de quibus Divus Bernardus Sermone 65. in Cantica ait:

*Omnibus unà intentio Hæreticis, ſemper fuit captare gloriam de ſingularitate ſcientiæ.*

991 Conſonant hæc, quoad ambitionem gloriæ, his, quæ dixerat Sanctus Juſtinus Martyr libro de neceſſariis quibuſdam Quæſtionibus, explicatione 4. apud Bibliothecam Patrum Aniſſonianam tom. 2. part. 2. pag. 113. col. 1. litera B. nempe:

*Manifeſtò conſtat gloriæ captandæ, aut Hæreſiarcharum, ſectarumque principum adverſus alios propugnandorum ſtudium hæreſes omnes, ut inſtituantur, cauſam habere.*

992 Accedit, nefas eſſe in materiâ Religionis eos ſequi Authores, qui cùm ſint Hæretici, ex profeſſo tamen de Religione tractant; in Hiſtoriâ autem Eccleſiaſticâ, qualis eſt, quam mihi ſcribendam impoſuit Regalis Academia, ex profeſſo de Religione tractatur, ut de quâcumque Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ dixit ex noſtris Pater Delbene, de Officio Sanctæ Inquiſitionis parte 1. dubitatione 36. Corollario 4. n. 5. ubi refert Toletum, Suares, Sanches, Fagundes, Oviedo, Pelliſarium, & alios id paſſim docentes.

993 Confirmatur hæc lex validiſſimè ex eo, quòd Hiſtoriæ ab Hæreticis conſcriptæ, non admittuntur in cauſis Canonizationis, quod habet locum etiamſi Hæreticorum, & Infidelium Hiſtoriis Fidelium ſcripta non contradicerent, ut citato Farinacio quæſt. 56. de Teſtibus n. 234. aſſerit Illuſtriſſimus Carolus Felix de Mattâ, Epiſcopus Sancti Severi, in Tractatu de Sanctorum Canonizatione, parte 4. cap. 20. nnmero 11. pag. 400.

Hæretici

Digitized by Google

994 Hæretici autem, quibus hæc quarta lex præcipit non credendum in Historiâ Ecclesiasticâ, sunt omnes illi, qui prohibentur in clausulâ primâ Bullæ in Feriâ Quinta in Cœnâ Domini legi solitâ, non verò Tertullianus, Origenes, Eusebius Cæsareensis, & similes, quos, ut testatur Magnus Suarius Disp. 20. de Fide, Sectione 2. numero 3. Ecclesia non prohibet, eo quia (ut ipse docet num. 30.) fuit causa *maxima ad excipiendos illos antiquos Doctores, quia si quos habent errores, & pauci sunt, ut jam sunt noti, & quasi emortui: & ideo cessat periculum in hujusmodi libris; & alioquin eorum utilitas magna est, vel propter eximiam, & multiplicem doctrinam, vel propter antiquitatem, quia in eis antiqua Historia, & Traditio conservatur.* Hæc Magnus Suarius.

995 V. *Ne sequitor Authoris Catholici librum, qui prohibitus est, si ignoretur causa prohibitionis. Neque sequitor librum iis in locis, & punctis, quæ Ecclesia deleri jussit.*

Hæc lex fundatur in authoritate Melchioris Cani lib. 11. de Locis Theologicis cap. 6. §. *Tertia Regula*, pag. 379. ubi ait:

*Cui Ecclesia derogavit fidem, ei quoque nos fidem jure, ac merito derogabimus.*

996 VI. *Nullam habeto fidem Authoribus extraneis in iis, quibus contradicunt indigenis regionis illius, de quâ scribitur.*

Lex ista omnium justissima est, traditurque à disertissimò Authore voluminis inscripti *Reparos Historicos*, editi Matriti anno 1723. in quarto, qui licèt suum celaverit nomen, proditur tamen ab operis eruditione; liber enim ille scribi non potuit nisi à viro omnium Hispanorum in re Historicâ doctissimo, qui numero 107. pag. 153. docet, maiorem mereri fidem Scriptores indigenas: & ite-

rum numero 265. pag. 445. Unde ſapientiſſimè dixit Cicero pro M. Fonteio:

> *An ſi homines ipſos ſpectare convenit ( id quod in teſte valere plurimum debet ) non modo cum ſummis civitatis noſtræ viris, ſed cum infimo Cive Romano quiſquam ampliſſimus Galliæ comparandus eſt.*

Neque legi iſti non obtemperandum dixerit, niſi, qui aſſeruerit, magis credendum teſti aurito, quàm oculato. Nam Scriptores exteri ſemper teſtantur de rebus auditis, indigenæ verò de plurimis viſis. Et ſemper magni fieri ſolita eſt illa Plautini Strophanis ſententia: *Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.* (Plautus in Truculento Act. 2. Scen. 6. v. 8.) Audiendus ſane eſt in re ad Hiſtoriam ſpectante graviſſimus Hiſtoricus Joannes Mariana, qui de Authoribus indigenis loquens, ait:

> *Potius æſtimare æquum eſt res ſuas meliùs habuiſſe, quàm alios exploratas.*

Si autem non creditur Marianæ, quia hæc ſcripſit in Diſputatione de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam cap. 10. credatur Abulenſi, qui ferè eadem ſcripſit, loquens de Adventu Sancti Pauli in Hiſpaniam in Commentario in Geneſis caput 33. fol. 336. col. 1. literâ A. ait enim:

> *Id, quod ſupponunt de Paulo, quòd non venerit in Hiſpanias, non teneo, licèt hoc aſſerat Gratianus, ut patet in Decretis 22. q. 2. C.* Beatus, *quia maiores noſtri* Chroniſtæ oppoſitum tenent; quibus magis *credendum eſt, quàm Gratiano.*

Si verò non creditur Epiſcopo Abulenſi, credatur Cardinali Baronio ad annum Chriſti 64. n. 6. ſcribenti:

> *Potiùs autem ſtandum eſſe Scriptoribus Gentilibus de rebus Judaicis, quàm propriis, nemo dixerit.*

Et in Notis ad Martyrologium Romanum ſub die 26. Aprilis, ubi ait:

*In*

Digitized by Google

*In his, quæ sunt Romanæ Ecclesiæ, maior est adhibenda fides ejus alumnis, quàm cæteris.*

Et quidem jure merito; nam ut inferiùs latiùs ostendemus, cuique notiores sunt res Patriæ, quàm peregrinæ; unde reprehendendus esset, qui res Hispanas discere vellet à Gallis, res Gallicas ab Hispanis; præsertim de iis, quæ facta, & scripta sunt ante inventam artem Typographicam, quæ prodiit circa medium quinti decimi sæculi, cùm etiam post eam artem repertam, multò faciliùs quis legat libros apud se natos, & editos, quàm alibi excusos; non vastum est mare, quod Galliam, & Angliam interjacet; & tamen de libris Anglicè exaratis scripsit in Galliâ Joannes Garnerius in Systemate Bibliothecæ Collegii Parisiensis Societatis Jesu, Catalogo 3. cap. 18. pag. 74. *Libri Anglicâ linguâ scripti vix mare transmittunt.* Contermina est Lusitania Regno Castellæ, in quo scribebat Bibliothecam suam Hispanicam Doctissimus Nicolaus Antonius, & tamen plures omisit Authores Lusitanos, quia bellum, quod paulò ante flaglaverat inter hæc Regna, impedierat literarum commercium, ut ipse fatetur in Præfatione illius operis.

997 Unde constat, res externas malè posse scribi ab indigenâ, & malè res cujusque provinciæ ab externo, imò non posse scribi; quâ de causâ Gallus Author Methodi ad facilem Historiarum cognitionem cap. 4. de Paulo Jovio homine Italo ait:

*Quæ igitur verissimè scribere potuit, noluit, puta res in Italiâ gestas, quæ voluit, non potuit, scilicet externa.*

998 Facta, quæ ab Historiâ narrantur, vel sunt pœnâ, vel præmio digna; vel sunt scelera, vel virtutum actus. Si sunt scelera, inquiri in illa debet iis in locis, ubi patrata sunt. Ridiculus enim esset Judex, qui, ut inquireret in hominem, qui alium Ulyssipone interfeciſſe dicebatur,

batur, contenderet in Galliam, interrogaturus de authore homicidii Gallos, qui nunquam Ulyſſipone commorati fuerant. Injuſtuſque eſſet, ſi crederet Pariſienſibus, negantibus, homicidium patratum fuiſſe à Petro; & non crederet Ulyſſiponenſibus, teſtantibus, Petrum fuiſſe authorem illius homicidii. Eodem modo, atque ille ineptus Judex, ſe gerunt, qui credunt Authori extero, contra teſtimonium indigenarum.

*999* Si ſunt actus virtutum, ſeu ſi mavis, miracula, eodem loco explorari debent quò fieri contigit, lociſque ipſis vicinis; ſic ſolet fieri in Canonizationibus Sanctorum, ad quas probationes recipiuntur ab aliquot Epiſcopis Patriæ vicinæ, ſeu provinciæ illius, qui petitur canonizari, ut inquirant de famâ, de devotione populi, de miraculis, & aliis denunciandis in genere tantum, & non in ſpecie, ut videre eſt apud Illuſtriſſimum Carolum Felicem de Mattâ, Epiſcopum Sancti Severi, in Tractatu de Sanctorum Canonizatione parte 5. cap. 2. num. 50.

1000 Quàm ſit à ratione alienum credere Authoribus exteris contra Scriptores indigenas, optimè agnovit Sapientiſſimus, & morum ſanctimoniâ celeberrimus Archiepiſcopus Bracharenſis, Hiſpaniarum Primas, Bartholomæus de Martyribus, Dominicani cœli clariſſimum ſidus, dum tam ægrè tulit examen Synodi Bracharenſis, quam celebraverat, cujus & Acta Romam miſerat, commiſſum fuiſſe Epiſcopo Cameracenſi, ut de hoc graviſſimè cum Summo Pontifice expoſtulaverit, ut conſtat ex Epiſtolâ ad Pontificem datâ, cujus exemplar habetur in vitâ ipſius Primatis, ſcriptâ à Ludovico Souſâ, claritate ſanguinis, atque elegantiâ ſtyli æquè nobili, lib. 3. cap. 22. fol. 144.

1001 Piguiſſet ſanè me tandiu immoratum fuiſſe in demonſtrandâ ſextæ hujus legis æquitate, ni ſcirem, ſcriptum

Digitized by Google

ſcriptum alicubi fuiſſe, illam eſſe contra Sanctum Auguſtinum, & eſſe contra evidens rationis lumen. Contra Sanctum Auguſtinum, qui ſoli Scriptori ſententiam ſuam probanti credebat, vel eſſet Patrius, vel extraneus. Contra evidens rationis lumen, quæ enim non vidimus, neque nobis oſtenduntur ſolido fundamento fuiſſe, citò credendi, ac imprudentiæ vitio credere tantum poſſumus.

1002 Sed utrumque immeritò dicitur; nam in primis lex de ſequendis Authoribus Patriis, deſerendiſque extraneis in iis, quibus adverſantur indigenis provinciæ, de quâ ſcribitur, non eſt contra Sanctum Auguſtinum; nam verba Divi Auguſtini Epiſtolâ 19. aliàs 82. quæ & habetur in Decreto, capite *Ego ſolis*, hæc ſunt:

> *Alios autem ita lego, ut quantâlibet ſanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi, vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.*

Ex his autem verbis, nihil infertur contra legem noſtram præſcribentem, ſequendos eſſe Authores indigenas illius provinciæ, de quâ ſcribitur, & deſerendos extraneos, contraria de illâ ſcribentes. Nam in primis, in illis verbis non habetur doctrina Sancti Auguſtini, ſed tantum exemplum Sancti Auguſtini. Non enim ibi dicit Sanctus Auguſtinus, quid faciendum ſit ab omnibus, ſed quod ipſe faciebat; quæ longè diverſa ſunt. Nam licèt Sanctus Auguſtinus in libro Confeſſionum propalaverit defectus ſuos, non ideo dicetur, eſſe contra Sanctum Auguſtinum non propalari in libro defectus noſtros. Quòd autem diſtinguenda ſint facta Sancti Auguſtini à dictis Sancti Auguſtini, diſcimus à Sancto Auguſtino in eâdem Epiſtolâ 82. ubi ad Divum Hieronymum ait:

*Non*

*Non eſt, inquis, credibile, hoc in Petro Paulum, quod ipſe Paulus fecerat, arguiſſe. Non nunc inquiro quid fecerit, quid ſcripſerit, quæro: hoc ad quæſtionem, quam ſuſcepi, maximè pertinet.*

Et ſicut Sanctus Auguſtinus ſeparavit factum Sancti Pauli ab illius ſcriptis, ſic nos diſtinguimus factum Sancti Auguſtini, quod non tenemur imitari, à doctrinâ Sancti Auguſtini, quam pro virili parte nitimur ſequi.

1003 Secundò Sanctus Auguſtinus eo loco non confert Authores indigenas, ſcribentes de Patriâ ſuâ extraneis, ſcribentibus de Patriâ alienâ; ſed præfert eos, qui perſuadere potuerunt ratione probabili, quòd à vero non abhorreat, quod ipſi ſenſerunt; hæc autem eſt ipſiſſima legis noſtræ ſententia; nam indigenæ, eo ipſo, quòd ſunt indigenæ, perſuadere poſſunt ratione probabili à vero non abhorrere, quod ipſi de Patriâ ſuâ ſenſerunt; & abhorrere à vero contrarium, quod extranei ſcripſere de Patriâ alienâ. Nam probabilius eſt à vero abhorrere ea, quæ ſcribit quis de Patriâ alienâ, & de provinciâ longinquâ, quàm ea, quæ ſcribit quis de Patriâ ſuâ, & de provinciâ, in quâ degit.

1004 Tertiò Sanctus Auguſtinus in eo loco agit de Authoribus docentibus, quæ ſpectant ad ſcientiam, non verò de Authoribus narrantibus, quæ pertinent ad Hiſtoriam. Lex verò noſtra agit de Authoribus narrantibus, quæ pertinent ad Hiſtoriam, non verò de docentibus, quæ ſpectant ad ſcientiam. Quoad Authores autem docentes ſcientiam, nihil confert eſſe indigenas, vel extraneos. Quoad Authores verò narrantes Hiſtoriam Patriæ ſuæ, maximi momenti eſt eſſe indigenas, & non eſſe extraneos. Sanctum autem Doctorem agere de docentibus, non de narrantibus, ex eo patet, quia poſcebat dictorum probabilem rationem; quam expectare debemus à docentibus,

non

non à narrantibus; Doctoris enim est, & non Historici ea, quæ scribit, rationibus probare. Unde Sanctus Augustinus tomo 8. novæ editionis Patrum Congregationis Sancti Mauri, libro de Utilitate credendi cap. 11. ait:

> *Quod intelligimus igitur debemus rationi, quod credimus authoritati.*

Ratio igitur inservit ad generandam scientiam, authoritas verò ad faciendam fidem. Juvat attexere pulcherrimam Sancti Augustini doctrinam ex eodem libro de Utilitate credendi, cap. 11. ubi ait:

> *Quæro enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutuâ pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest: sed interpositâ matris authoritate, de patre creditur: de ipsâ verò matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, & sine ullâ dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus non culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortassè parentes minimè dilexerit, dum ne falsos diligat, metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omninò humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum.*

Hinc manifestè cernitur, quantum interfit inter rationem necessariam ad sciendum, & authoritatem necessariam ad credendum.

1005 Quartò: etiamsi Sanctus Augustinus eo loco Epistolæ citatæ non proponeret exemplum suum, sed

traderet doctrinam de non credendo Hiſtoricis, niſi illi rationibus probarent, quæ narrabant (quod nunquam diceret Sanctus Doctor) non ideo adigebamur ad amplectendam Sanctiſſimi Patris ſententiam; nam eâ Epiſtolâ diſputat Sanctus Auguſtinus cum Sancto Hieronymo, & circa dicta Patrum monent Theologi cum Chryſtophoro Gilio lib. 1. tract. 7. cap. 14. §. *Primum eſt, ut diſcernamus ea, quæ ab ipſis contentionis ſtudio, & calore diſputationis dicta ſunt.* Quod monitum eruitur ex doctrinâ Sancti Baſilii Epiſtolâ 64. & ex Sancto Athanaſio in Libello de Decretis Nicenæ Synodi. Nam licèt hæc doceant de Patribus diſputantibus cum Hæreticis, tamen proportione ſervatâ, etiam intelligenda ſunt de ipſis diſputantibus cum Catholicis; cum quibus etiam nonnunquam acriter contendunt: & ſcimus, quanto cum ardore diſſeruerint Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Hieronymus.

1006 Quintò denique; quia licèt Sanctus Auguſtinus apertè doceret, non eſſe credendum Authori, qui probabili ratione non poſſet perſuadere à vero non aberrare id, quod narrat, non ideo tollitur fides Hiſtorica dicta ſua poſitivâ ratione non confirmanti, nam ſatis eſt, ut non dicat, neque aſſerat impoſſibilia, ne poſſit refelli; ut docet idem Sanctus Auguſtinus libro 11. contra Fauſtum capite 5. ubi loquens de libris, Divinam authoritatem non habentibus, ait:

> *Itaque in eis, ſi qua fortè propterea diſſonare putantur à vero, quia non, ut dicta ſunt, intelliguntur, tamen ibi liberum habet lector, auditor ve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit:*

Moxque docet, quando alicujus Authoris ſententia rejici poſſit, quin reprehendi poſſit, qui rejicit; ſubjungit enim:

> *Et ideo cuncta ejuſmodi, niſi vel certâ ratione, vel ex illâ*

*illâ Canonicâ authoritate defendantur, ut demonstretur, sive omninò ita esse, sive fieri potuisse* (Nota bene) *quod vel disputatum ibi est, vel narratum; si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur.*

1007 Ergo ex mente Divi Augustini denegari non debet sine reprehensione fides Authori, qui scripserit ea, quæ fieri potuisse demonstrari potest. Quando igitur Authores indigenæ scribunt eà, quæ fieri potuisse demonstrari potest, non sunt rejiciendi, ex eo, quòd extranei oppositum scribant; nam unusquisque præsumitur meliùs scire ea, quæ fiunt in Patriâ suâ, quàm in provinciâ alienâ; unde Gallo magis credendum est in rebus Gallicanis, quàm Hispano; & in rebus Hispanis, magis credendum est Hispano, quàm Gallo, quandiù quis de Patriâ suâ non scripserit impossibilia, seu quidpiam factis indubitabilibus repugnans.

1008 Quod autem dicitur, hanc sextam Legem esse contra evidens lumen rationis, longiùs à veritate abest. Nam non est contra lumen rationis, credi à nobis ea, quæ non vidimus, licèt non habeamus aliud fundamentum præter authoritatem dicentis; quia ut docet Sanctus Augustinus libro de Utilitate credendi cap. 11. citato; quod scimus, debemus rationi, quod credimus, authoritati. Neque dici potest, citò credere eos, qui credunt assertioni, per plusquam mille annos repetitæ. Neque imprudentiæ argui potest, qui credit Authoribus mille annis antiquioribus, quibus gravissimi Scriptores subscripsere. Si enim prudenter operatur, qui sequitur opinionem probabilem in iis circunstantiis, quæ referuntur à Theologis de Christianis Officiis tractantibus, quantò prudentiùs operabitur, qui in re Historicâ sequitur narrationem à gravibus Authoribus scriptam; quia ut ait Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 28. *Historia*

*facta narrat fideliter, atque utiliter*, & cap. 29. *Eſt etiam narratio demonſtrationi ſimilis, quâ non præterita, ſed præſentia indicantur ignaris.* Et ſicuti demonſtratio non indiget aliâ demonſtratione, ſic narratio Hiſtorica non indiget aliâ probatione, præter authoritatem dicentis ea, quorum falſitas non poſſit demonſtrari.

1009 Accedit, quòd potiùs eſt contra evidens lumen rationis, credere potiùs extraneis, quàm indigenis in iis, quæ narrantur de quâlibet provinciâ. Nam ea, quæ narrantur de unaquâque provinciâ, vel ſunt viſa ab Hiſtoricis, vel collecta ex monumentis, vel hauſta à Traditione; hæc autem faciliùs, & certiùs haberi poſſunt ab Authore indigenâ, quàm ab extraneo. Nam extraneus provinciæ, de quâ ſcribitur commorans in Patriâ ſuâ, non videt, quæ fiunt in Patriâ alienâ, unde de illâ non poteſt narrare, ut viſa, facta, quæ non vidit. Neque illa poteſt narrare ut perfectè collecta è monumentis, quia licèt poſſit legiſſe libros typis excuſos, plerumque non videt manuſcriptos, qui latent exteros; inacceſſa habet tabularia, non videt picturas facta repræſentantes, non videt inſcriptiones lapidibus exaratas, non videt loca, quibus res geſtæ ſunt, & in quibus illarum ſæpe remanent veſtigia, non videt pleraque alia antiquitatis monumenta, unde ex iis non poteſt colligere, quæ certò ſcribat de provinciâ, ad quam nunquam acceſſit. Denique neque ipſa poteſt ex Traditione haurire, quia Traditio prius venit ad indigenas, quàm ad extraneos, incorruptior, & illibatior conſervatur inter indigenas, quàm inter extraneos. Unde extraneus Author nunquam poteſt rectè ſcribere de aliquâ provinciâ, niſi ſcribens ea, quæ accepit ab indigenis illius provinciæ: ergo tota certitudo teſtimonii Authoris extranei, refunditur in authoritatem teſtimonii indigenarum: ergo ſemper Authores indigenæ

Digitized by Google

genæ sunt magis credibiles, quàm extranei, juxta illud Philosophorum axioma: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

1010 VII. *Ne credito in re Historicâ Authori Recentiori, scribenti contra antiquum, nisi quando Recentior ea, in quibus dissidet ab antiquo, probaverit documento certo, & antiquiori Authore antiquo, quod sit authenticum, syncerum, & absque ullo vitio.*

Lex ista duas habet partes: prima fundatur in Sacrâ authoritate Ecclesiastici cap. 29. in quo versu 1. dicitur: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens*: & versu 2. *Narrationem virorum nominatorum conservabit.* Priorem versum explicans Oliverius Bonartius, Societatis Jesu, ait:

*Lustrabit enim veteres Bibliothecas, & libros etiam pastos à blattis, & tineis, si quid reconditæ sapientiæ in iis reperire valeat.*

1011 Ratio autem, ob quam in re Historicâ magis credendum est antiquis, quàm Recentioribus est, quia antiqui propiores, & propinquiores fuerunt rebus narratis, quæ præcesserunt, quàm Authores recentes, qui eò magis distant ab ipsis rebus, quò recentiores sunt. Deinde antiqui puriores, incorruptioresque acceperunt Traditiones, juxta quas certiùs, quàm recentiores scribere potuerunt, & scripserunt; potuerunt docere, & docuerunt.

1012 Secunda pars hujus septimæ Legis fundatur in authoritate Sancti Augustini lib. 1. de Trinitate capite 3. ubi sit:

*Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt.*

Et fortasse aliquot documenta antiquiora prioribus Historicis venere in manus recentium Historicorum, quæ hi contra antiquiores proferunt; tuncque æquum est, potius credi posteriori Historico, qui ea profert, quàm anteriori,

teriori, qui talia documenta non vidit. Quia autem in documentis, quæ de novo proferuntur in publicum, plurimæ fieri ſolent fraudes, opus eſt, ut ea probentur ad lydium Critices lapidem, oſtendanturque non confícta, neque adulterata, vel interpolata, ſed carentia omni vitii ſuſpicione, ut iis nixi denegemus fidem Hiſtorico antiquiori, eamque præſtemus Hiſtorico juniori, ea producenti. Aliàs obſervanda eſt Lex quoad primam ſui partem, juxta ſententiam Papyrii Maſſoni in Hiſtoriâ calamitatum Galliæ, qui ait:

> *Utrum autem credere antiquioribus Hiſtoricis oporteat potiùs, quàm recentioribus, id nullam dubitationem habet, nec unquam habuit: etenim Hiſtoriarum Scriptores, qui propiores ſunt rerum geſtarum, veriores debent videri.*

1013 VIII. *Ne credito Authori mendaciis dedito in iis, quæ apud alium non reperiuntur. Neque Authori inconſtanti, & vario, in iis, in quibus ſibi non conſtat.*

Etiam Lex iſta duas habet partes. Prima fundatur in laudatâ illâ à Diogene Laertio libro 5. præclarâ ſententiâ Ariſtotelis, qui interrogatus *quidnam mendaces lucrarentur? Ut cùm vera* (inquit) *dixerint, non illis credatur.* Ariſtoteli ſubſcribit Balthaſar Conradus Zahnnius de Mendaciis libro 2. cap. 93. n. 6. cum Cyno *in Leg. Traſigere col. 3. Cod. de Tranſaction. Nevizan. lib. 4. Sylvæ Nuptialis num. 52.*

1014 Secunda pars Legis fundatur in Doctrinâ Legiſtarum, & Canoniſtarum docentium, teſtem inconſtantem nihil probare, ut videre eſt apud Eminentiſſimum Cardinalem Albitium, tractatu de Inconſtantiâ in Judiciis quæſt. 34. n. 22. & ſequentibus. Et ratio hujus eſt, quia qui eſt inconſtans, vel fallere ſtudet, vel inconſideratè loquitur, & ex utrâlibet ex his cauſis fide indignus eſt.

IX. *Ne*

Digitized by Google

1015 IX. *Ne credito Authori inconsultò omnia credenti, multòque minus temerè omnia neganti.*

Hæc lex fundari potest in illâ sententiâ Senecæ Epistolæ 3. dicentis:

*Vitium est & omnibus credere, & nulli.*

Idem ante docuerat Aristoteles, cujus sententiam, sequutus Gallus, Author Methodi ad facilem Historiarum cognitionem cap. 4. ait:

*Ut igitur ab Historiis rerum veritas habeatur, singulari non modo Scriptorum delectu, sed etiam in iis legendis illud meminisse debemus, quod ab Aristotele sapienter dictum est, in Historiâ legendâ, neque nimis credulum, neque planè incredulum esse oportere: nam si omnia omnibus assentiemur, sæpe vera pro falsis habebimus, ac turpiter in Republicâ gerendâ labemur, sin fidem omnem Historiæ detrahemus, nullos ab eâ fructus consequemur: in altero quidem peccarunt ii, qui fabulis omnia vetustatis monumenta compleverunt: in altero Turcæ, qui nec ullam antiquitatis memoriam habere, & curam penitùs abjecisse feruntur: quod putant, Historias ab iis scribi non posse, qui alienam fidem sequuntur, multò minus ab illis, qui rebus affuerunt, aut præfuerunt, cùm de se ipsi multa mentiantur: aut principium metu, vel præmiis, vel odio distracti à vero deflectant.*

1016 Videtur autem hæc lex duplicem habere partem, & tamen est simplex; nam quidquid præcipit primis verbis, præcipit postremis; nam prioribus verbis præcipit, non credendum omnia inconsultò credenti; sed etiam qui omnia negat, omnia inconsultò credit: ergo utraque tam priora, quàm posteriora legis verba, idem præcipiunt.

1017 Certum est, omnia inconsultò credentes deserendos esse, non sequendos; dicit enim Spiritus Sanctus Eccle-

Eccleſiaſtici 19. 4. *Qui credit citò, levis corde eſt, & minorabitur.* Qui autem omnia negat, etiam credit citò: ergo & ipſe minorabitur. Nam qui omnia credit, omnes credit eſſe veraces, qui verò omnia negat, omnes credit eſſe mendaces. Unde periculoſiùs errat, qui omnia negat, quia ſine peccato non poteſt affirmari, omnes eſſe mendaces; & ſine peccato poteſt credi, omnes eſſe veraces, quandiù illorum falſitas non deprehenditur. Atque ita qui exiſtimat omnia neganda, & nihil credendum *incidit in foveam, quam fecit*; nam nulli credentibus nullus credit.

1018 Et jure merito vitandi ſunt tam qui omnia credunt, quàm qui nulla credunt; quia utrique recedunt à doctrinâ Sancti Pauli ad Theſalonicenſes Epiſt. 1. cap. 5. verſ. 21. ſcribentis: *Omnia autem probate, quod bonum eſt, tenete.* Quæ ſententia paraphraſi Juſtiniani ſic exponitur:

> *Date operam, & omnia quidem diligenter exploretis, & quod ex omnibus optimum viſum fuerit, conſtantiſſimè retineatis.*

Recedunt à doctrinâ Sancti Pauli, qui omnia credunt, quia nihil diligenter explorant. Recedunt pariter, qui nulla credunt, quia nihil bonum eſſe judicant; omnes mendacii arguunt, cùm ſint ipſi mendaciſſimi, & impii Pſeudocritici, in quorum quemlibet ſtringitur Divi Pauli gladius Rom. 2. 1.

> *Inexcuſabilis es, ô homo, omnis qui judicas, in quo enim judicas alium, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.*

1019 Quæ autem explorari jubet Apoſtolus, explicat Cornelius à Lapide hîc, dicens:

> Omnia probate; *ſubaudi, quæ dubia, & incerta ſunt, ideoque probatione indigent, & examine.*

& infra ſubdit:

> *Nihil ergo hîc habet Kemnitius, & Novantes pro ſuo examine*

*examine Concilii Tridentini, & aliorum Ecclesiæ, vel Pontificum Decretorum.*

1020 Ergo non licet privatis Scriptoribus iterum examinare, quæ jam Romanus Pontifex approbavit; multòque minus illis licet ea reprobare, quin exuant Sedis Apostolicæ reverentiam; ut cum magno bonorum omnium dolore vidimus hoc & præcedenti sæculo, propter turbas concitatas à Jansenistis, & Rigoristis, & Apellantibus, quos Vaticana fulmina tetigere.

1021 X. *Ne credito Authori æmulatione, vel invidiâ infecto.*

Æquissima est Lex ista, sed ut meliùs illius æquitas perspiciatur; oportet habuisse perspectum, quid sit invidia, quid æmulatio, cujus nemo meliùs, quàm Sanctus Augustinus nos potest facere certiores; ait igitur Sanctus Doctor, in expositione Epistolæ ad Galatas cap. 5. n. 52.

*Nequis sane arbitretur hoc esse invidiam, quod est æmulatio, vicina enim sunt, & propter ipsam vicinitatem plerumque utrumlibet horum pro altero, vel æmulatio pro invidiâ, vel invidia pro æmulatione ponitur, sed quia utrumque hîc* (à Sancto Paulo) *locis suis dictum est, utique distinctionem de nobis flagitant. Nam æmulatio* est dolor animi, cùm alius pervenit ad rem, quam duo plures ve appetebant, & nisi ab uno haberi non potest. *Istam sanat pax, quâ id appetimus, quod omnes, qui appetunt, si assequuntur, unum in eo fiunt. Invidia verò*, dolor animi est, cùm indignus videtur aliquis assequi, etiam quod tu non appetebas. *Hanc sanat mansuetudo, cùm quisque ad judicium Dei revocans, non resistit voluntati ejus, & magis ei credit rectè factum esse, quàm sibi, quod putabat indignum.*

1022 Cùm igitur tam æmulatio, quàm invidia sit dolor: quis tutò credere potest Authoribus à dolore per-

turbatis? Cùm invidia cruciet voluntatem, quis credat Authori invido, qui dum ea ſcribit, quæ voluntati ſerviunt, calamo ſuo quærere poteſt illius cruciatûs levamen? Cùm æmulatio lædat judicium, quis tutò credat Authori æmulo, cujus judicium eſt perturbatum? Præterea cùm, teſte Sancto Auguſtino, *invidia* ſanetur pace, certum eſt, invidos eſſe hoſtes; quis autem non imprudentiſſimè credat invido, qui hoc ipſo, eſt hoſtis? Cùm verò, teſte eodem Sancto Doctore, æmulatio ſanetur manſuetudine, certum eſt, æmulos eſſe iratos; quis igitur credet, niſi imprudentiſſimè, Authori æmulo, qui hoc ipſo eſt iratus, qui hoc ipſo eſt inimicus? dicente Cicerone Oratione pro M. Fonteio: *Inimico teſti credi non oportuit.* Clariora hæc ſunt, quàm ut egeant, exemplis demonſtrari.

1023 XI. *Ne credito Authori, qui ea, quæ aſſerit, probat argumentis jam dudum ſolutis; niſi apertè demonſtret ſolutionum vitia.*

Etiam Legis hujus æquitas eſt manifeſta; nam qui probat ea, quæ dicit argumentis, quorum infirmitas jam detecta eſt, nihil aliud agit, quàm probare, ſe eſſe contendendi cupidum, nam verbis, non argumentis nititur; argumenta enim jam diluta, non ſunt argumenta, ſed tantum verba; quæ certandi ratio improbatur à Sancto Auguſtino lib. 4. de Doctrinâ Chriſtianâ cap. 28. ubi ait:

*Verbis enim contendere, eſt non curare quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porro qui non verbis contendit ſive ſubmiſſè, ſive temperatè, ſive granditer dicat, id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat.*

1024 Qui autem ea ſcribit, quæ jam exſufflata ſunt, eaque probat argumentis, quorum fallacia jam detecta eſt, certè non curat ut veritas pateat, ſed potiùs ut veritas lateat. Non curat ut error vincatur, ſed ut error

trium-

triumphet de incautis eruditis, & de omnibus non eruditis. Unde dicebat Sanctus Augustinus lib. 12. Confessionum cap. 18.

> *Nolo verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

Hinc Sanctus Job ad eos, quì detraxerant sermonibus veritatis, cùm nullus esset, qui contra ipsum posset arguere, dixit cap. 6. vers. 28. *Subvertere nitimini amicum vestrum.* De quibus dixerat vers. 26. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.* Quæ verba celeberrimus Jobi Interpres Joannes de Pinedâ, Societatis Jesu, sic exponit:

> Concinnatis. *Propriè cogitatis, excogitatis invenire cupientes, quibus me verbis acerbissimis increpare, & compescere valeatis, non verò animadvertitis, quid vobis respondeam, quid rei veritas à vobis, & à me exigat: non tam pro veritate disputatis, quàm pro vexando calumniis, & contumeliis cum homine miserrimo contenditis.*

Quibus statim subjungit idem Sapientissimus Pineda:

> *Est verò hoc inepticulorum argumentantium peculiare vitium, non attendere quid illis respondeatur, sed in id solùm intendere, quid possint ipsi denuò adversus respondentem regerere.*

1025 Quod nihil aliud est, quàm argumentis, quibus jam responsum est, iterum niti, quin responsionum falsitas demonstretur; quâ de causâ meritò Lex ista præscribit, ne Authoribus ita scribentibus credatur.

1026 XII. *Ne subscribito paucioribus Authoribus contra plures; nisi quando illi pauci demonstraverint eorum plurium falsitatem.*

Ratio, cui Lex ista inititur, est, quia rerum Historicarum falsitas potest probari ab intrinseco, & ab extrinseco; ab intrinseco quidem per facti repugnantiam cum re

indubitatâ; ab extrinſeco verò per teſtimonium Authorum, qui fide digni ſint. Veritas autem non poteſt probari ab intrinſeco, niſi per ſolam non repugnantiam rei narratæ; ſed probari poteſt ab extrinſeco ex authoritate afferentium. Quæ autem ſic probantur, quò plura, & graviora ſunt teſtimonia afferentium, eò probabiliora redduntur.

1027 Hinc ſolemne eſt apud Criticos, quorum Lex illa eſt *Manuſcriti codices non ſuſpecti aliis præferuntor*: præferri plures codices paucioribus; quia eo ipſo, quò pauciores ſunt, ſuſpecti redduntur; nam ut ait Joannes Clericus in Arte Criticâ, parte 3. Sect. 1. cap. 16. num. 33.

*Suſpectos eſſe oportet codices, qui nimium à cæteris omnibus recedunt.*

1028 Solemne eſt apud Judices utriuſque fori, tam Eccleſiaſtici, quàm Sæcularis, maiorem, cæteris paribus, adhibere fidem dictis plurium teſtium, quàm pauciorum. Quoad judicia Eccleſiaſtica ex cap. *licet cauſam 9.* verſ. *per teſtes numero plures* de Probat. cap. *in noſtra* 32. verſ. *numero pauciores* de Teſtibus. Rota Recentior. part. 1. deciſ. 245. numero 3. & deciſ. 272. numero 3. & deciſ. 315. n. 8. & part. 2. deciſ. 299. n. 2. Boſſius in Praxi Criminal. titulo de Oppoſit. contra teſt. num. 9. Barboſ. in dictum caput *licet cauſam 9.* n. 21. ubi refert plures. Quoad judicia verò Sæcularia legendi ſunt Surd. conſ. 303. n. 4. Hieronymus de Mont. Fin. Regund. cap. 59. n. 2. & 3. Farinac. in Praxi Criminal. quæſt. 65. à num. 107. ubi Wlpin. à num. 27.

1029 Solemne denique eſt Theologis, de Chriſtianis Officiis ſcribentibus, eam ſententiam judicare ab extrinſeco probabiliorem, quæ plurium Doctorum ex profeſſo ſcribentium authoritate fulcitur, ut videre eſt apud Franciſcum Bardi, Societatis Jeſu, in tractatu de Conſcientiâ, Diſcept. 4. cap. 2. n. 2. in fine. Caſtro Pallao tom. 1. tract. 1.

Digitized by Google

tract. 1. Diſp. 2. puncto 1. n. 8. His duodecim Legibus ſuppoſitis, ad rem noſtram veniendum eſt.

1030 Recentiores, qui clamant contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, in duos manipulos partiri æquum eſt. In primo collocantur, qui ſimpliciter negant, Sanctum Jacobum in Hiſpaniam veniſſe, nullâ, vel quaſi nullâ negationis ſuæ adductâ probatione. In ſecundo, qui non ſolùm negant, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, ſed etiam probare intendunt, Sanctum Apoſtolum nunquam ad Hiſpaniam appuliſſe.

## ASSERTIO. XLV.

### *Sententiæ affirmanti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non officit clamor Recentiorum, qui eam negant, nullo producto argumento in contrarium.*

1031 REcentiores in primo manipulo collocati, qui producuntur, ut pugnent adverſus propugnantes expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quin ullam afferant ſuæ negationis probationem, ſunt ſequentes.

1032 Primus, quem ſciam, qui negavit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, fuit Mathias Flaccus Illyricus *Summus* (ut ait Thuanus lib. 61. Hiſtoriarum, pag. 150. mihi) *inter Proteſtantes Pontificiæ authoritatis oppugnator*, Centuriatorum Magdeburgentium Anteſignanus, qui in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, Centuriâ 1. libro 2. cap. 10. columnâ 436. de Sancto Jacobo loquens, ait:

*Nec aliud eum poſt Reſurrectionem Chriſti, quàm cæteros Apoſtolos feciſſe legimus. Hieroſolymis maiorem vitæ*

*ſuæ*

*ſuæ partem Jacobus exegit: interdum & in vicinia pro occaſione docuit. Nam & Hieroſolymis ab Herode tandem interfectus eſt anno tertio Claudii, Chriſti verò quadrageſimo quinto.*

1033 Sed huic Authori non eſt credendum, in primis, quia fuit infenſus Hiſpaniæ, qui non ſolùm Sanctum Jacobum, ſed etiam Sanctum Paulum auferre videtur; ait enim ipſâ Centuriâ 1. lib. 2. cap. 2. columnâ 17.

*In Hiſpaniam Paulus ſe promittit iturum eſſe* Roman. 15. *verum an eò pervenerit incertum eſt.*

Et cùm vitam Sancti Jacobi productam fuiſſe dicat ad annum Chriſti quadrageſimum quintum, afferit, hunc Apoſtolum ſolum in Hieroſolymis, & vicinis locis docuiſſe, & tamen columnâ 18. ait: *In Hiberniâ Jacobum, unà cum aliis quibuſdam docuiſſe.* Vincentius *ſcribit*, citatque in margine hujus Authoris librum 8. cap. 7. ac ſi Sanctus Jacobus potuiſſet docere Hiberniam, & non potuiſſet docere Hiſpaniam; ſed nihil curandum eſt de teſtimonio Mathiæ Flacci Illyrici, nihil de Centuriis Magdeburgenſibus, nam Flaccus non ſolùm fuit Hæreticus Lutheranus, ſed etiam Arianus, & Manichæus, imò Hæreſiarcha, ut videre eſt apud Jacobum Gualterum, Societatis Jeſu, in *Tabulâ Chronographicâ ſtatûs Eccleſiæ Catholicæ*, ſæculo 16. cap. 47. ubi etiam ait:

*Lectori quoque obiter advertendum eſt, Illyricum nominari primum inter quatuor Centuriarum Magdeburgenſium Authores: quas ceu veram tenebrarum apothecam, quicumque volutarit, non erroribus tantum, mendaciis, blaſphemiis, calumniiſque impudentiſſimis, ut interdum oblatâ occaſione patefeci; ſed etiam commentitiis traditionibus refertas deprehendet.*

1034 De Centuriis etiam ſcribit Genebrardus lib. 4. Chronologiæ ad annum Chriſti 1560. pag. 739.

Magde-

*Magdeburgenſes miniſtri, quorum Anteſignanus eſt Mathias Flaccus Illyricus Centurias divulgarunt errorum, mendaciorumque pleniſſimas.*

1035 Quibus addere placet ea, quæ de his Centuriis ſcribit Hieronymus Barnabeus, Doctiſſimæ Congregationis Oratorii, & de Eccleſiâ Catholicâ, atque pietate Chriſtianâ optimè meritæ, in vitâ Cardinalis Baronii lib. 1. cap. 18. ubi ait:

*Non ita pridem ſacrilegæ Magdeburgenſium Centuriæ ex inferi portis eruperant, qui cùm antiquorum res geſtas ad verum ſe collecturos falſò profiterentur, re ipſâ nihil aliud moliebantur, niſi ut Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ veritatem, puritatemque contaminarent, ſuiſque figmentis, & mendaciis turrim alteram confuſionis extruerent, quâ ſcilicet Cœlum ipſum, & Superos cæco perciti furore oppugnarent.*

1036 Unde pluribus eliditur Flacci, & Magdeburgenſium teſtimonium ex ſuperioribus Legibus, nempe ex Lege 4. quia fuere Hæretici, ex Lege 6. quia fuerunt exteri, ex Lege 7. quia Recentiores, quibus credi non debet contra antiquiores non convictos certo documento, ex Lege 8. quia mendacii notâ inuſti, ex Lege 9. quia temerè cuncta negant, ut præteream eos repellendos, quia adverſantur Breviario Romano, & Eccleſiarum Traditionibus, unde rejiciendi etiam ſunt ex Legibus 1. & 2.

1037 Non uno ex capite exoſa eſt Hæreticis expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi; primò, quia aſſeritur ex Traditionibus, quas omnes oppugnant Hæretici. Secundò, quia ſcribitur in Breviariis, quæ ipſi odio proſequuntur. Tertiò, quia probat antiquitatem cultûs Sanctarum Imaginum, aſſerto cultu Imaginis Beatæ Virginis, in ſacello Columnæ Cæſarauguſtanæ à Sancto Jacobo erecto; Hæretici autem cultum Sanctarum Imaginum tollere nituntur,

tuntur, ut omnes norunt. Quartò denique, quia illa expeditio eſt honorifica Deiparæ, ut oſtendimus Aſſertione 7. Deipara autem cunctas hæreſes interemit in univerſo mundo; cui proinde plerique Hæretici ſunt infenſi; hinc iſta expeditio Sancti Jacobi non ante oppugnata eſt, quàm Lutherana lues inficeret Germaniam, Angliam, & Galliam.

1038 Ex Scholâ Lutheri infenſâ Hiſpanis, & Luſitanis, atque Carolo V. ejuſque cognato Joanni III. Luſitanorum Regi propter inductum Sacrum Inquiſitionis Tribunal, (quorum uterque erat Militaris Ordinis Sancti Jacobi ſuis in Regnis Adminiſtrator) credibile eſt, veniſſe in Hiſpaniam dubitationem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quando plures Hiſpani cum Philippo II. rediere ex Angliâ, ubi audierant Hæreticorum deliramenta, & quando Auguſtinus Caçalha Lutheranam peſtem in Hiſpaniam invexit, ut teſtatur Paramo de Origine, & progreſſu Sanctæ Inquiſitionis, lib. 2. titulo 3. cap. 5. n. 1. Dubitantium autem ſententia, imò & negantium maximè placuiſſet Judæis, quorum maioribus olim placuit cædes Sancti Jacobi, ut legitur Act. 12. placuiſſet etiam Mauris, contra quos ſæpiùs pugnavit Sanctus Jacobus, jam in Cœlo triumphans; cùm ſæpiùs in auxilium Chriſtianorum venerit adverſus Mauros; & hinc novo titulo placuit illa ſententia Lutheranis; nam inter errores Lutheri damnatos à Leone X. in Bullâ, quæ incipit: *Exurge Domine, & judica cauſam tuam*; legitur loco quarto ſuper trigeſimo ille: *Præliari adverſus Turcos, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.*

1039 Ex eo autem, quòd negatio expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi placuiſſet Mauris, (quorum per ea tempora latebant non pauci in Hiſpaniâ) credibilius redditur, quod ſcripſit Pater D. Hieronymus Contador, ex Antonio

Antonio Sousâ Macedo, nempe Manuscriptum Toletanum, quo negatur illa expeditio, & quo deceptus fuit Cardinalis Baronius, confictum fuisse à quodam Mauro, hoc est, homine Mahometano errore infecto. Ex eo verò, quòd negativa sententia profecta sit ex Hæreticis, venit, quòd Cæsarauguſtani existiment, esse Hæreticos, qui negant Sanctum Jacobum ædificasse sacellum à Columnâ nuncupatum. Sed de hoc inferiùs reddibit sermo.

1040 Quia autem Judæi, Mauri, & Hæretici in Hispaniâ, provinciâ maximè Catholicâ, semper amaverunt latebras, cæpit sententia negans expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, glisсere sine Authore, sæculo sexto decimo Legis Euangelicæ, ut testatur Excellentissimus Joannes Fernandes de Velasco libro 2. Vindiciarum Hispaniæ, dicens:

> *Non minima ævi nostri macula est, quòd cùm maiorum pio consensu, cultuque Divi Jacobi in Hispaniam adventus claruerit, mutatâ nunc demum sorte, iniquis exterorum quorundam suffragiis infestetur. Nemo quidem se Authorem profitetur, aut in isto mustaceo laureolam quærit: sunt tamen nonnulli (quantum rumoribus percrebuit) qui universam hanc Historiam conantur, ceu Apocryphum, infamare,*

Sed statim obstitit validè his rumoribus Clarissimus Vir Ambrosius Morales, exsufflans nebulam, quæ illi expeditioni offundebatur, ut infra videbimus Assertione 52. §. 1.

1041 Secundus Author, & posterior Mathiâ Flacco Illyrico, qui videtur negare expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, est Guillielmus Rossæus, qui in libro de Justâ Reipublicæ Christianæ in Reges impios, & Hæreticos authoritate, edito Antuerpiæ per Joannem Keerbergium anno 1592. in octavo, capite 6. numero 1. ait:

*De Divo autem Jacobo per Hiſpaniam verbum Dei ſeminante, non nimis certa eſt opinio, nec magnis ex antiquitate Scriptoribus ſubnixa.*

De hoc Authore immeritò queritur Doctiſſimus Carmelitanus Franciſcus à Jeſu Xodar; rectiùs illum excuſat Pater Hieronymus Pardo, Eruditiſſimus Sapientiſſimi Ordinis Clericorum Regularium Minorum Præpoſitus Provincialis, libro 3. Excellentiarum Sancti Jacobi cap. 5. num. 5. pag. 30. Nam quod vocat hanc ſententiam opinionem, nihil detrahit ſufficienti illius certitudini, nam, ut ait, etiam fama dicitur opinio, dicitur enim Matthæi cap. 4. verſ. 24. *Et abiit opinio ejus in totam Syriam*; quæ tamen non erat rumor incertus, ſed fama conſtans, & clara, nulli dubio ſubjecta: & addere poſſet Pater Pardo, Adamum Contzen in Commentario hujus verſus, quæſtione 1. dixiſſe de hoc loco: *Magnâ in celebritate Chriſtum fuiſſe oſtendit.* Poterat ergo ſtare opinio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, cum magnâ ipſius celebritate. Et licèt inter Philoſophos opinio accipiatur pro re incertâ, ſcientia verò pro re certâ, tamen alio modo accipitur ab aliis Scriptoribus; neque enim Cicero ſcripſiſſet ad Lentulum lib. 1. Epiſtolâ 7. *Magna eſt hominum opinio de te*: ſi opinio ſignificaret rem incertam; hoc enim non eſſet laudare, ſed injuriâ afficere Lentulum. Obſervat Pater Pardo, nihil officere ſententiæ affirmanti, non eſſe nimis certam: meminiſſeque potuit dicti illius Pittaci Mitylenei: *Ne quid nimis*, de quo poſt Græcos, & Auſonium ſcripſit Andreas Alciatus Emblemate 186.

*Pittacus, at ne quid, dixit nimis* ——

Addit etiam Pardo, Roſſæum non ſubſtuliſſe ſententiæ affirmanti expeditionem Sancti Jacobi fundamentum antiquitatis, quæ ſunt in Traditione, etiam ſine Authoribus; quibus ego addo etiam Pererium, ut diximus Aſſert. 38. num.

num. 743. dixisse, se non dubitare de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, licèt vix esset Author antiquus, qui illam assereret. Et denique assero, unam opinionem optimè stare cum opinione adversante, eaque maximè credita, ut patet ex Cicerone lib. 1. de Divinatione, ubi ait:

> *Vetus opinio est, jam usque ab Heroicis ducta temporibus, eaque ut Populi Romani, & omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines divinationem.*

Quæ optimè quadrant sententiæ affirmanti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quæ & *vetus opinio est*; & per Traditionem *jam usque ab Heroicis ducta temporibus*, & non solùm *populi Romani*, sed Ecclesiæ Romanæ, *& omnium gentium firmata consensu.*

1042 Sed quæcumque sit significatio vocis *opinio*, & quæcumque fuerit sententia Guillielmi Rossæi, nihil nostra interest, quia nihil officit sententiæ affirmanti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, cùm Rossæus fuerit Author exterus, cui credendum non est contra indigenas ex Lege VI. & Author recentior scribens contra antiquiores, quin demonstret horum deceptionem, cui proinde credendum non est ex Lege VII.

1043 Tertius Author, qui videtur negare expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, est Joannes Lorinus, Societatis Jesu, qui in Commentario Actuum Apostolorum cap. 12. vers. 2. postquam de Sancto Jacobo dixerat:

> *Cur Jacobus iste Maior potissimum primus ad necem quæsitus sit, quod ceu Tonitrui filius se ipsum, ut in nube non continens, etiam postquam Coapostoli abiissent ad Gentes, unus Hispanias obitâ Judæâ, Samariâque, quanvis ad Judæos solos, proselytosque prædicabundus petierit, quando, lapidato Stephano Ecclesia dispersa est, quanvis alii in Jerusalem Apostoli remanserint. Illuc enim perveniisse, ac ibi diu hæsisse, gravi multorum testimonio, ac*

*Traditione confirmat Baronius, & hodieque monumentum extat Virgini Matri conſtructum Cæſarauguſtæ, Virginis ejuſdem monitu, ad Jacobum, Jacobi juſſu Templum.*

Memoratâ quâdam concertatione Archiepiſcopi Compoſtellani cum Roderico, Archiepiſcopo Toletano, in Concilio Lateranenſi coram Innocentio III. de Toletano ſubjunxit:

*Is, cùm ibi negaverit, fuiſſe Jacobum in Hiſpaniâ, nec illi contradictum legatur in dubium ſane revocat, quod ex vetere prius Traditione dixi ibi fuiſſe, & prædicaſſe hunc Apoſtolum.*

1044 Attamen, ſi attentè legatur Lorinus, nihil aſſerere comperietur contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex ſenſu ſuo, ſed referre contraditionem Toletani, quam ex decepto Baronio deceptus admiſit; quod non eſt ſuum calculum adjicere ſententiæ neganti; hocque pacto videntur intellexiſſe Lorinum Cenſores, qui juſſu Illuſtriſſimi Inquiſitoris Generalis Hiſpaniæ, confecere Judicem librorum prohibitorum, qui deleri fecerunt ex Indice Lorini illa verba: *Jacobus Maior an in Hiſpaniâ fuerit ſub dubio eſt*; quin deleverint ea verba Lorini, quæ modo deſcripſi, ut utique deleviſſent, ſi exiſtimarent idem dicere, quod verba Indicis dicunt.

1045 Sed eſto negaverit Lorinus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi: quid inde? Negaviſſet nixus ruinono fundamento Manuſcripti Toletani, in quo legitur illa conficta concertatio inter Archiepiſcopos Compoſtellanum, & Toletanum, cujus Manuſcripti falſitatem demonſtravi Aſſertione 35. Negaverit Lorinus: quid demum? Erat Gallus, ſcribebat de re Hiſpanicâ, erat recentior, ſcribebat contra plures antiquiores, erat unus, ſcribebat contra multorum teſtimonium, quod ipſe grave fatetur.

Digitized by Google

fatetur. Scribebat contra Traditionem, quæ, ipso fatente, magni meritò fieri solet, & cui Pontifex, testante ipso Lorino, noluit derogare. Scribebat contra Breviarium Romanum. Unde ex quinque capitibus rejiciendus esset Lorinus. Tamquam exterus scribens contra indigenas, rejiciendus est Lege VI. Tamquam recentior scribens contra antiquiores, non demonstratâ horum falsitate, rejiciendus est Lege VII. Tamquam unus scribens contra plures, rejiciendus est Lege XII. Tamquam scribens contra Traditionem, rejiciendus est Lege II. Tamquam scribens contra Breviarium Romanum, rejiciendus est Lege I. Quid igitur moramur Authorem quinque capitibus rejiciendum, rejectumque.

1046 Sed, ut verum fatear, nullo jure de Lorino conqueri possumus, imò potiùs illi immortales gratias agere debemus; ipse enim licèt Gallus fuerit, tamen, cogente invictâ veritatis vi, scripsit, Sanctum Jacobum veniisse in Hispaniam, & quod venerit *prædicabundus*, quod maximam innuit in Apostolo prædicandi vim, ac copiam, & quasi abundantiam Prædicationis, nam id exprimit nomen in *bundus* desinens, ut ex Apollinari docet Aulus Gellius Noctium Atticarum libro 11. capite 1. dicens:

> *Apollinaris noster sibi videri ait, particulam istam postremam, in quam verba talia exeunt, vim, & copiam, & quasi abundantiam rei, cujus id verbum esset, demonstrare; ut* lætabundus *is dicatur, qui abundè lætus sit,* & errabundus, *qui longo, atque abundanti errore sit. Cæteraque omnia ex eâ figurâ dici ostendit, ut productio hæc, & extremitas largam, & fluentem vim, & copiam declararet.*

1047 Cum igitur Lorinus dixit, Sanctum Jacobum veniisse in Hispaniam *prædicabundum*, innuere voluit fluentem

entem vim, & copiam, abundantiamque Prædicationis illius Apoſtoli apud Hiſpanos.

1048 Præterea aſſerit, hanc Prædicationem gravi multorum teſtimonio confirmari Templo Cæſarauguſtano. Quæ omnia in magnam Apoſtoli noſtri gloriam cedunt.

1049 Quartus Author, qui dicitur negare adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, eſt Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis Petrus de Marcâ in Opere, cui titulus: *Marca Hiſpanica*, ſed non citatur locus libri. Idem verò Doctiſſimus Author pro affirmantibus ſtat in Opere inſcripto: *Hiſtoire de Bearn*, lib. 5. cap. 22. n. 4. pag. 423. ubi loquitur de Beatâ Virgine, apparente Sancto Jacobo in Hiſpaniâ. Unde ut minimum rejiciendus videtur ex Lege VIII. tamquam Author varius, & inconſtans. Huc etiam ſpectat, Clariſſimum Petrum de Marcâ ſcripta aliquot ſua retractaſſe, ut legimus in Indice Librorum prohibitorum, edito Romæ anno 1716. pag. 95. Prætereo aliis etiam ex ſupra latis Legibus, Petri de Marcâ repellendum eſſe teſtimonium.

1050 Quintus Author, qui negat expeditionem Hiſpanicam, eſt Joannes Launoius, homo Gallus, de quo pleniùs dicam Aſſertione 44. & de quo Dominicus Berninus tomo 4. Hiſtoriæ omnium hæreſum ſæculo 17. cap. 7. ait ea, quæ hîc ex Italico latinè verſa damus.

> *Maiori cum ſtrepitu volarunt per Europam libri Joannis Launoii Doctoris Sorbonici Pariſienſis, hominis tam ornati eruditione diſciplinarum, quàm malè inſtructi eruditione Eccleſiaſticæ ſententiæ.*

Et infrà ſubjungit:

> *Quot deinde libros compoſuit Launoius, tot cernuntur prohibiti in Appendice Indicis Librorum prohibitorum. Æquè hoſtis fuit Sanctorum in Cælo, & Religioſorum in terrâ,*

*terrâ, & authoritatis Monarchiæ in Pontificatu Romano.*

Et paulò post, Launoium vocat *temerariorum Antesignanum, & consarcinatorem errorum, & blasphemiarum*, & describit verba Dominici Galesii ex Consultore Sacræ Congregationis Indicis, Episcopi Ruborum in Apuliâ, qui in libro inscripto: *Ecclesiastica in matrimonium potestas*, edito Romæ anno 1675. loquens de quodam Launoii libro, ait:

*Turbari fateor confestim cæpi ipsum legendo, simulque dolore, quod in eo Ecclesiæ jura tam malè haberentur. Hunc ab orthodoxâ veritate omninò alienum CUM HETERODOXORUM DOGMATIBUS, IMPIISQUE IMPOSTURIS CONVENIENTEM COMPERI.*

1051 Hæc delibavi, ut perspiciantur Doctorum hominum de Launoio judicia, nequis Launoii authoritate imprudens decipiatur, nihil tamen tamquam à me dictum credi volo, statui enim nullius manes sollicitare, nec videri insultare leoni mortuo, vel pugnare cum larvis; illud mihi satis est ostendere, Launoium non esse audiendum in causâ expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, quippe, qui testis est minimè idoneus, cùm dixerit in Dissertatione de Authoritate negantis argumenti cap. 128. pag. 149. quòd ii, qui abnutivis Cardinalis Baronii expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi in dubium revocatis *restitere in Hispaniâ præter indignissimam verborum acerbitatem aliud nihil objecerunt. Hæc est indubitata, & sola confutatio eorum, qui veras, & Christianas Traditiones ab impostoris, & fraudibus contra superstitiosos homines defendunt.* His etenim verbis nihil acerbiùs dici potest, innuitur enim esse fraudem, & impostoram id, quod Ecclesia Romana legendum proponit filiis suis, appositio illa non mutandi præcepto; & superstitiosi homines vocantur Sanctissimi

Viri,

Viri, qui Sanctum Jacobum in Hiſpaniam veniſſe ſcripſerunt.

1052 Reprobatur igitur teſtimonium Launoii in hâc cauſâ, ex Lege I. quia eſt contra Breviarium Romanum, ex Lege II. quia eſt contra Traditionem Eccleſiarum, ex Lege III. quia eſt hominis omnia tentantis convellere argumentis purè negativis, ex Lege VI. quia eſt hominis exteri, nempe Galli, contra indigenas, ex Lege VII. quia eſt Authoris recentioris, ſcribentis contra antiquos, quin producat inſtrumentum illis antiquius, ex Lege VIII. quia fuit egregiè mendax, ut conſtat ex illius operum confutationibus, ex Lege IX. quia ſine fundamento pleraque negare ſolitus eſt; & denique ex Lege XII. quia eſt unus ex paucis contra multos, quorum falſitatem non oſtendit, neque oſtendere poteſt.

1053 Dicerem etiam, reprobandum eſſe ex Lege V. ſi mihi conſtaret illam Launoii Diſſertationem de Authoritate negantis argumenti, eſſe ab Eccleſiâ prohibitam; nam licèt Berninus dicat, prohibitos fuiſſe quotquot libros Launoius ſcripſit, tamen illud Opuſculum in Indice Librorum prohibitorum non invenio confixum, neque univerſorum Operum Launoii prohibitionem, licèt maior illorum pars prohibita ſit, ut ſupra Sectione *6.* num. *836.* adnotavi. Illud certè affirmare non dubito, meliùs agi cum expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quando à Launoio negatur, quàm ſi ab illo adſtruetur, cùm ille Author ſoleat non niſi falſa afferere, non niſi vera opugnare, dum maximum ſe jactat veritatis ultorem.

1054 Sextus Author, qui producitur, ut negans expeditionen Hiſpanicam Sancti Jacobi, eſt eruditus Adrianus Baillet, qui in Vitis Sanctorum, ad diem 25. Julii, ſcribens vitam Apoſtoli noſtri, vocat chimericam illius expeditionem Hiſpanicam. In hoc Authore refellendo non

non diu immorandum est, post rejectum ejusdem furfuris Launoium. Cum eisdem pene Legibus, ac Launoius à ferendo in hâc causâ testimonio arceatur; & præterea, cùm neget expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi in libro à Sede Apostolicâ prohibito per Decretum Sacræ Congregationis Indicis die 15. Januarii anno 1714. ut constat ex Indice Librorum à Sanctâ Sede prohibitorum. Unde rejiciendus est etiam Lege V. neque audiendus in hâc causâ Adrianus Baillet, qui ex libidine negandi certiora quæque, negat expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, eodem ipso loco, quo asserit id unde illa certior dici potest. Illius verba Gallica subjeci, ne videar ea, dum transfero, detorsisse: ait igitur die 25. Julii in vitâ Sancti Jacobi §. V.

*Aprés la descente du Saint Esprit lorsque les Apôtres se séparerent pour aller annoncer l' Euangile par toute la terre, Saint Jacques sortit de la Judée avant Saint Jean son frere, et Saint Pierre, mais nous ne pouvons dire positivement où il alla.*

Quæ sic latinè reddo:

*Post descensum Sancti Spiritûs, quando Apostoli sese diviserunt, ut irent annuntiatum Euangelium per universam terram, Sanctus Jacobus exiit è Judæâ, antequam exirent Sanctus Joannes illius frater, & Sanctus Petrus; sed nos non possumus positivè dicere, quò ille abiit.*

Et infrà subjungit:

*On est assurè du moins que Saint Jacques revint quelques années aprés en Judée.*

Quæ latinè sic efferenda:

*Illud saltem est certum, Sanctum Jacobum post aliquot annos reversum fuisse in Judæam.*

1055 Quid igitur curandum, hunc Authorem vocasse chimericam profectionem Sancti Jacobi in Hispa-

niam? Tanta eſt Gallorum ſuperioris ſæculi in res Hiſpanicas æquitas. Sed Bailleto gratias agimus, quòd nobis concedit, Sanctum Jacobum vixiſſe aliquot annos extra Judæam, poſt quos illuc reverſus ſit, vitam pro Chriſto cum ſanguine profuſurus. Illi iterum, atque iterum gratias agimus, quòd fateatur, diſperſos fuiſſe Apoſtolos ante martyrium Sancti Jacobi.

1056 Septimus Author, qui nullo adducto fundamento, negat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, eſt L. Hellias Dupin, etiam Gallus, qui in Novâ Bibliothecâ Authorum Eccleſiaſticorum tomo 1. in Diſſertatione Præliminari §. V. occaſione Epiſtolæ Sancti Jacobi dicit, illam non poſſe attribui Sancto Jacobo Maiori, quia eſt directa ad Chriſtianos, qui erant extra Judæam; cùm iſte fuerit occiſus antequam Euangelium alibi, præterquam in Judæâ, fuiſſet prædicatum.

1057 Nos autem nihil hîc decernentes circa Authorem illius Epiſtolæ, ſolùm dicimus, contemnendum eſſe teſtimonium illius eruditi Critici aſſerentis, Euangelium non fuiſſe prædicatum extra Judæam, vivente Sancto Jacobo, hoc enim eſt maximè à veritate alienum, ut patet ex Actibus Apoſtolorum cap. 9. verſ. 20. ubi reperitur Divus Paulus prædicans Jeſum Chriſtum Damaſci extra Judæam; & cap. 11. ubi reperiuntur diſcipuli prædicantes uſque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, quæ ſunt loca extra Judæam. Cyprus autem eſt Inſula, non ſolùm extra Judæam, ſed extra Continentem Aſiæ. Reperitur Sanctus Barnabas miſſus ab Apoſtolis Antiochiam, ubi jam auditum fuerat Euangelium, & unde miſſi ſunt Jeroſolymas Barnabas, & Saulus, antequam ab Herode occideretur Sanctus Jacobus, cujus necem narrat Sanctus Lucas cap. 12. illius libri.

1058 Neque diutiùs laborandum in diluendo teſtimonio

monio Dupini, cùm adversus ipsum excipiatur per omnes ferè Leges, quibus excluduntur Launoius, & Bailletus, quibus hîc denuò recensendis supersedendum duco.

1059 Octavus Author, qui producitur tamquam negans expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, est Abbas Fleury, qui in Præfatione ad tomum 1. Historiæ Ecclesiasticæ §. *Un autre*, ait:

> *Quand on croira que S. Jacques a préché en Espagne, ou que S. Martial a été des soixante & douze disciples, on ne metra pas son salut en danger: mais de combatre directement ces créances, en certains lieux & devant certaines personnes, ce seroit les escandaliser, les aigrir, & alterer notablement la charité.*

Quæ verba sic latinè sonant:

> *Quando credetur, Sanctum Jacobum prædicavisse in Hispaniâ, vel Sanctum Martialem fuisse unum ex septuaginta duobus discipulis, nemo de æternâ salute periclitabitur. Sed oppugnare directè has sententias certis in locis, & coram certis hominibus, hoc esset illos scandalizare* (sic verto, non enim erubesco Euangelicum verbum, quidquid dicant Ciceroniani) *illos exacerbare, & graviter charitatem offendere.*

1060 Sed nescio, an prudentissimus Fleury faveat iis, qui in mediâ Hispaniâ, vel in Lusitaniâ pietatis studiosissimâ suscepere directè oppugnare expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, cùm hoc lædat charitatem, quâ læsâ, facile est de æternâ salute periclitari, cùm è contra dicat Divus Petrus Epistolâ 1. cap. 4. vers. 8.

> *Ante omnia autem mutuam in vobis metipsis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

Quo se evehere possunt Doctores Critici, qui iis in locis oppugnant expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, in

quibus id fieri non poteſt (teſte eodem Fleury) niſi læſâ charitate, cùm Sanctus Paulus Doctor Gentium dicat 1. ad Corinthios cap. 13. verſ. 2.

*Et ſi habuero prophetiam, & noverim miſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes tranſferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum?*

1061 Quod autem Fleury in ſuâ Hiſtoriâ non ſcripſerit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ex eo provenit, quia noluit referre ea, de quibus inter Recentiores agitatur controverſia; & negari non poteſt, de expeditione illâ diſputari à ſæculo ſexto decimo inter Hiſpanos, & exteros.

1062 Sed demus, Doctiſſimum Fleury negaviſſe expreſsè illam expeditionem, quid inde? num ideo de ipſâ actum eſt? Tanti ne eſt teſtimonium hominis exteri contra indigenas, recentioris contra antiquos, & unius ex paucis contra plurimos?

1063 Neque dicas, Recentiores meliùs præ antiquis hanc materiam diſcuſſiſſe, antiquos autem ſine examine de illâ inſtituto ſcripſiſſe; nam in hâc quæſtione nihil afferunt Recentiores, quod antiquos latuerit, quodque ſi perſpectum haberent, fuiſſent à ſententiâ dimovendi, ut ſatis, ſuperque oſtenſum eſt in hâc Diſſertatione; quæ enim nobis propoſita ſunt, nos non cogunt negare expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; neque antiquos in id impellere potuiſſent, ut patebit ex ſequenti Aſſertione, quâ oſtendemus, Recentiores nullo inſolubili argumento oppugnare ſententiam affirmantem expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

ASSER-

Digitized by Google

# ASSERTIO XLVI.

## *Non officit sententiæ asserenti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi clamor Recentiorum, qui illam argumentis oppugnare tentarunt.*

1064 POstquam præcedenti Assertione probavimus, non officere sententiæ affirmanti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, clamorem eorum Recentiorum, qui illam negarunt, nullâ adductâ ratione in contrarium, superest ut hâc Assertione ostendamus, illi minimè officere clamorem Recentiorum, qui adversus illam undique argumenta corrivarunt, efficiuntque secundum manipulum contra illam pugnantem. Hi sunt, vel Anonymi Lucifugæ, vel Authores magni nominis; neutri tamen possunt de victoriâ gloriari, quod de Lucifugis primo ostendam.

1065 Lucifugas voco eos, qui latenter, & velut ex insidiis sparsis rumoribus, nisi sunt in dubium revocare expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quos, suppresso nomine, referunt Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum anno Domini 1585. editis, ad diem 25. Julii, & pluribus annis ante Baronium Ambrosius de Morales, tomo primo Historiæ Hispaniæ, edito Compluti anno 1574. lib. 9. cap. 7. fol. 228. vers. De quibus dicit citatus Comestabilis Castellæ *nemo se Authorem profitetur*. Voluerunt enim delitescere, vel quia dubitatio illa contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, hausta erat ex cœnoso Hæreticorum fonte, nempe ex Historiâ Magdeburgensium Lutheranorum, qui semper in Hispaniâ

paniâ peſſimè audierunt; vel ne inexpiabilis flagitii arguerentur; juxta id, quod ſcripſit graviſſimus Author Alphonſus Salmeron in Epiſtolâ ad Religioſiſſimum, Doctiſſimumque Virum Stephanum Tuccium, Societatis Jeſu, datâ Neapoli die Reſurrectionis anno 1572. quæ extat ad calcem tomi 16. ejuſdem Operum, dicit enim:

*Si igitur ante duodecimum annum Beatus Jacobus frater Joannis, Judæam non eſt egreſſus, Hiſpanias ille nunquam vidiſſet, neque vivens, ſeu præſentiâ, aut doctrinâ illas illuſtraſſet; quod qui apud noſtrates prædicare auderet, inexpiabile profectò flagitium committere videretur.*

1066 Cautè quidem latere voluerunt, & è re ſuâ, quocirca adnotare placet, quid ſe prodentibus eveniſſet; ex re ſimili à Theophilo Raynaudo ſcriptâ in Antemurali adverſus fortia ingenia, poſtquam meminit defenſæ ab Hiſpanis expeditionis Sancti Jacobi, ubi ait:

*Jam quod Sanctæ Magdalenæ appulſum ad Phocenſes, & Salyos iidem Hypercritici anilibus narrationibus annumerant, Author ſum, ut apud ſuos pronuntient, alioqui ſi in oris illis tale quid, vel eloqui, vel etiam ſubmurmurare audeant, non eſt dubium, quin eâdem ſint ſorte futuri cùm Pelagianis baptiſmo parvulorum inſidiantibus, quos Sanctus Auguſtinus negavit palam mutire auſos, timentes ſputa omnium, & ſandalia mulierciularum.*

1067 Certè eo ipſo, quòd olim obloquentes expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi latere ſtudebant, palam faciebant, ſe male agere, & à veritate recedere juxta Chriſti Oraculum, ſcriptum à Sancto Joanne, Sancti Jacobi fratre, cap. 3. v. 20.

*Omnis enim, qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem.*

Sed

Digitized by Google

1068 Sed jam videamus, quibus argumentis illi Lucifugæ nisi sunt convellere antiquissimam Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, quæ Ambrosius Morales loco citato vocat satis debilia fundamenta, & meritò quidem.

1069 Dicebant igitur primò, non reperiri scriptum, Sanctum Jacobum prædicavisse, præterquam in Judæâ, & Samariâ. Sed quam debile sit argumentum à silentio, ostensum est totâ Sectione præcedenti, maximè Assertione 44.

1070 Dicebant secundò, Sanctum Jacobum non habuisse tempus ad veniendum in Hispaniam; sed hoc esse falsum, demonstratum est Assertione 16.

1071 Dicebant tertiò, divisionem Apostolorum non fuisse factam vivente Sancto Jacobo; sed hoc argumentum enervatum est Assertione 15.

1072 Dicebant quartò, videri deficile, reversurum fuisse Sanctum Jacobum in Judæam, ubi occisus est, si venisset in Hispaniam. Sed huic argumento satisfactum est Assertione 11.

1073 Nihil ergo curandum est de obmurmurationibus Lucifugarum, quos statim silere coegisset Ambrosius Morales eodem capite, folio 229. & sequentibus, nisi ipsis favisset idem, qui eorum argumenta contempsit, Cardinalis Baronius, qui nulli ex illis argumentus fisus, ea omnia prætermittens, aliâ viâ incessit, quâ ductus est in dubitationem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, ut statim videbimus.

1074 Cæsar Cardinalis Baronius, Pater Historiæ Ecclesiasticæ, qui vel ab Ecclesiæ hostibus, quos divicit, extorsit laudem; & qui Annales Ecclesiasticos scripsit *urgente necessitate Ecclesiæ* (ut ait Possevinus in Apparatu Sacro) *ac Deo ipso per Beatum Philippum Nerium Congregationis*

*tionis Oratorii Inſtitutorem, quaſi prophetico ſpiritu impellente.* De quâ Hiſtoriâ, ipſo Poſſevino teſte, dicebat Vir Doctiſſimus Anaſtaſius Germonius: (Vir ipſe & editis voluminibus Clariſſimus) *Ego verò Baronianam Hiſtoriam, quaſi cœleſtem facem ſuſpicio, atque oblatam nobis lucem, cupidiſſimè intueor.* Baronius, inquam, primus fuit inter Catholicos (quem ſciam) qui ſcripſit dubitans de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; non tamen ideo illi ſuccenſendum eſſe exiſtimo, imò potiùs illi referendas eſſegratias ab Hiſpanis omnibus, cenſeo.

1075 Non ſuccenſendum Viro de Eccleſiâ optimè merito, quia ut ipſe dixit in Appendice ad decimam tomum:

> *Nihil cùm oritur, ſtatim perfectum eſt; neque in longâ, & perdifficili viâ illæſo ſemper incedere pede conceditur; atque ubi multæ vigiliæ, non levem ſaltem irrepere ſomnum, haud patitur humana conditio.*

Quid mirandum, in immenſo Opere duodecim ingentium voluminum, reperiri dubitatiunculam unam, quam ſuggeſſit ſuppoſitum Manuſcriptum ex Hiſpaniâ prodiens, & bonâ fide creditum? Quid mirandum, virum Italum in re Hiſpanicâ cæſpitaſſe? Præſertim, cùm certum ſit, oculatiſſimos quoſque ea, quæ procul ſunt, minus videre, aut omninò non videre; omnes cujuslibet nationis Hiſtoricos in rebus aliarum gentium peregrinari. Nihil de magnitudine Baronii detrahit, quòd dubitaverit de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ſicut non detrahit de laudibus Anaſtaſii Synaitæ, quòd in Ducè Viæ cap. 7. Sanctum Auguſtinum Eccleſiæ Doctorem, & Confeſſorem Pontificem proferat ut Martyrem, qui Fidei Catholicæ profuſo ſanguine teſtimonium perhibuerit. Sicut non detrahit de præconiis Sancti Gregorii Nazianzeni, cognomento Theologi, quòd Oratione 18. Cyprianum,

Digitized by Google

prianum, primò Magum, qui Sanctam Justinam ad flagitium pellicere tentarat, postea Sanctum Martyrem, pro Sancto Cypriano Episcopo Carthaginensi acceperit.

1076 Non solùm non succensendum est amplissimo Cardinali pro illâ dubitatione, ut ante me dixit Magnus Macedo, in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam cap. 2. pag. 8. sed potiùs gratiæ agendæ illi Sacri Collegii lumini, illi Historicæ eruditionis abysso; nam sicuti de dubitatione unius ex Apostolico Collegio, hoc est Sancti Thomæ (cujus nomen sonat id, quòd Abyssus) dixit Sanctus Gregorius Magnus Homiliâ 26. in Euangelia: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad Fidem, quàm Fides credentium discipulorum profuit*; sic nobis expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi credentibus, magis profuit dubitatio Cardinalis Baronii, quàm testimonium Cardinalis Turriscrematæ, aliorumque illam expeditionem asserentium; nam antea securi Traditionis suæ Hispani libros non legebant, eam expeditionem scribentes; post dubitationem verò illam *Adversus Baronium* (verba sunt Henrici Spondani ad annum Christi 44. n.4.) *consurrexit pro suarum Ecclesiarum Traditione universa Hispania, multis eâ de re à quocumque hominum genere editis scriptis.* Et, quod caput est, Baronii dubitationi debemus, quod postliminio redierit in Breviarium authoritate Apostolicâ narratio expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, non solùm ut asserta juxta Traditionem Ecclesiarum Hispaniæ; sed ut absolutè affirmata, & Ecclesiæ Universali proposita. Idque non permissivè, ut non nemo dixit, sed imperativè. Cùm fuerit correctio Clementini Breviarii, neque enim Ecclesia permittit corrigi Breviarium, imò id omninò vetat; sed cùm opus est, præcipit illud corrigi, ut factum est ab Urbano VIII. cùm in Breviario reposita est illa Divi Jacobi expeditio, dispunctâ Traditione solius Hispaniæ.

1077 Ut autem oſtendamus & nos, nihil officere ſententiæ aſſerenti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, dubitationem Cardinalis Baronii, diſpiciendum eſt quibus argumentis ipſe in illam dubitationem ſit adductus.

1078 A' quatuor argumentis, tamquam à quatuor ventis, impulſus eſt Cardinalis Baronius, ut in illam rueret dubitationem, ex quibus tria jam diluta ſunt; unum ſupereſt ſuo loco diluendum.

1079 Motus eſt Baronius Manuſcripto Toletano, ſed hujus Manuſcripti ſubleſtam fidem jam demonſtravimus Aſſertione 35.

1080 Motus eſt ex leviſſimâ ſuſpicione falſitatis Authorum, quos pro hâc ſententiá legerat adductos, eos cenſens ſuppoſititios; quòd quàm immeritò judicaverit, ſuo loco demonſtrabitur, & jam de hâc re non nihil dictum eſt Aſſertione 35.

1081 Motus eſt authoritate Sancti Innocentii I. ſed iſtam nihil officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, demonſtratum eſt Aſſertione 26.

1082 Motus denique eſt authoritate Sancti Gregorii VII. Epiſtolâ ad Reges Hiſpaniæ; ſed eam Epiſtolam nihil evincere contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, monſtratum remanet Aſſertione 27.

1083 Prætereo, Cardinalem Baronium innuiſſe, ſe in hanc dubitationem incidiſſe deceptum, cognitâque deceptione, mutaſſe ſententiam, ut ſcribit Doctor D. Didacus de Caſtillo in Prologo libri Hiſpanè ſcripti, cui titulus: *Defenſa de la venida, y predicacion Euangelica de Santiago en Eſpaña.* Ubi ait, quæ hîc latinè reddo.

> *Quod verè, & jurejurando teſtari poſſum, eſt, me hunc meum librum Latino ſermone dediſſe Cardinali Baronio Bonæ Memoriæ, qui illum ſingulari ſtudio legit. Et poſtea*

*postea coram pluribus Aulicis familiæ suæ, qui euntem illum comitabantur, mihi Italico sermone dixit, quæ Hispanicè offero*: Apertè cerni, librum esse optimè elaboratum; suasitque, ut illum in publicum ederem. *Et iterum repetiit*: cura illum typis mandari, ne alii decipiantur circa profectionem Sancti Jacobi in Hispaniam, ibique prædicationem. *Adeo ut miratus fuerim tantam animi demissionem.*

Hæc Castillo, ex quo illa desumpsit D. Michael Erze Ximenes, in libro de Prædicatione Sancti Jacobi in Hispaniâ, parte 1. tract. 6. cap. 1. n. 13.

1084 Post Cardinalem Baronium, producitur Antonius Godeau, Episcopus Vincienſis, qui in Historiâ Ecclesiæ Gallicè exaratâ, tomo 1. libro 1. §. 18. pag. 177. post narratum martyrium Sancti Jacobi, subjungit hæc, quæ latinè reddo:

*Hispani se jactant, illum habuisse Apostolum. Illud satis est, si ipsis relinquatur una pars illius corporis (quia altera conservatur Tholosæ in Templo Sancti Saturnini) quin illis concedatur ea profectio, quando nullus est Author antiquus, qui eam scripserit.*

Præter antiquorum silentium, quod nihil probare latè demonstratum est Assertione 44. sententiam suam nititur persuadere controversiâ inter Archiepiscopum Toletanum, & Archiepiscopum Compostellanum (quem per errorem vocat Episcopum) in quâ à Toletano negatam fuisse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, legitur in Manuscripto Toletano, quo Cardinalis Baronius deceptus est; & quo nihil probari posse, demonstratum est Assertione 35. In margine verò citat Epistolam Sancti Innocentii I. quâ nihil confici, demonstratum est Assertione 26. & Epistolam Sancti Gregorii VII. quâ nihil contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi evinci,

demonſtratum eſt Aſſertione 27. Denique anceps eſt iſte Author, ambigitque an fuerit Divus Paulus, cui Hiſpania debeat converſionem ſuam, an potiùs id debeat propioribus Sancti Petri Succeſſoribus, quorum ſollicitudo miſit Prædicatores Euangelii in omnes provincias Occidentis.

1085 Cùm autem Gallus hic Author nihil dicat, prætea ea, quæ in Baronio legerat, nullus Hiſpanorum, (quem ſciam) curavit illum refellere; neque nos de illius teſtimonio ſolliciti ſumus, poſtquam Baronio reſpondimus.

1086 Producitur, ut oppugnans expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, Chriſtianus Lupus (qui vernaculo ſuæ gentis ſermone dictus eſt Wolf) Vir ſane Doctiſſimus, Eremita Auguſtinianus, cujus luculentiſſimum Elogium extat in libro, cui titulus: *Pantheon Auguſtinianum*, cujus Author eſt Pater Fr. Auguſtinus Maria Arpe Genuenſis, Auguſtiniani Ordinis Hiſtoriographus, illudque opus edidit Genuæ anno 1710. in quarto, eſtque Elogium centeſimum pag. 348.

1087 Sed huic Authori jam reſpondimus Aſſertione 26. numero 491. ideo non opus eſt contra illum excipere aliquot ex duodecim ſupra ſcriptis Legibus, quæ certè illius teſtimonium, ſi contra nos eſſet, poſſent validè elidere.

1088 Imò, cùm hic Author admittat Traditionem Apollonii à pag. 376. licèt eam immeritò tribuat Apollonio Senatori, & ex illâ ſolùm eruat, *quòd Sancti Jacobi Apoſtoli apud Hiſpanos prædicatio non careat ſcrupulis*, ipſi gratiæ referendæ; ſcrupuli etenim illi non nimis nos angunt; ut dixi loco citato.

1089 Neque Lupus adempſit Aſſertoribus expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, loquendi poteſtatem; nam ipſi copiosè reſpondit Excellentiſſimus Marchio de Monde-

Mondexar eruditissimus, non solùm inter Magnates Hispaniæ, sed inter Proceres Reipublicæ literariæ, in libro inscripto: *Predicacion de Santiago en España, acreditada contra las dudas del Padre Christiano Lupo &c.* edito Cæsaraugustæ anno 1682. in quarto, toto capite 4. Ego autem nihil dictis addendum duco.

1090 Acriùs, quàm Lupus in expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, insiliit Author contentiosissimus Natalis Alexander, sed non siluit terra in conspectu hujus Alexandri, neque ille illusit Oracula Authorum, illam expeditionem asserentium; nam ipsi statim eruditè, & solidè respondit Excellentissimus Marchio de Mondexar in proximè citato libro, quo omnia illius argumenta exsufflavit, quod & à nobis præstitum est hâc Dissertatione. Nam primum illius argumentum est, Sanctum Jacobum occisum fuisse ante divisionem Apostolorum, quod nullius momenti esse, demonstravimus Assertione 15.

1091 Secundum deductum est ex controversiâ inter Archiepiscopos Toletanum, & Compostellanum ex Manuscripto Toletano, cui nullam deberi fidem, ostendimus Assertione 35.

1092 Tertium est erutum ex omissione Archiepiscopi Compostellani, non producentis testimonium Callixti II. cui responsum est Assertione eâdem num. 697.

1093 Quartum est ab authoritate Sancti Innocentii I. quâ nihil confici, demonstratum est Assertione 26.

1094 Quintum est ab authoritate S. Gregorii VII. quam non officere expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, demonstratum est Assertione 27. cui inutiliter adjungit Sanctum Hormisdam, de nihilo agentem, nisi de Officio Ecclesiastico.

1095 Sextò inter Authores supposititios numerat Sanctum Isidorum, & Venerabilem Bedam, Callixtum II.

& Turpinum, contemnitque Officium Mozarabe; ſed quàm immeritò rejiciat Sanctum Iſidorum, demonſtrabitur Aſſertione 50.

Quàm immeritò rejiciat Venerabilem Bedam, videbitur Aſſertione 50.

Quàm immeritò rejiciat Callixtum II. oſtendetur Aſſertione 50. De Turpino non curo.

Quàm immeritò contemnat Officium Mozarabe, demonſtrabitur Aſſertione 57.

1096 Septimò ablegat ad ſuppoſititios Authores Sanctum Julianum Toletanum, quod quàm immeritò, demonſtrabitur Aſſertione 50.

1097 Octavò deſpicit teſtimonium Freculphi, Walfridi, Sancti Notkeri, Metelli Trigeſtenſis, ut Recentiorum; ſed quàm nullo jure, oſtendetur Aſſertione 50.

1098 Nonò negat fundationem ſacelli de Columnâ, erecti à Sancto Jacobo; ſed quàm immeritò, oſtenditur in Appendice de eodem ſacello, ad calcem hujus Diſſertationis.

1099 Decimò denique aliò detorquet locum Sancti Hieronymi, quo communiter expeditio Hiſpanica probari ſolet; ſed quàm abs re ſit illa detorſio, videbitur Aſſertione 48.

1100 Ex dictis conſtat, minimè attendendum eſſe ad Natalem Alexandrum. Quibus pauca addo. Primum eſt, Doctiſſimum Patrem Honoratum à Sanctâ Mariâ, Carmelitam Nudipedem, natione Gallum, & inter maiorum gentium Criticos numerandum, tomo 1. Reflexionum ſuper Criticâ, aſſerere, his quatuor generibus argumentorum poſſe oppugnari verſionem Septuaginta Interpretum, cujus in Eccleſiâ ſemper fuit ſumma authoritas, & quam defendit ipſe Natalis Alexander tomo 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti, Ætate ſextâ, Diſſertatione

tatione 8. à paginâ 402. & in Historiâ Ecclesiasticâ Novi Testamenti, sæculo 2. Dissertatione 11. à paginâ 453. Et similiter eodem genere argumentorum posse oppugnari victoriam Sancti Petri de Simone Mago, Romæ reportatam, quam tradit ipse Natalis Alexander in Historiâ Ecclesiasticâ Novi Testamenti, sæculo 1. Dissertatione 12. quibus plura addere possem à Natali Alexandro propugnata.

1101 Secundum est, contra Natalis Alexandri testimonium stare (præter Leges alias) Legem XI. prohibentem credi Authoribus, qui probare intendunt jam solutis, quin exponant vitium responsionum; nam ferè omnia argumenta, quæ affert Natalis Alexander, allata priùs fuerunt à Cardinali Baronio, (cujus non meminit Natalis Alexander) & soluta ab omnibus iis, qui ante Natalem Alexandrum, responderunt Cardinali Baronio pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi.

1102 Tertium est, librum illum Natalis Alexandri prohibitum esse à Sede Apostolicâ; & expressè fuisse notatam à Censoribus Romanis in Natali Alexandro propositionem, quâ asserebat, Sanctum Jacobum nunquam in Hispanias veniisse; ut ipse Author queritur in fine Dissertationis 15. sæculi 1. quod à nobis animadversum est Assertione 68. Unde hic Author rejicitur Lege V. à ferendo testimonio in causâ expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi.

1103 Post Natalem Alexandrum descendit in arenam ex eâdem Galliâ Sebastianus Tillemont, qui tomo 1. Operis inscripti: *Memoires pour servir a l' Histoire Ecclesiastique*, Nota 6. super Sancto Jacobo Maiore, oppugnat illius Apostoli expeditionem Hispanicam, sed omnium meo judicio infeliciſſimè; nam cùm plerosque ex supra dictis Oppugnatoribus eruditione antecelleret, omnium pessimè

ſimè argumentatus eſt, quia cum Natali Alexandro ſuppoſititios vocat libros Sancti Iſidori, Venerabilis Bedæ, Sancti Juliani Toletani, Callixti Secundi, Turpini; & falſitatis arguit Breviarium Toletanum. Cum Baronio profert Manuſcriptum Toletanum, & ſilentium Compoſtellani Archiepiſcopi in Concilio Lateranenſi. Arguit à ſilentio Roderici Toletani in ſuâ Hiſtoriâ; quæ omnia confutata ſunt, ut oſtendimus, cùm de Cardinali Baronio, & Natali Alexandro. Arguit ab Epiſtolâ Sancti Gregorii VII. cui jam reſponſum eſt; deinde, quod maximè mirandum eſt, arguit à ſilentio Græcorum, de hâc expeditione tacentium; cùm Græci, etiamſi loquerentur, non eſſent audiendi; Orientales enim non ſunt teſtes idonei in rebus Occidentalibus, nam Eruditiſſimus Criticus Theophilus Raynaudus tom. 8. in *Antemurali adverſus fortia ingenia*, pag. 143. col. 2. ait.

> *An verò novum eſt, Græcos in rebus noſtris (Latinos dico, & Occidentales) hallucinari?*

Et productis exemplis Anaſtaſii Sinaitæ, & Sancti Gregorii Nazianzeni, quæ ſupra adduximus, ſubjungit:

> *Alia exempla cæſpitationum Græcanicarum in Latinorum Hiſtoriis non deſiderantur.*

1104 Allegat contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, celeberrimum illum locum Sancti Pauli ad Romanos capite 15. ſed ex illo nihil deduci contra illam, demonſtratum eſt Aſſertione 12.

1105. Illud tamen eſt maximè mirandum, quòd cum Baronio, & aliis opponit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, Epiſtolam Sancti Innocentii I. ad Decentium, contra quam plura dicit, quæ elevant illius authoritatem tomo decimo, cùm de Sancto Innocentio; unde perſpicitur, malâ fide agere in hâc quæſtione, eamque Pyrrhonio more tractare, ut Aſſertione 26. dixi de erudito juvene

juvene mihi illam Epistolam opponente, fatenteque, se illi parum credere.

1106 In eo tamen laudandus est Tilemontius, præfertque candorem dignum viro optimo, quòd contra Natalem Alexandrum, alioſque asserit, non esse considerationedignum illud argumentum, quo asseritur, Sanctum Jacobum occisum fuisse ante divisionem Apostolorum, cùm ignotum sit quo tempore illi discesserint in provincias, ut ipse Tilemontius latiùs prosequitur eodem tomo 1. Nota *6.* super Sancto Matthæo pag. *654.*

1107 Contra Tilemontium felicissimè pugnavit Doctissimus Vir Joannes de Ferreras, grande nostri sæculi ornamentum, Hispaniæque decus, brevi, sed nervosissimâ conscriptâ Dissertatione pro Adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, ejusque Prædicatione in his provinciis; quod aureum Opusculum dignum est, quòd millies recudatur.

1108 Mihi autem satis est ostendere, Tilemontium indignum fide esse, juxta pleraſque Leges supra scriptas, & præsertim ex Lege XI. prohibente credi Authori rem probanti argumentis pridem solutis, quin demonstret vitia solutionum.

1109 Profligato Tilemontio à Doctissimo Ferreras, prælium instauravit Gallus alter, & ipse Doctissimus Augustinus Calmet, Monachus Benedictinus, qui in Commentario Literali in Acta Apostolorum, Gallicè exarato, capite 12. vers. 2. ubi iterum oggerit ex Baronio, Natali Alexandro, & Tilemontio, falsum esse, Isidorum de vitâ, & obitu Patrum, collectanea indigna esse Venerabili Bedâ, Callixtum II. vixisse duodecimo sæculo, suppositium esse Turpinum, memoratque Breviarium Toletanum, quibus Hispani suam firmant sententiam; subjungitque, omnia hæc testimonia esse nimis debilia, nimis

recentia ad probandum ejuſmodi factum, præterquam quòd ſint nimis dubia, & falſitatis ſuſpecta. Addit cum Tilemontio Græcis fuiſſe hanc expeditionem incognitam. Dicit, Sanctum Sophronium in Translatione libri Sancti Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis aſſerere, Sanctum Jacobum prædicaſſe duodecim Tribubus diſperſionis Judæorum. Subjungit, ipſos Hiſpanos negaviſſe Miſſionem Sancti Jacobi in Hiſpaniam, & denique, Rodericum, Doctum Archiepiſcopum Toletanum, aſſeruiſſe in Concilio Lateranenſi anno 1215. contra Archiepiſcopum Compoſtellanum, nullo pacto probari, Sanctum Jacobum unquam fuiſſe in Hiſpaniâ.

1110 Sed cùm jam his omnibus factum ſit ſatis in reſponſionibus ad Baronium, Natalem Alexandrum, & Tillemontium, nihil ſupereſt, niſi gratias agere Doctiſſimo Gallo, quòd nobis non obtruſerit Traditionem Apollonii, neque ſeram Apoſtolorum profectionem, neque præcocem mortem Sancti Jacobi, neque clauſum Gentibus oſtium Fidei, vivente Sancto Jacobo, neque locum Epiſtolæ ad Romanos capite 15. & maximè, quod ingenuè faſſus ſit, Sanctum Sophronium ſcripſiſſe, Sanctum Jacobum Maiorem prædicaviſſe duodecim Tribubus diſperſionis Judæorum. Nam Sanctus Sophronius fuit æqualis Divo Hieronymo, ab ipſoque laudatus, ac proinde Author quarti ſæculi; Sanctus verò Jacobus, ut prædicaret duodecim Tribubus diſperſionis Judæorum, debebat etiam prædicare Judæis per Hiſpanias diſperſis, ut eruditiſſimè, & latiſſimè probat Sapientiſſimus Joannes de Puente, Ordinis Prædicatorum, in egregio opere inſcripto: *Conveniencia de las dos Monarchias Catholicas*, edito Matriti anno 1612. in folio, tomo 1. libro 2. capite 14. & ſequentibus. Et ex hoc loco Sancti Sophronii, proſequitur latitudinem provinciarum, quæ à Sancto Jacobo doctæ

ſunt

Digitized by Google

ſunt legem Euangelicam; & §. 2. queritur de Cardinali Baronio, quòd cùm ex Sancto Sophronio ſcripſerit expeditiones Sancti Andreæ, Sancti Thomæ, & Sancti Mathiæ, deveniens tamen ad Sanctum Jacobum Maiorem, reticuerit teſtimonium Sancti Sophronii, quia cognovit favere adventui Sancti Jacobi in Hiſpaniam. Unde multum debemus Calmeto, illud teſtimonium non reticenti.

1111 Præter paucos iſtos Authores Orthodoxos, qui producuntur contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, produxit mihi non nemo Authorem Heterodoxum, unum ex illis, quos Galli (forſan per antiphraſin) vocant *fortia ingenia*, cùm potiùs iſtiuſmodi homines dici debeant *ingenia debilia*, utpote qui cedunt ratiunculis nullius ponderis, ut jam animadverti numero 35. Is eſt Samuel Baſnagius, qui Annales Politico-Eccleſiaſticos edidit Roterodami anno 1706. tribus voluminibus in folio. Legi hunc Authorem Heterodoxum, licèt ex profeſſo de Religione tractantem, (ad id enim jamdudum obtinui facultatem à Romano Pontifice) reperique tomo 1. ad annum Chriſti 44. numero 5. & 6. totum eſſe in oppugnandâ expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, cujus Traditionem dicit, infixam eſſe medullis plerorumque Hiſpanorum. Contra illam vehementiùs clamat; dicit enim eſſe *nugaciſſimam fabulam*; dicitque, illius tandem puduiſſe Baronium, Eſtium, Chriſtianum Lupum, Natalem Alexandrum, alioſque bene multos. Sed nihil minus officit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, quàm vehementior Baſnagii clamor; nam nihil aliud agit, quàm detegere odium in Eccleſiam Romanam, omnibus Hæreticis commune, ignorantiam Hiſtoriæ, & neglectum Critices; tres peſſimos fontes, ex quibus primò profluxit negatio expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, quam oppugnant Hæretici ex odio in Eccleſiam, Catholici verò nonnulli ex

ignorantiâ Hiſtoriæ, & neglectu Critices, ut aliàs diximus.

1112 Oſtendere autem Baſnagium ignorantiam Hiſtoriæ, neglectum Critices, & odium in Eccleſiam Romanam, ſic demonſtro.

1113 Dicit, Aſſertores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ſolùm inniti Columnæ Cæſarauguſtanæ, & duobus Authoribus obſcuris Tilpino, & Callixto II. & Breviario Toletano: ergo ignorat, nos inniti aſſertioni tot teſtium, quot producti ſunt ab iſtius ſententiæ Patronis, quotque referemus tertiâ parte hujus Diſſertationis. Prætereo, à Baſnagio vocari Breviarium Toletanum, nobile, & antiquum illud volumen Officii Iſidoriani, ſive Mozarabis; quo olim uſa eſt non ſola Eccleſia Toletana, ſed omnes Eccleſiæ trium Hiſpaniarum, Beticæ nempe, Luſitanæ, & Tarraconenſis; & etiam Eccleſiæ Galliæ Gothicæ.

1114 Oppugnat Baſnagius illam expeditionem à ſilentio antiquiorum, quod nihil illi officere, jam demonſtravi totâ Sectione *6*. per Aſſertiones *6*. Sed contra Baſnagium addendum eſt, fruſtra illum requirere teſtes antiquos, quibus ipſe non eſſet crediturus. Ridendus enim eſt Baſnagius, dum hîc nobis objicit illud Martyrologii Romani ſilentium, quod nos nihil nobis officere, demonſtravimus Aſſertione 41. Ipſe verò Baſnagius ad annum Chriſti 46. numero 48. ait:

> *Martyrologia non moramur, quæ à cordatis viris pro Germanæ antiquitatis monumentis nunquam habebuntur.*

Si Baſnagius non moratur Martyrologia clamantia, ad quid nobis objicit Martyrologiorum ſilentium? Ridendus eſt, dum ad annum Chriſti 44. n. *6*. de hâc expeditione loquens, ait:

> *Eam quoque oblivione conterunt Athanaſius, Epiphanius, Cyrillus*

*Cyrillus Hierosolymitanus, Theodoretus, qui tamen de Legatione Pauli Hispanicâ disertè commemorarunt.*

Deinde ad annum Christi 46. n. 49. ait:

*Ut Patrum bene multorum de Hispanicâ Pauli expeditione testimonia obscuræ, vanæque famæ sint adscribenda.*

Ad quid requirit Basnagius testimonia Patrum, si judicat ea obscuræ, vanæque famæ esse adscribenda? Primo loco dicit, Sanctum Athanasium, Sanctum Epiphanium, Sanctum Cyrillum Hierosolymitanum, & Theodoretum Legationem Hispanicam Sancti Pauli *disertè commemorasse*; & secundo loco asserit, ea testimonia esse *obscuræ, vanæque famæ adscribenda.* O' præclaram fortis ingenii constantiam! ceu citra ironiam: ò ridendam debilis ingenii levitatem! Ridendam dixerim, an deplorandam Basnagii levitatem, quâ gravissimorum Patrum testimonia, judicat *obscuræ, vanæque famæ adscribenda*? Invenit infelix iste Criticus artem evadendi quidquid ex Sanctis Patribus, antiquisque Authoribus produci potest contra hæreticos errores. Unde probat Basnagius obscuræ famæ esse adscribenda ea, quæ à Clarissimis Authoribus asseruntur? Unde eruit, eam famam fuisse vanam, quam Doctissimi Patres probaverunt? Qui Patres non recipit, testantes expeditionem Hispanicam Sancti Pauli, quâ fronte poscit Patres, qui Sancti Jacobi Hispanicam expeditionem testati fuerunt? Videtur mihi Hæreticus iste Criticus cum suis imitatoribus similis quinque illis Divitis Avari fratribus, de quibus dixit Abraham apud Sanctum Lucam capite 16. vers. 31.

*Si Moysen, & prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexit, credent.*

1115 Ut probet, Sanctum Jacobum non venisse in Hispaniam, laudat veterem Authorem apud Oecumenium, qui ait:

*Jacobus*

*Jacobus Zebedæi filius, duodecim Tribubus, quæ diſperſæ erant, prædicavit.*

& ſubjunxit Baſnagius:

*In Hiſpaniâ Judæos fuiſſe diſſeminatos ignoramus.*

Ergo ſi ſciret, Judæos in Hiſpaniâ fuiſſe diſſeminatos, fateretur, veterem illum Authorem tradidiſſe, Divum Jacobum illis in Hiſpaniâ prædicaviſſe; præſertim cùm adducat Sanctum Sophronium dicentem:

*Jacobus Zebedæi filius duodecim Tribubus, quæ erant in diſperſione* omnibus *prædicavit.*

Plus enim ſignificare videntur verba Sancti Sophronii, quàm verba illius veteris Authoris, cùm adjiciant illud ſignum univerſale *omnibus*; ſed *forte* illud *ingenium* ignorabat, in Hiſpaniâ Judæos fuiſſe diſſeminatos; id, niſi ignoraſſet, fateretur, eos Authores docere, Sanctum Jacobum prædicaviſſe Judæis in Hiſpaniâ.

1116 Hinc videtur, quàm meritò dixerim, oppugnationem expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi profectam eſſe ex ignorantiâ Hiſtoriæ; nam conſtat, Judæos tempore Sancti Jacobi fuiſſe in Hiſpaniâ, ut dixi numero 391. & 392. Ibi dictis addo illud Ciceronis Oratione pro Flacco:

*Cùm aurum Judæorum nomine quotannis ex Italiâ, &* ex omnibus veſtris provinciis *Hieroſolymam aſportari ſoleret.*

Si tempore Ciceronis, qui occiſus eſt anno tertio ſupra quadrageſimum ante Æram Chriſtianam, erant Judæi in omnibus provinciis Populi Romani, utique erant in Hiſpaniâ, quæ proculdubio erat Populi Romani provincia; neque enim probari poteſt, fuiſſe expulſos ab Hiſpaniâ ante tempus prædicationis Sancti Jacobi. Sed ut deveniamus ad tempora Sancti Jacobi, qui fuit multò junior Cicerone, & vixit temporibus Imperatoris Caii, addo illud

illud Josephi, lib. 19. Antiquitatum Judaicarum capite 1.

> *Caius porro non in solos Judæos Hierosolymis, & in vicinis regionibus degentes debacchatus est, sed terrâ, marique, quàm latè Romanum patet imperium.*

Si igitur in toto Romano imperio erant Judæi tempore Imperatoris Caii, utique tempore prædicationis Sancti Jacobi erant in Hispaniâ, quæ erat sub imperio Romano.

1117 Hæc libuit addidisse iis, quæ dixeram numero 391. ubi cum Sancto Joanne Chrysostomo Homil. 76. dixeram, Judæos fuisse in Hispaniâ, antequam Divus Jacobus martyrii laureâ coronaretur; quod se ignorare fatetur Basnagius.

1118 Opponit nobis Basnagius Traditionem Apollonio adscribi solitam de morâ Apostolorum Hierosolymis per duodecim annos, quam nihil officere expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, demonstravimus Assertionibus . . . & de quâ etiam se dubitare ostendit ipse Basnagius, ut videbimus numero 1124.

1119 Objicit Epistolam Sancti Innocentii I. ad Decentium, cui jam respondi Assertione 26.

1120 Argumentatur contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi ex modico fructu, quem nonnulli dicunt, ipsum collegisse ex suâ prædicatione in hâc provinciâ, cui jam abundè satisfactum est Assertione 14.

1121 Producit confictam disputationem Archiepiscopi Toletani cum Archiepiscopo Compostellano, ex Manuscripto nullius fidei producto, & impugnato à Garciâ Loaisâ, & denique silentium Roderici Toletani in suâ Historiâ, quæ nullius ponderis esse, jam demonstravimus Assertione 35. in quibus producendis æquè ostendit & Historiæ ignorantiam, & Critices neglectum, quibus laborant

laborant Oppugnatores expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ut dictum eſt numero 31. & ſequentibus.

1122 Baſnagii certè oppoſitio non ſolùm nihil officit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ſed imò potiùs illius Aſſertoribus famulatur, idque dupliciter; primò, quia licèt ſit homo Gallus, fatetur tamen, Galliam circa res Sancti Jacobi, æmulam eſſe gloriæ Hiſpanicæ, quo teſtimonio exarmantur quotquot Galli venire poſſunt in auxilium Oppugnantium expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Secundò, cùm ſit Hæreticus, pandit conſilia Hæreticorum in oppugnandâ ſacrâ illâ expeditione, nihilque æquè in militiâ juvat, atque explorari hoſtium conſilia, ad illaque perveniri. Evenit autem Catholicis Romanis cum Baſnagio, quod olim evenit Romano Catoni cum milite Hiſpano, qui raptus, perlatuſque in caſtra Catonis, *omni ſuorum arcana confeſſus eſt*, ut ait Frontinus lib. 1. Strategematum cap. 2. exemplo 4. Nam Baſnagius pandit arcana conſilia Hæreticorum in oppugnandâ expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quæ ſunt; elevare fidem miraculorum, quibus os obſtruitur Atheiſtis; Breviariorum, quibus Deus colitur; veterum Manuſcriptorum, quibus veritas adſtruitur; Traditionum, quibus, quæ non ſunt ſcripta, firmantur; Martyrologiorum, quibus memorantur triumphi eorum, quos ut Sanctos Eccleſia Romana veneratur; Sanctorum Patrum, quos eadem Eccleſia ſuſpicit ut Magiſtros; & addere vim argumento negativo, (quod cum Harpersfeldio diximus numero 839. eſſe clavam Hæreticorum) & denique dejicere Romanam Cathedram Sancti Petri; nam juxta Baſnagium, rejectâ expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi:

> *De culmine ruit* (verba ſunt Hæretici Baſnagii) *miraculorum, Breviariorum, Manuſcriptorum, veterum authoritas, & vis negantibus conciliatur argumentis, quæ ex antiquorum ducuntur ſilentio.*

De

De Traditionibus autem ait:

*Magnum in Traditiones ex antiquorum silentio petitur argumentum.*

1123 Quanti Basnagius faciat Romanum, aliaque Martyrologia, & quomodo Clarissima eludat Sanctorum, antiquissimorumque Patrum testimonia, jam supra observavimus numero 1114.

1124 Quâ ratione Basnagius eat dejectum Cathedram Romanam Sancti Petri, perspicitur ex callidissimâ ratione adstruendi Traditionem Apollonii, quâ antequam oppugnaret expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi ad annum Christi 44. n. 5. bellum moverat Cathedræ Romanæ Sancti Petri ad annum 42. num. 10. ubi dixerat:

*Neque moramur, utrum vera sit necne, illa Apollonii Traditio. Ex eâ nimirum ut ut falsâ hoc probè intelligimus, Apollonium, Patresque eo antiquiores ab Eusebianâ Chronologiâ alienos fuisse, quæ cum veteri illâ Traditione pugnat. Quippe impossibile est, Petrum anno Claudiano secundo Romam migrasse, de capessendo ejus urbis Episcopatu, si à Christo prohibitus est ante duodecennium à Passione, exire Hierosolymam. Posterius antiquis creditum, prius igitur pro falso habitum.*

1125 Viderint alii Catholici, quo consilio Hæretici amplectantur sententiam, quæ negat expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi; sententiam, quam primi ediderunt Hæretici Centuriatores Magdeburgenses, ut dixi numero 1032. Viderint cujus latus petant districti illi mucrones Traditionis Apollonii, & argumenti negativi, quod Reverendissimus Pater Laubrussel vocavit gladium ancipitem in manu hominis furiosi. Ego enim ex lectione Basnagii magis confirmor in asserendâ expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi; video enim cum illâ firmiùs stare Cathedram Romanam Sancti Petri, stare authoritatem

miraculorum , Breviariorum , Manuſcriptorum veterum, & detrahi vim ( ſi ullam habent ) negantibus argumentis. Video roborari authoritatem Traditionum, quibus timebat Magnus Suarius ex negatione expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi. Authoritatem Martyrologiorum, & Sanctorum Patrum. Video denique omninò ruere Traditionem Apollonii, quæ licèt nullum unquam mihi, aliis tamen Aſſertoribus illius expeditionis, magnum negotium faceſſivit; nam ſicuti numero 409. aſſerui , non potuiſſe approbari ab Euſebio eam Traditionem , quia pugnabat cum Cathedrâ Antiochenâ Sancti Petri, ſic iterum aſſero, non potuiſſe approbari ab Euſebio Traditionem, quæ fatente Baſnagio, pugnat non ſolùm cum Cathedrâ Romanâ Sancti Petri, ſed cum totâ Chronologiâ Euſebianâ. Ergo omnes Patres, & Authores , qui aſſeruerunt Sancti Petri Cathedras, Antiochenam ſcilicet & Romanam, negaverunt Traditionem Apollonii. Aſſerunt Cathedram Antiochenam Sancti Petri Sanctus Hieronymus Doctor Maximus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, §. *Petrus*, & Sanctus Leo Magnus Serm. 1. in Natali Apoſtolorum: ergo Sanctus Hieronymus, & Sanctus Leo negant Traditionem Apollonii. Aſſeruit Sanctus Cyprianus Epiſtol. 55. ad Sanctum Cornelium Cathedram Romanam Sancti Petri: ergo Sanctus Cyprianus negavit Traditionem Apollonii. Aſſeruit hanc Cathedram Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum , §. *Petrus*, & Epiſtola 57. ad Sanctum Damaſum Luſitanum Pontificem Maximum: ergo Sanctus Hieronymus negavit Traditionem Apollonii. Aſſeruit hanc Cathedram Sanctus Auguſtinus libro 2. contra literas Petiliani Donatiſtæ capite 51. ergo negavit Sanctus Auguſtinus Traditionem Apollonii. Aſſeruit ipſam Cathedram Sanctus Proſper in Carmine de Ingratis, dicens:

*Sedis*

*Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris*
*Facta Caput Mundo, quidquid non possidet armis*
*Religione tenet.*

Ergo Sanctus Prosper negavit Traditionem Apollonii.

1126 Imò cùm neque Apollonius, neque Patres ipso antiquiores potuerint negare Sancti Petri Cathedram Antiochenam, & Romanam, signum est, neque Apollonium, neque Eusebium scripsisse eos duodecim annos, sed ipsos intrusos fuisse ab aliquo Hæretico in librum Eusebii, sicuti & in librum Sancti Clementis Alexandrini; vel introductos fuisse per errorem Librariorum, qui legentes duos annos, scripserunt duodecim, ut cum Doctissimo Papebrochio dixi Assertione 17. n. 410.

1127 Ex quibus inverto illud Basnagii enthimema: *Posterius antiquis creditum;* (nempe præceptum de morâ duodecim annorum) *prius igitur pro falso habitum;* (nempe Cathedra Romana Sancti Petri.) Et dico: *Prius antiquis creditum;* (nempe Cathedra Romana Sancti Petri) *posterius igitur* (nempe præceptum de morâ duodecim annorum) *pro falso habitum*: ergo fabulosa fuit illa Traditio Apollonii, quâ præceptum illius moræ obtrudebatur. Basnagiusque (ut nonnulli alii hostes expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi) suo se jugulat ferro. Quæ cum ita sint, opus non est excipi contra testimonium Basnagii, ipsum repelli à ferè omnibus duodecim Legibus supra latis.

1128 Antequam discedam à confutatione Authorum, qui impugnandam Sancti Jacobi expeditionem Hispanicam suscepere, animadverto, plerosque à nobis exposcere vestigia illius prædicationis in Hispaniâ, & similiter desiderare vestigia, quæ etiam num extent in hâc provinciâ, prædicationis Sancti Pauli, qua ego confirmandam suscepi expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi in hâc Dissertatione; iisque omnibus respondeo, de Fide

eſſe, Sanctos Apoſtolos prædicaviſſe in illis locis, in quibus in Sacrâ Paginâ ſcribitur, illos prædicaviſſe; & tamen nulla, aut ferè nulla, jam extant earum expeditionum veſtigia, quæ ſi expetierimus ab Adverſariis, reſpondebunt, & quidem citra mendacium, illa antiqua veſtigia jam dudum injuriâ temporum interiiſſe.

1129 Similiter nos reſpondere poſſumus Adverſariis noſtris, quando nullum extet in Hiſpaniâ Apoſtolicæ prædicationis veſtigium; (ut verè extat Columna Cæſarauguſtana, de quâ ſuo loco) nam non omnia antiquitatis monumenta ſunt ære perenniora; ignorantiæque Hiſtoriæ, neglectuique Critices adſcribendum eſt, poſci monumenta, quæ etiam num extare debeant rerum antiquiſſimarum, cùm omnia in terris ſint interitui obnoxia, & vel magnarum Urbium etiam perierint ruinæ, ut elegantèr cecinit ſuaviſſimus Poeta, & diſertiſſimus Hiſtoricus, Academiæ Regalis Socius, Luſitaniæque Latinâ linguâ Regius Hiſtoricus, rerumque ad Bullam Sanctæ Cruciatæ ſpectantium Conſultor Sapientiſſimus, Reverendiſſimus Pater Antonius dos Reys, Congregationis Oratorii, libro 1. Epigrammate 92. ubi ait:

*Hic, ubi lætus ager valido proſciſſus aratro,*
*Grana recepta prius multiplicata refert:*
*Hic, ubi pandentis latè ſua germina lauri*
*Contegit herboſum textilis umbra ſolum:*
*Hic, ubi verſicolor gemmaſcit floribus hortus,*
*Latus, & à ventis undique ſpirat odor:*
*Hic, ubi prægnantis ſilicis cana viſcera fontem*
*Dant placidè gelidæ, lene fluentis aquæ;*
*Urbs fuit ante frequens, domibus decorata ſuperbis,*
*Splendida, bellatrix, nobilis, ampla, potens.*
*Cujus prægrandes etiam periere ruinæ,*
*Sic, ut an extiterint? jam dubitare queas.*

*Prob!*

*Proh! quam subvertit mortalia cuncta vetustas!*
*Proh! quas humanæ res subiere vices!*
*Non res dumtaxat pereunt, rerumque ruinæ,*
*Notities etiam, quod periere, perit.*

1130 Postquam verò ostendimus, nihil officere sententiæ asserenti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi clamores Recentiorum, non solùm eorum, qui illam expeditionem negant, nullâ productâ probatione, sed neque eorum, qui nullum non movêre lapidem, ut illam oppugnarent, collectis undique argumentis, quæ sibi apta videbantur ad convellendam receptissimam Traditionem de adventu S. Jacobi in Hispaniam; nam omnium tela retusa sunt, omnesque, qui contra illud maximum Hispaniæ decus insurrexere, devicti sunt, & non tantum semel, sed sæpiùs invictis veritatis armis, firmo Historiarum testimonio, recto Critices usu profligati, superest, ut Adversariis nostris (siqui etiam num extant) dicamus cum Sancto Augustino, libro ad *Donatistas* post Collationem cap. 2. tomo 9. editionis Congregationis Sancti Mauri, columnâ 395. D. *Quid adhuc victis hominibus creditis, & veritati, quæ nunquam est victa. non creditis?*

## SECTIO VIII.

### *Asseritur, non officere sententiæ asserenti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi Missale, quod dicitur Gothicum.*

1131 HAnc Sectionem unicâ Assertione absolvo, quam non potui aliis adjungere; quia in illâ dissolvitur argumentum, quod non est prioribus affine, sed novum, & singulare. Novum, quia nunquam hucusque

cuſque propoſitum. Singulare, quia unicum eſt, quod deſumitur ex libro Eccleſiaſtico; & religioſæ dimiſſionis lege teneor in noviſſimo loco proponere argumentum à me adinventum, ad imitationem Sancti Hieronymi, qui priùs enumeravit aliorum Scriptorum opera, & in noviſſimo loco recenſuit ſua.

## ASSERTIO XLVII.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi non impugnatur teſtimonio Miſſalis Gothici, editi à V. Joſepho Mariâ Thomaſio ex Clerico Regulari, S. R. E. Cardinali.*

1132 POſtquam dilui omnia argumenta, quæ ſcio producta eſſe ab omnibus, qui ſæculo 16. & 17. impugnaverunt expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, & à Recentiore Adverſario hoc ſæculo 18. volo etiam reſpondere argumento, quod ego ipſe primus inveni; quodque mihi videtur, non eſſe deſpiciendum, neque ſine reſponſione prætereundum. Et fateor, nullum ex reliquis argumentis mihi videri fortiùs oppugnare expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ita ut intelligam, hoc dejecto, nullum aliud ſtare poſſe. Nec tamen ideo illud volui ſilentio premere, quia ſoli Veritati lito.

1133 Deſumo hoc argumentum ex Miſſali Gothico, quod erutum ex Manuſcripto Bibliothecæ Sereniſſimæ Chriſtinæ Alexandræ, Reginæ Suecorum, publici juris fecit Romæ anno 1680. in volumine inſcripto: *Codices Sacramentorum nongentis annis vetuſtiores*, Joſephus Maria Thomaſius, tunc Noſtræ Clericorum Regularium Congregatio-

gregationis Præsbyter, postea S. R. E. Cardinalis, Tituli Sanctorum Silvestri, & Martini, qui Romanæ Purpuræ humeros subjecit, adactus sanctiore imperio Sanctissimi Pontificis Clementis XI. die 18. mensis Maii anno hujus sæculi duodecimo, abiitque ad Superos meritis, & virtutibus clarus Kalendis Januarii anno sequenti ipso die, quo antea obierat anno 1675. alterum nostri Ordinis lumen clarissimum Carolus Maria Thomasius, ipsius Cardinalis patruus, Dux olim Palmæ, Princepsque Lampedusæ. Et cùm uterque esset primogenitus, uterque amplissimam, & opulentissimam reliquit domum, ut pauperrimæ Clericorum Regularium Familiæ adscriberetur. Utriusque Elogium habes apud Antoninum Mongitore, tomo primo Bibliothecæ Siculæ. Caroli vitam ex nostris scripsit Joannes Bonifacius Bagatta, ediditque Romæ anno 1702. in quarto. Cardinalis verò Thomasii virtutibus etiam, & miraculis clari vitam scripsit Dominicus Berninus, eamque edidit Romæ anno 1714. in quarto; & ex nostris Antonius Maria Borromæus, Episcopus Justinopolitanus, eamque edidit Romæ eodem anno 1714. Canonicus Joannes Marius Crescimbenius, Arcadiæ Custos tomo 3. vitarum Arcadum Illustrium; nam noster Cardinalis, etiam inter Arcades Academicos adlectus est, sortituſque nomen Alcidami Aridii. Ego autem illustrari volui hanc meam lucubrationem nomine Clarissimi Viri, cujus fui in religioso cætu sodalis, in Arcadum Academiæ Socius, in Urbe Româ annis decimo, & undecimo hujus sæculi cultor, & admirator, & quocum mihi intercesserat ab anno 1693. literarum necessitudo.

1134 In Missali igitur Gothico, quod reperitur eo volumine inscripto: *Codices Sacramentorum nongentis annis vetustiores*, à paginâ 263. extat paginâ 272. Missa in Natali Apostolorum Jacobi, & Joannis, in quâ tres sunt clausu-

clauſulæ, quæ videntur opponi expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi.

1135 Prima clauſula legitur illic in Collectione ad Pacem, ubi memoratis Sanctis Apoſtolis Jacobo, & Joanne, ſubjungitur:

> *Præſta, ut poſſimus prædictorum Martyrum tuorum, Apoſtolorumque, vel illius exemplo fidem tenere, quâ coronatur, vel iſtius magiſterio charitatem diſcere, quam docetur.*

1136 Quibus verbis tribuitur Sancto Jacobo ſolummodo exemplum operum, ſoli verò Sancti Joanni magiſterium verborum; ac proinde videtur innui, Sanctum Jacobum non prædicaſſe.

1137 Secunda verò clauſula legitur in Benedictione Populi, ubi poſt nominatos Sanctum Jacobum, & Sanctum Joannem, ſubditur:

> *Da plebi tuæ, imitari quod unus exorando; alius docendo formavit.*

Quibus videtur, ſolùm tribui Sancto Jacobo exorare, non verò docere, quod hîc ſoli tribuitur Sancto Joanni: ergo innuitur, Sanctum Jacobum non prædicaſſe.

1138 Tertia denique clauſula legitur in eâdem Benedictione Populi, quâ poſt proximè dicta, ſubjicitur:

> *Fructificet in hoc populo, quod ſeminavit iſte verbo; plantavit ille martyrio.*

Quibus verbis videtur ſoli Sancti Joanni, ſecundo loco nominato, tribui prædicatio, non verò Sancto Jacobo, cui ſolùm tribuitur plantaſſe Fidem martyrio: ergo Sanctus Jacobus non prædicavit.

1139 Quanti ponderis ſit hujus Miſſalis Gothici authoritas, cognoſci poteſt primò ex illius antiquitate; nam illius exemplar, quod edidit noſter Venerabilis Cardinalis Thomaſius jam anno 1671. quò Cardinalis Bona

edidit

Digitized by Google

edidit Romæ libros ſuos Rerum Liturgicarum, erat ante nongentos annos ſcriptum, ut docet idem Cardinalis Bona, Rerum Liturgicarum libro 1. cap. 12. n. *6.* Unde oportuit, illum Codicem fuiſſe exaratum octavo ſæculo, idque ante annum 771: Secundò, ex eo, quòd dicatur Miſſale Gothicum, ſuſpicari quis poſſet, fuiſſe Miſſale Galliæ Narbonenſis, quæ parebat Gothis in Hiſpaniâ regnantibus; quod exiſtimavit Cardinalis Thomaſius erui ex Cardinali Bonâ, ut conſtat ex ipſius Cardinalis Thomaſii Præfatione in Codices Sacramentorum, §. *Secundus hujus Collectionis Codex.*

1140 Tertiò à Sanctitate Authorum, nam de Authoribus Miſſarum, quæ extant in Miſſali Gallicano, ait Cardinalis Bona, citato lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 12. §. 9. de illis Miſſis loquens:

> *A' quibus primum compoſitæ fuerint, ignoramus; non eſt tamen dubitandum; quin à viris, & vitæ ſanctitate, & Fidei integritate conſpicuis editæ ſint, alioquin non fuiſſent ab Eccleſiâ receptæ.*

1141 Videtur igitur hoc Miſſale maximum negotium faceſſere poſſe Aſſertoribus expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ex illo enim videtur elici, ipſam octavo ſæculo fuiſſe incognitam in Eccleſiâ Narbonenſi, quæ ſubjecta erat dominio Gothorum in Hiſpaniâ regnantium. Nihilominus firma, inconcuſaque perſtat noſtra ſententia.

1142 Primò, quia licèt illud Miſſale habeat titulum Miſſalis Gothici, non fuit Miſſale Gothicum, ſed Gallicanum, & illi *initio præfixus hic titulus eſt manu recentiori* Miſſale Gothicum, teſte Cardinali Bonâ, & per Antiquarii imperitiam vocatum eſt Miſſalle Gothicum, ſicuti accidit alteri Codici *Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ ejuſdem ferè antiquitatis, cui imperitus Antiquarius manu quoque recentiori*

*Miſſæ Romanæ titulum inſcripſit, cùm ab eâ plurimum diſtet*; ut ait idem Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 12. num. *6*.

1143 Simile quidem eſt Miſſale Gallicanum Miſſali Gothico, ſed non idem; ſimilis extitit Miſſa Gallicana Miſſæ Gothicæ, ſed non eadem, ut obſervat Cardinalis Bona, loco citato n. 5. ubi ait:

> *Hinc manifeſtè deducitur, veterem Miſſam Gallicanam ei ſimilem fuiſſe, quæ Toleti, & per univerſam Hiſpaniam, atque etiam in Galliâ Narbonenſi Gothorum Regno ſubditâ agebatur, eo ritu, qui Mozarabicus nuncupatur.*

1144 Tam ſimilitudinem, quàm diverſitatem inter Miſſam Gallicanam, & Gothicam demonſtrat eodem loco §. *6*. Cardinalis Bona, collatâ unâ utriuſque Codicis Miſsâ, ad finemque Paragraphi ejuſdem ſubjungit: *Ex his in exemplum adductis palam fit utramque Miſſam eodem, ut dixi, tenore procedere, licèt Orationes diverſæ ſint.*

1145 Cùm igitur illud Miſſale non ſit Gothicum, neque Galliæ Narbonenſis ſubditæ Gothis Hiſpaniarum Dominis, valdè enervatur vis argumenti, quod ex illo confici poterat contra Hiſpaniæ Traditionem de adventu Sancti Jacobi; nam iſtam non agnitam fuiſſe in Galliâ, nihil ipſi derogat, ſicuti nihil derogat Traditionibus Galliæ, eſſe ignoratas in Hiſpaniâ.

1146 Præterea juxta Legem VI. à num. *996*. uſque ad 1009. non eſt credendum teſtimonio externo, contra teſtimonium Patrium in rebus ſpectantibus ad Patriam: ergo non eſt credendum Miſſali Gallicano neganti, contra Officia Eccleſiarum Hiſpaniæ, maximèque contra Officium Mozarabe, affirmantia expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

1147 Neque antiquitas illius Miſſalis tanta eſt, ut præva-

prævaleat antiquitati Officii, quod poſtea vocatum fuit Mozarabe; nam hoc adeo eſt antiquum, ut factum fuerit circa tempora Sancti Martini, qui obiit anno ultimo quarti ſæculi; nam in Miſsâ Sancti Martini in Oratione poſt nomina, de hoc Sancto loquens, ait:

*Hunc etiam virum, quem Cælicolis admirandum, Martyribus aggregatum ætatis noſtræ tempora protulerunt.*

Miſſale verò Gallicanum vocatum Gothicum, certè eſt recentius anno, quo martyrio coronatus eſt Sanctus Leodegarius, Epiſcopus Auguſtodunenſis, cujus Miſſam habet pag. 375. Sanctus autem iſte Martyr occubuit anno 687. ut teſtatur Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem ſecundum Octobris, ex Sigeberto in Chronico.

1147 Hinc conſtat, Miſſale Gallicanum, etiamſi negaret expreſsè Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, nihil officere potuiſſe noſtræ ſententiæ; nam de rebus antiquis non repugnantibus maior fides adhibenda eſt teſtibus antiquioribus, quàm recentioribus, ut conſtat ex Lege VII. num. 1010. & ſequentibus; ac proinde maior fides præſtanda eſt Officio Mozarabi, utpote antiquiori, atteſtanti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quàm Miſſali Gallicano, utpote recentiori, ſi illam negaret.

1148 Neque Sanctitas Authorum Miſſalis Gallicani nos adigit ad recedendum à noſtrâ ſententiâ, Patronos enim habemus viros Sanctiſſimos, eoſque non ignotos, ut Authores Miſſallis Gallicani, ſed toto Orbe celeberrimos Sanctum Hieronymum, Sanctum Licinianum, Sanctum Iſidorum, Sanctum Bedam, Sanctum Notkerum, Sanctum Antoninum, Sanctum Vincentium Ferrerium, quos omnes mendacium ſcripſiſſe, nefas eſt ſuſpicari.

1149 Multòque minus nos urget dignitas Epiſcoporum, quos Cardinalis Bona innuit confeciſſe illud

Miſſale; nam nobis favent Epiſcopi, Cardinales, Pontifices, in iiſque Sanctus Pius V. qui probaverunt noſtram Traditionem, illamque vel inſeruerunt Breviario Romano, vel inſertam probavere, probatam venerati ſunt.

1150 Admiratione autem caret, quòd Galli, qui illud Miſſale condiderunt, ignoraverint, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, cùm ſciamus, Severum Sulpicium, & Sanctum Gregorium Turonenſem ignoraſſe primos Galliæ Martyres, Sanctumque Paulum Apoſtolum in Hiſpaniâ prædicaſſe; quodque magis eſt, ab ipſis ignoratum fuiſſe, Sanctum Paulum prædicaſſe in ipſâ Galliâ; ut hinc etiam oſtendi poſſit, nihil eſſe fidendum argumento à ſilentio Authorum, ſive ab authoritate negativè.

1151 Dici etiam poteſt, Gallos, qui illud Miſſale condiderunt, in eâ fuiſſe opinione, Sancti videlicet Jacobi expeditionem parum profeciſſe in Hiſpaniâ, quod etiam nonnulli Hiſpani crediderunt; ideoque illius non meminiſſe, quia parum pro nihilo reputatur.

1152 Vel dicamus, ea, quæ afferuntur ex Miſſali Gallicano, ſolùm probare, Sanctum Jacobum non prædicaſſe Gentilibus, non verò non prædicaſſe Judæis; nam dici non poteſt, Sanctum Jacobum nuſquam prædicaſſe, cùm fuerit Chriſti Apoſtolus, cujus munus eſt prædicare; per hoc autem, quòd Sanctus Jacobus ſolis prædicaverit Judæis, non tollitur prædicaſſe in Hiſpaniâ, ubi eo tempore etiam vivebant Judæi ex Tribubus diſperſis, quarum Apoſtolus extitit Sanctus Jacobus, ut probatur à numero 391. & num. 1116.

1153 Quâcumque ex his viis incedamus, declinabimus vim illius argumenti ex Miſſali Gallicano deſumpti, demonſtrabimuſque, illud nos minimè urgere. Si autem hoc argumentum nullius eſt roboris, cùm meo judicio

ſit

sit argumentorum Achilles, quid ab aliis timendum erit?

1154 Si verò quis fuerit, cui magis placeat argumentum, quod produximus ex Missali Gallicano, quàm solutiones, quibus illud hucusque diluimus, noverit se ipsomet Missali Gallicano revincendum esse, vulnusque ab Achillis hastâ inflictum, Achillis hastâ esse sanandum. Dico enim cum Ovidio ad illam hastam alludente, lib. 2. Tristium vers. 19.

*Forsitan ut quondam Teutrantia regna tenenti,*
*Sic mihi res eadem vulnus, opemque feret.*

1155 Sciendum igitur est, omnia ea, quæ ex Missali Gallicano deduximus, innuimusque opponi expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, dilui aliis ejusdem Missalis testimoniis. Nam licèt tribus citatis locis videatur tantummodo tribuere Sancto Jacobo exemplum Fidei, preces, & martyrium; soli verò Sancto Joanni magisterium, doctrinam, & prædicationem; tamen alibi tribuit Sancto Jacobo, quidquid satis est ad ostendendum, hoc Missale non pugnare cum expeditione Hispanicá Sancti Jacobi; quod sic demonstro.

1156 Non excludit Missale Gallicanum Sanctum Jacobum ab exercitio prædicationis, hoc enim facere non poterat, postquam vocavit Apostolum, cujus est prædicare, ut certum est, & supra observavimus. Imò expressè dicit, tam ipsum, quàm Sanctum Joannem prædicasse; sic enim incipit illa Missa:

*Electionis Dominicæ præclarum testimonium, atque Apostolicæ Congregationis admirabile ornamentum, & Euangelicæ veritatis cœleste præconium, Sanctos Dei Apostolos, & Martyres Jacobum, & Joannem præsenti festivitate venerantes.*

Quid autem est, Sanctum Jacobum cum Sancto Joanne fuisse

fuiſſe Euangelicæ veritatis cœleſte præconium, quàm utrumque prædicaſſe?

1157 Deinde expreſsè dicit, ipſum prædicaſſe, hominesque convertiſſe; nam tam de Sancto Jacobo, quàm de Sancto Joanne dicit, factos fuiſſe piſcatores Mundi; ut videre eſt in Collectione poſt nomina paginâ 273. ubi ait:

> *Domine, quem vocantem Sancti Apoſtoli Facobus, & Joannes Fide integrâ ſunt ſecuti; & quem ſequentes ex caritate integrâ ſunt electi, ut Mundi piſcatores fierent; qui profundi retia reliquiſſent: auribus percipe, quæſumus, orationem noſtram, & tribue: ut dum Apoſtolicos triumphos admiramur, & colimus, ſi aſſequi eorum facta non poſſumus, implere ſaltem monita contendamus; quod ipſe præſtare digneris cum Patre, & Spiritu.*

1158 Alludunt hæc verba Miſſalis Gallicani ad id, quod dicitur Matthæi 4. verſ. 19. *Faciam vos fieri piſcatores hominum*; & verſ. 22. de Sancti Jacobo, & Joanne: *Illi autem relictis retibus, & patre ſequuti ſunt eum.*

1159 Eſſe autem piſcatores Mundi Sanctos Jacobum, & Joannem plus eſt, quàm eſſe Apoſtolos; hoc enim ſolùm ſignificat, fuiſſe miſſos à Chriſto ad prædicandum hominibus; eſſe verò piſcatores hominum ſignificat ulteriùs fructum prædicationis, hoc eſt, converſionem hominum. Hinc quando Sanctus Petrus, & Andreas vocati ſunt à Chriſto, dicitur per Sanctum Matthæum: *Faciam vos fieri piſcatores hominum*, per Sanctum Lucam cap. 5. verſ. 10. dicitur: *Ex hoc jam homines eris capiens.*

1160 Imò plus ſignificat eſſe piſcatores Mundi, quod dicit Miſſale Gallicanum, quàm eſſe piſcatores hominum, quod dixerat Chriſtus; nam ut Apoſtoli eſſent piſcatores hominum, ſatis erat, ut aliquot homines convertiſſent, ad hoc verò, ut Sancti Jacobus, & Joannes forent piſcatores Mundi, opus erat, ut exiiſſent in Mundum, & per

varias

varias provincias prædicassent Euangelium, & plurimos convertissent ad Fidem, quod utique fecerunt Sanctus Jacobus, & Sanctus Joannes; & ideo Missale Gallicanum eos vocat piscatores Mundi.

1161 Fortasse hoc idem significare voluit illud Missale per ea verba: *Dum Apostolicos triumphos admiramur, & colimus*; nam licèt triumphus solo martyrio perficiatur, quin ullus homo convertatur, tamen triumphus Apostolicus intelligi non potest, nisi multis conversis infidelibus, multis devictis hostibus, & provinciâ quâpiam à solo triumphante Apostolo, imperio Christi subjectâ, ad instar triumphi Romanorum, de quo Joannes Antonius Valtrinus, Societatis Jesu, libro 7. de Re Militari Veterum Romanorum, paginâ 435. ait:

> *Triumphus in Urbe Româ honorum maximus fuit, quem is, qui suis auspiciis Populi Romani hostes signis collatis prælio devicisset, provinciamque Populo Romano adjunxisset, cum exercitu rediens, Senatûs primum judicio, deinde Populi jussu consequabatur.*

Per Apostolicos igitur triumphos intelligendi sunt maximi honores ipsis collati, quia unusquisque suis auspiciis hostes Fidei devicit, & provinciam sibi sorte datam Christi imperio subdidit. Cùm ergo Missale Gallicanum memorat Apostolicos triumphos tam Sancti Jacobi, quàm Sancti Joannis, innuit utrumque Fidei hostes suis auspiciis deviciisse, utrumque provincias suas Christi imperio subjeciisse, nempe à Sancto Jacobo Hispaniam, & à Sancti Joanne Asiam imperio Christi fuisse additam.

1162 Dixi, fortasse hoc significari, quia affirmare non ausim, hanc fuisse mentem Authorum illius Missalis, dum apposuerunt illa verba *Apostolicos triumphos*; nam non ignoro in libris Ecclesiasticis usurpari solitam illam vocem *triumphus* significatu non adeò presso, sed multò latiore,

tiore, beneficio translationis Rhetoricæ; unde cùm non nimis fidam huic explicationi triumphi Apoſtolici, quæ de triumpho appoſuimùs, exornationis ſolius gratiâ dicta ſunto.

1163 Pro comperto tamen habeo; præter ea, quæ ſupra diximus de piſcatoribus Mundi, alio in loco Miſſalis Gallicani reperiri prædicationem Sancti Jacobi, illis ſcilicet verbis ſupra ſcriptis:

> *Si aſſequi eorum facta non poſſumus, implere ſaltem monita contendamus.*

Quibus apertè dicitur, tam Sanctum Jacobum, quàm Sanctum Joannem dediſſe monita ſalutis, hoc eſt, prædicaſſe tam unum, quàm alium. Si enim Sanctus Jacobus non prædicavit, quænam ſunt illius monita, quæ implere concedendum eſt?

1164 Si autem velis intelligere per monita Apoſtolorum, quæ implere contendendum eſt, utriuſque Apoſtoli ſcripta, cogeris dicere, Miſſale Gallicanum tribuere Sancto Jacobo Maiori Epiſtolam Catholicam, ſicuti ipſam illi tribuit Miſſale Mozarabe, Sophronius, Sanctus Licinianus, & S. Iſidorus, multique Recentiores, etiam poſt Concilium Tridentinum, ut dicemus Aſſertion. 48.

1165 Non ſolùm aſſerit illud Miſſale, Sanctum Jacobum, & Sanctum Joannem prædicaſſe, ſed prædicaſſe Gentibus; dicit enim de utroque Apoſtolo fuiſſe, qui Chriſtum confeſſi ſunt coram Regibus, & Poteſtatibus hujus ſæculi; dicit enim in Immolatione Miſſæ:

> *Exaltatum eſt cornu ſalutis eorum: qui nomen ejus, quod eſt ſuper omne nomen, coram Regibus, & Poteſtatibus hujus ſæculi voce liberâ confitentes, ipſius Domini Salvatoris exemplo per patibula pœnarum, de perſecutionibus ſuis, & diabolo triumpharunt: & corpora dantes hoſtiam Deo, pretioſâ ſibi morte ceciderunt. Ex quibus extant*

*Beatiſ-*

*Beatissimi Apostoli, & Martyres tui Jacobus, & Joannes, quorum Natalem hodie celebramus.*

1166 Si igitur Sanctus Jacobus, & Sanctus Joannes illius frater fuere ex iis, qui coram Regibus, & Potestatibus sæculi nomen Jesu voce liberâ confessi sunt, utique tam Sanctus Jacobus, quàm Sanctus Joannes prædicaverunt Gentibus, quos per Reges, & Potestates sæculi significari nullus dubito.

1167 Clariùs tamen id demonstratur ex eodem Missali in Benedictione Populi, ubi dicitur:

*Deus, qui tuos Apostolos prætiosa Gentium lumina præparasti; dum Jacobum, & Joannem ad illustrandas animas inter vasa Ecclesiæ Candelabra Fidei prætulisti.* Amen.

Nam si dicit, duos Sanctos Apostolos Jacobum, & Joannem fuisse Gentium lumina clarissima, asserit, tam Sanctum Jacobum, quàm Sanctum Joannem prædicasse Gentibus; nisi enim Gentibus uterque prædicasset, non posset dici, ambos esse Gentium lumina. Ergo Sanctus Jacobus non solis prædicavit Judæis, sed etiam Gentilibus, unde nulla est difficultas in eo, quòd prædicaverit in Hispaniâ tam Judæis, quàm Gentilibus in eâ commorantibus.

1168 Illud negari non potest, attento hoc Missali Gallicano, jam septimo sæculo fuisse cognitum in Galliâ non solùm Narbonensi viciniori Hispaniis, sed etiam in Galliâ Lugdunensi remotiore ab Hispaniâ, Sanctum Jacobum prædicasse Gentilibus; nam ut patet ex numero 1180. hoc Missale fuit Ecclesiæ Turonensis, quæ est in Galliâ Lugdunensi.

1169 Quod autem in hoc Missali specialiùs tribuitur Sancto Jacobo martyrium, Sancto verò Joanni doctrina, id inde provenire existimo, quòd Sanctus Jacobus gladio cæsus occubuit, Sanctus verò Joannes in pace quievit,

ut docet Sanctus Hieronymus in caput 20. Sancti Matthæi, ubi ait:

> *Quæritur quomodo calicem martyrii filii Zebedæi Jacobus videlicet, & Joannes biberint; cùm Scriptura narret, Jacobum tantùm Apoſtolum ab Herode capite truncatum, Joannes verò propriâ morte, vitam finierit. Sed ſi legamus Eccleſiaſticas Hiſtorias, in quibus fertur, quod & ipſe propter martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium, & inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti Athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Pathmos Inſulam ſit; videbimus, martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Joannem calicem confeſſionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licèt perſecutor non fuderit ſanguinem.*

Sed quia Sanctus Joannes (ut ex Tertulliano refert idem Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum) à Nerone miſſus in ferventis olei dolium, purior, & vegetior exivit, quàm intravit; S. verò Jacobus gladio occubuit, ideo præcipuè fit mentio illius martyrii in eo Miſſali, licèt in eodem vocetur Sanctus Joannes Martyr; dicitur enim in principio Miſſæ:

> *Sanctos Dei Apoſtolos, & Martyres Jacobum, & Joannem, præſenti feſtivitate venerantes.*

& titulo *Collectio ſequitur*, dicitur:

> *Domine, qui Beatiſſimis Apoſtolis tuis Jacobo, & Joanni gloriam martyrii bibitione tui calicis prædixiſti, ut & confirmares reſponſionem, quam Fides pura protulerat: & conferres virtutem, quam charitas devota præſumpſerat: hanc eorum paſſionis memoriam Eccleſiam tuam ſolemniter celebrantem placatus intende.*

1170 Quòd autem ſingulariùs meminit illud Miſſale doctrinæ, & magiſterii Sancti Joannis, quàm Sancti Jacobi, id ex eo eſt, quia licèt uterque prædicaverit Euangelium, tamen ſolus Sanctus Joannes ſcripſit Euange-

lium,

lium, non verò Sanctus Jacobus. Et hâc de causâ ſpecialiùs memorari in eo Miſſali doctrinam, & magiſterium Sancti Joannis, manifeſtum ex eodem Miſſali Gallicano in Miſsâ ſolius Sancti Joannis Euangeliſtæ, quæ illic extat paginâ 350. in quâ poſt nomina legitur.

*Præſta, omnipotens Deus, ut Verbum caro factum, quod Beatus Joannes Euangeliſta prædicavit.*

& in fine Immolationis de Sancto Joanne, ejuſque Euangelio dicitur:

*In principio Verbum, quod Deus erat apud Deum, ipſe præ cæteris oſtenderet prædicando.*

Quibus verbis manifeſtè alluditur ad Euangelium Sancti Joannis, quod incipit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.*

1171 Cùm verò Sanctus Jacobus non ſcripſerit Euangelium, ſicut ſcripſit Sanctus Joannes, ideo de illius prædicatione non fit tam ſpecialis mentio in Miſſali Gallicano, ac fit de prædicatione Sancti Joannis.

1172 Neque officit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, quòd illud Miſſale non exprimat provincias, in quibus Sanctus Jacobus prædicavit; nam etiam non officit expeditioni Aſiaticæ Sancti Joannis, quòd illud Miſſale non exprimat loca, in quibus prædicavit Sanctus Joannes.

1173 Quod autem dicitur, Sanctum Jacobum formaſſe *exorando*, Sanctum verò Joannem formaſſe *docendo*, tantum abeſt, ut officiat expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ut potiùs illam confirmet. Nam in hoc illud Miſſale conſonat Officio, quo inter Sanctos Hiſpanos colitur Sanctus Jacobus, ut Hiſpaniæ Apoſtolus, & Prædicator, primuſque in his provinciis Euangelii Præco; nam cùm in quintâ Lectione dicatur:

*Mox in Hiſpaniam profectus, ibi aliquos ad Fidem con-*

*vertit, ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi à Beato Petro ordinati, in Hiſpaniam primi directi ſunt.*

Nihilominus in Hymno ad Veſperas, in feſto ejuſdem Sancti Jacobi canitur:

*Tu cæca nox, atque impia*
*Nos cum teneret vanitas,*
*Lucem ſalutis primitus*
*Oris Iberis impetras.*

*Impetrare* autem, & *exorare*, idem omninò ſignificant. Et ſicut illud *impetrare* in Officio Sancti Jacobi non excludit illius prædicationem Hiſpanicam, ita neque eam excludit illud *exorare* in Miſſali Gallicano. Neque minus Apoſtolorum eſt orare, quàm prædicare, juxta dictum duodecim Apoſtolorum apud Sanctum Lucam Actor. cap. 6. verſ. 4.

*Nos verò orationi, & miniſterio Verbi inſtantes erimus.*

1174 Huc faciunt ea, quæ de Sancto Jacobo ſcripſit Nicetas Paphlago Oratione 3. nam poſtquam, ut ſignificaret ipſum prædicaſſe Judæis, illum vocavit:

*Magnum Dei Verbi tonitruum, ſublimi, magnoque fragore Jeſu Reſurrectionem Judæorum mentibus inſonans, atque eorum cordis frangens duritiam.*

Ut verò proderet, Sanctum Jacobum prædicaſſe Gentilibus, ſubdidit:

*Hactenuſque deſertam concutiens Gentium Eccleſiam, eique ſenſim verbi Euangelici ſenſum ingerens, atque impiæ Synagogæ repudio, probam, gratamque ſponſam Chriſto adhibens.*

Deinde de eodem Sancto Jacobo ait:

*Precibus apud Deum pro Apoſtolis interceſſit, & pro Eccleſiâ.*

De effectibus verò Orationis Sancti Jacobi, paucis interjectis, ait:

*Quin*

Digitized by Google

*Quin & inde gratia Gentes prosecuta, Judæis domum in desolationem reliquit.*

Postremò ad Sanctum Jacobum orationem convertens, ait:

*O' veritatis Euangelii Prædicator ferventissime, qui cum Petro, & Joanne supremam classem, atque verticem Apostolicæ dignitatis tenes.*

1175 Ergo quod Missale Gallicanum dixerit, Sanctum Jacobum *exorando* imitanda formavisse, non tollit, quin ea formaverit etiam *docendo*, maximè cùm tot locis de prædicatione Sancti Jacobi mentio fiat in eodem Missali. Unde ex illius verbis non solùm non potest confici argumentum efficax contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, imò potiùs in eo multa reperiuntur, quæ favent illius expeditionis Assertoribus, ut est, Sanctum Jacobum fuisse ex iis, qui nomen, quod est super omne nomen, coram Regibus, & Potestatibus hujus sæculi voce liberâ confessi sunt, fuisse prætiosum lumen Gentium. Nam hinc noscitur contra Adversarios, Sanctum Jacobum prædicasse Gentilibus.

1176 Aliud adducam, ex quo colligi possit, illud Missale maximè favere expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi; nempe reperiri Missam propriam de illo in Missali Gothicò, sive Gallicano, cùm in ipso desint Missæ propriæ maioris partis Apostolorum; licèt sit Missa de Communi Apostolorum, solùm enim ibi sunt Missæ propriæ de Sancto Petro, de Sancto Paulo, de Sanctis Jacobo, & Joanne, & de Sancto Andreâ. Et licèt facile sit assignare rationem, cur aliis Apostolis prælati sint Sanctus Petrus, Paulus, Joannes, & Andreas, non ita pronum est edicere, cur inter hos numeretur, aliisque præferatur Sanctus Jacobus, si ille nunquam venit in Hispaniam; solaque expeditio Hispanica potest esse causa, ut præ aliis novem

Apostò-

Apoſtolis fiat ſpecialis memoria de Sancto Jacobo in eo Miſſali Gallicano.

1177 Ut illic ſit Miſſa de Sancto Petro, in cauſa eſt, Sanctum Petrum fuiſſe Principem Apoſtolorum, & qui Cathedram fixit in Occidente, unde & de Cathedrâ Romanâ Sancti Petri illic habetur Miſſa, pag. 308. in quâ in Benedictione legitur:

*Ut qui & Patroni noſtri Petri, tuique Apoſtoli feſta colimus; per ejus interceſſionem tibi placeamus.*

1178 Ut illic ſit Miſſa de Sancto Paulo, ejuſque Converſione, aperta cauſa eſt, fuiſſe Doctorem Gentium, & prædicaſſe in Galliâ, ut fert Traditio, cujus meminit Martyrologium Romanum, ut obſervavimus num. 344.

1179 Ut illic ſit Miſſa de Sancto Andreâ, illud facit, quod dicit Andreas Sauſſayus in Martyrologio Gallicano pridie Kalendas Decembris, de Sancto Andreâ loquens:

*Quem, & ſi ubique terrarum conſtet fuiſſe ſemper illuſtrem, & venerabilem. Galliæ tamen in primis fuiſſe clarum, charum, ac ab initio honorabilem, vetera non modo evincunt Eccleſiarum diptycha, quæ trium indicant præcipuo cultu peragenda Apoſtolorum ſolemnia: Nempe Natalem unicum Petri, & Pauli, & ſingulare Andreæ trophæum.*

& plurima alia ibidem legenda.

1180 Cur autem in Miſſali Gallicano ſit Miſſa propria de Sancto Joanne, nobis aperiunt ea, quæ tradit Theophilus Raynaudus S. J. tomo 8. quem inſcribit *Agiologium Lugdunenſe*, Opuſculo 5. pag. 186. ubi ait:

*Cur in Lugdunenſi Agiologio locum meritò habeat Sanctus Joannes Euangeliſta, liquere poteſt ex neceſſitudine, quæ illi cum primis Chriſtianis Lugdunenſibus interceſſit. Fuit quippe eorum in Chriſto Atavus, cùm primos Fidei Magiſtros ex ejus diſciplinâ nacti ſint Lugdunenſes, ut tactum*

*tum est in Indiculo verbo Sanctus Potinus, & verbo Sanctus Irenæus; unde antiquorum Lugdunensium erga tantum Apostolum incensus affectus, de quo non semel in eodem Indiculo.*

Illud enim Missale Gallicanum fuisse Ecclesiæ Turonensis invicto argumento, probat Cardinalis Bona, nempe, quia in Missâ Sancti Martini Episcopi Turonensis, quæ habetur pag. 384. & incipit: *Summi Sacerdotis tui Patris Nostri Martini Episcopi &c.* Ad solam enim Ecclesiam Turonensem, cujus Sanctus Martinus fuit Episcopus, spectat illum vocare Patrem suum.

1181 Turonensis autem Ecclesia est in tertiâ provinciâ Lugdunensi, ut videre est apud Albertum Miræum in Notitiâ Episcopatuum Orbis Christiani lib. 5. pag. 409. Unde Turonenses venerantur Sanctum Joannem Euangelistam, ut suæ Lugdunensis provinciæ Atavum, ideoque speciali cultu, Missâque propriâ celebrandum duxere.

1182 Cùm igitur in eo Missali Gallicano non fuerint positæ propriæ Missæ de illis quatuor Sanctis Apostolis Petro, Paulo, Andreâ, & Joanne, nisi specialissimis de causis; censendum est, Missam propriam de Sancto Jacobo non fuisse adscriptam, nisi ex causâ specialissimâ; causam autem non invenio aliam, quàm Sanctum Jacobum prædicasse etiam in Galliâ, postquam ex Hispaniâ recessit, quod gravissimi testantur Authores, inter eosque Pater Fr. Joannes de Pônte, vir accerrimi judicii, & quo nullus alius infestior fuerit Dextro, supposititio Scriptori, aliisque hujusmodi farinæ, adeo ut potiùs voluerit damnari tenebris eruditissimi operis sui partem secundam, quam adduci, ut in lucem ederetur, sublatis iis, quæ liberè, doctèque in eo Volumine scripserat adversus Dextrina, similiaque figmenta, ut tradit Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ. Dicunt enim, Sanctum Jacobum

bum in Britanniam penetraſſe, & Venetorum loca, quæ ſunt in Galliâ, ut videre eſt apud Julium Cæſarem lib. 3. de Bello Gallico, cap. 8. & 9. Venetorum autem Civitas, vulgo *Vannes*, eſt Sedes Epiſcopi, Archiepiſcopatui Turonenſi Suffraganei. Unde credendum eſt illud Miſſale Gallicanum, quod, quia fuit Eccleſiæ Turonenſis, vocat Sanctum Martinum Patrem ſuum, ideo afferre Miſſam propriam de Sancto Jacobo, quia Apoſtolus iſte ex Hiſpaniâ recedens, in eâ provinciâ prædicavit.

1183 Ecce oſtenſum eſt, illud Miſſale Gallicanum non ſolùm non oppugnare expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; ſed præterea illam vehementer confirmare.

1184 Conſultò hoc argumentum ex Miſſali Gallicorum poſtremo loco reſervavi, ut ſederet poſt ultimas acies, ſicut olim Triarii, teſte Vegetio lib. 3. cap. 14. Triariorum enim præſidium juxta Dionyſium Halicarnaſæum lib. 5. cap. 15. pag. 279. illud erat:

> *Cujus opera in maximis uti ſolent periculis, cum rebus planè deſperatis, extrema ſubeunda eſt alea.*

Nam fractis jam viribus omnium argumentorum tam veterum, quàm recentium, quibus oppugnari videbatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, in ſolo Miſſali Gallicano Adverſariorum ſpes eſſe poterat; ſed cùm oſtenderimus, illud potiùs pro nobis ſtare, quàm Adverſariis favere, deſperata omninò eorum cauſa eſt, profligataque penitùs illorum ſententia; pronius eſt hinc gradum facere ad probandum noſtram, productis potioribus illius fundamentis. Relicto eo documento in utriuſque ſententiæ confinio; & negantis, cui in ſpeciem ſummas vires addere videbatur, & affirmantis, cui graviſſimum adjicere pondus ſolidé demonſtravimus.

*Secundæ Partis*

FINIS.

Digitized by Google

# EXPEDITIO HISPANICA S. JACOBI ZEBEDÆI ASSERTA, & EX S. PAULO APOSTOLO CONFIRMATA.

## PARS TERTIA.

*Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi multiplici teſtimonio aſſeritur.*

1185 POSTQUAM primâ parte hujus Diſſertationis oſtendimus, quàm honorifica terræ, Cœloque ſit expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, & ſecundâ demonſtravimus, nullius roboris eſſe argumenta, quibus ea oppugnata eſt; ſequitur, ut hâc tertiâ parte proponamus fundamenta, quibus adducti Sapientiſſimi quique viri, quibus perſpectæ ſunt Hiſtoriæ, quique Critices regulis probè uti norunt, conſpirarunt in ſententiam aſſerentem, Sanctum Jacobum Hiſpaniæ Euangelii lucem invexiſſe.

1186 Verbis Sancti Pauli (ex quo expeditio Sancti Jacobi confirmatur) docemur, ad probationem cujuſvis rei ſufficere duos, vel tres teſtes, ait enim 2. ad Corinthios capite 13. verſ. 1.

*In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.*

Quam ſententiam explicans Guillielmus Eſtius, ait:

*Cujus ſenſus eſt: omnem controverſiam judicandam eſſe juxta teſtimonium duorum, aut trium.*

Quo fit, ut ad decidendam controverſiam de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ſatis, ſuperque judicio S. Pauli ſint tres teſtes, imò ſufficeret unus teſtis judicio Cardinalis Caietani ſuper Numeros cap. 35. verſ. 30. ubi ait:

*Ut intelligamus quandoque ſufficere unum teſtem omni exceptione maiorem in iis, quæ nulli nocent; unde in Eccleſiâ Chriſti ſolus Antonius ſatfuit ad teſtificandum de Sanctitate Pauli primi Eremitæ, ut Catalogo Sanctorum adſcriberetur, & veneratione publicâ coleretur.*

1187 Nos tamen exemplum ſequentes Sancti Pauli ad Hebræos ſcribentis, non ſolùm tres teſtes, ſed nubem producemus teſtium aſſerentium, Sanctum Jacobum filium Tonitrui Hiſpaniæ dediſſe vocem ſuam; nubem, inquam, in quatuor partes diſciſſam; nam in totidem claſſes dividimus teſtes, quibus illa expeditio aſſeritur; quod quatuor Sectionibus demonſtrabimus.

Prima claſſis comprehendit Scriptores, alioſque ſummos Viros, illam expeditionem docentes.

Secunda claſſis effert Traditionem Eccleſiarum, idem conſtanter atteſtantium.

Tertia claſſis producit Revelationes, quibus eadem expeditio divinitùs affirmata eſt.

Quarta claſſis refert teſtimonia, quibus à negatione illius expeditionis deterremur.

SECTIO

# SECTIO I.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi aſſerta eſt à pluribus Scriptoribus, aliiſque ſummis Viris.*

1188 QUanti faciendi ſint Authores antiqui, nos docet Sanctus Paulus, qui cum Athenienſibus diſputans, non dedignatus eſt citare Gentilium Poetas, ut legimus in Actis Apoſtolorum cap. 17. verſ. 28. ubi ait:

> *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim, & genus ſumus.*

Per hos Poetas intelligit A Lapide ex Græcis Aratum, & ex Latinis Ennium, & Virgilium. In Epiſtolâ ad Titum cap. 1. verſ. 12. citat Callimachum, vel potiùs Epimenidem (ut explicat A Lapide) ſcribens:

> *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.*

Et in Epiſtolâ 1. ad Corinthios cap. 15. verſ. 3. Menandri ponit Senarium, uti obſervat Divus Hieronymus in Epiſtolâ ad Magnum Oratorem Romanum. Quæ omnia loca colligit Garcias Galarza, Epiſcopus Caurienſis, lib. 4. Euangelicarum Inſtitutionum cap. 7. fol. *96.* (quod per errorem Typographi notatur *69*) paginâ 2.

1189 Quòd autem debeamus credere Authoribus Hiſtorias, vel facta narrantibus, docet eleganter Divus Auguſtinus Epiſt. 147. in editione San-Maureanâ num. 5. ubi ait:

> *Si enim ea, quæ non vidimus, hoc eſt, in præſenti apparentiâ non ſenſimus vel mente, vel corpore, neque de Scrip-*

*turis Sanctis, vel legendo, vel audiendo didicimus, nulla omninò credidiſſemus, unde ſciremus eſſe civitates, ubi nunquam fuimus; vel à Romulo conditam Romam; vel ut de propioribus loquar, Conſtantinopolim à Conſtantino? Unde poſtremò ſciremus, quinam parentes nos procreaviſſent, quibus patribus, avis, maioribus geniti eſſemus? Talium quippe cùm plurima ſciamus, non tamen ea, vel ullo ſenſu præſentia, ſicut Solem, ſicut noſtri animi voluntatem, vel Canonicorum eloquiorum authoritate, ſicut Adam fuiſſe primum hominem, aut Chriſtum in carne natum, paſſumque reſurrexiſſe didicimus; ſed aliis referentibus, de quorum teſtimonio in hoc dumtaxat rerum genere minimè dubitandum eſſe putavimus.*

1190 Mihi autem Authores producturo pro Sancti Jacobi expeditione Hiſpanicâ, libet præfari cum Cardinali Aguirre Concil. Hiſpaniæ tom. 1. Diſſert. 9. excurſ. 2. num. 12.

*Nemo exiſtimet, communem, & antiquiſſimam perſuaſionem Hiſpanorum, imò omnium fermè Chriſtianorum, paucis quibuſdam exceptis, de adventu Sancti Jacobi Maioris in Hiſpaniam, inniti præcipuè iis teſtimoniis Dextri nomine editis, aut Maximi, aliorumque ſimilium, in fine ſæculi præcedentis. Habemus plurima alia longè firmiora, & inconcuſſa.*

Monumenta autem, quæ affirmanti ſententiæ patrocinantur, lubet in quatuor ordines, juxta totidem ætates, diſtinguere.

1191 Primus ordo comprehendit monumenta antiquiora quarto Concilio Toletano, celebrato anno Domini 633.

1192 Secundo ordine enumerabo monumenta à quarto Concilio Toletano, uſque ad quartum Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum anno 1216.

Tertio

1193 Tertio ordini adscribam monumenta à Concilio quarto Lateranensi, usque ad Concilium Tridentinum, inceptum anno 1545.

1194 Quarto ordine recensebo monumenta à Concilio Tridentino incepto, usque ad hunc annum Jubilæi, quo feliciter regnat Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII. Pontifex Optimus Maximus 1725.

1195 Neque Epochæ istæ sunt à nobis liberè, & pro arbitrio assignatæ; sed nos eas coegit distinguere status ipsius controversiæ; cui in quâlibet ex his ætatibus nova lux accessit, novaque momenta, quibus affirmativa sententia novas acquireret vires.

# ASSERTIO XLVIII.

## *Asseritur expeditio Hispanica Sancti Jacobi monumentis præcedentibus quartum Concilium Toletanum, celebratum anno Domini 633.*

### §. I.

### *Testimonia antiquiora Sancto Hieronymo.*

1196 HAc primâ ætate sex sæcula complectente floruere plures Authores, qui creduntur asseruisse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quorum opera, licèt interierint, non interiit omninò memoria eorum, quæ ab ipsis narrabantur. Ex horum numero sunt Clementis Alexandrini libri Hypotyposeon, ut conjicit Doctissimus Franciscus à Jesu Xodar, Discursu 2. de adventu Sancti Jacobi pag. 41. Ex horum numero

Dexter

Dexter Hiſpanus Barcinonenſis, de quo Sanctus Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ait:

> *Dexter Paciani, de quo ſupra dixi, filius, clarus apud ſæculum, & Chriſti Fidei deditus fertur ad me Omnimodam Hiſtoriam texuiſſe, quam nondum legi.*

Qui certè in omnimodâ Hiſtoriâ non debuiſſet tacere illud decus, quod Hiſpaniæ acceſſit ex prædicatione Sancti Jacobi Zebedæi.

1197 Eſſe autem genuinum Dextri fætum Chronicon, quod ſæculo ſextodecimo ſub Dextri nomine prodiit aſſerere nolo, quia Cenſor ſum Regalis Academiæ, quæ decrevit, non eſſe nobis utendum authoritate Dextri, cujus liber malè audit apud Criticos etiam Hiſpanos. Illud tamen hîc prodere non prætermittam, Dextrum primò fuiſſe oppugnatum, quia in ejus Chronico legitur, Conceptionem Virginis Mariæ fuiſſe immaculatam; & hanc primam illius oppugnationis fuiſſe cauſam, tradit Pater Hyppolythus Marracius, Eruditiſſimus Clericus Regularis Matris Dei in Apoſtolis Marianis, capite quinto. Et noviſſimè fuiſſe oppugnatum eo argumento, quòd Chronicon non ſit Hiſtoria omnimoda, de quâ loquitur Sanctus Hieronymus; ac ſi definitum jam eſſet, quid ſit Hiſtoria omnimoda. Optarem mihi dici, quænam fuerit omnimoda Hiſtoria, quam ſcripſit Phavorinus, teſte Diogene Laertio, libro 4. in Carneade, & libro 5. in Demetrio. Certè Sanctus Hieronymus Chronicon Euſebii vocavit omnimodam Hiſtoriam, cùm in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de Euſebio Cæſareæ Epiſcopo dixit ſcripſiſſe *Chronicorum Canonum omnimodam Hiſtoriam.* Si autem Chronicon Euſebii eſt omnimoda Hiſtoria, quare omnimoda Hiſtoria Dextri, de quâ loquitur Sanctus Hieronymus, non erit illius Chronicon?

1198 Quæ non ideo adnotavi, ut Defenſoribus Dextrini

trini Chronici accederem, sed ut monerem, non esse oppugnandos libros debilibus argumentis.

1199 Hâc eâdem primâ ætate vixit Sanctus Irenæus, qui vixit secundo sæculo, quem fuisse Assertorem expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, credunt nonnulli ex eo, quòd scripsit lib. 1. adversus Hæreses cap. 3.

> *Neque hæ, quæ in Germaniâ sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Hiberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente.*

1200 In quem locum nobilis Scholiastes Sancti Irenæi Franciscus Fevardentius, Doctor Parisiensis, ex Ordine Minorum, adducit expeditiones Hispanicas Sancti Jacobi, & Sancti Pauli relatas à S. Isidoro. Ex hoc autem loco Sancti Irenæi non infertur, nisi antiquitas Christianæ Religionis in Hispaniâ contra Hæreticos, non solùm negantes expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, sed etiam per summam ignorantiam affirmantes, Hispaniam esse in Fide novitiam, quâ de causâ eos acriter reprehendendos censuit Arnoldus Mermannius, in Theatro conversionis Gentium totius Orbis pag. 78. ubi ait:

> *Non feram hîc petulantiam nostratium Hæreticorum, qui vulgo persuadere conantur, Hispaniam, & præsertim Granatam, esse in Fide novitiam.*

1201 Nihilominus existimo, non aberraturum à veritatis scopo eum, qui suspicatus fuerit, Sanctum Irenæum scripsisse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, libro, quem (teste Sancto Hieronymo lib. de Ecclesiasticis Scriptoribus) exaravit *ad Martianum fratrem de Apostolicâ prædicatione*; unde ad posteriores Scriptores, qui volumen illud legêre, devenerit etiam notitia prædicationis Sancti Jacobi in Hispaniâ; nam Sanctus Irenæus ætate fuit vicinus Apostolicis temporibus, & Episcopus in Gal-

liâ

liâ Hiſpaniæ conterminâ. Sed clariora producenda à nobis ſunt illius expeditionis documenta.

1202 Agmen ducat Sanctus Juſtinus Martyr Sancto Irenæo antiquior, utpote qui vixit medio ſecundo ſæculo, anno ſcilicet illius quinquageſimo, in Apologiâ ſecundâ, quæ habetur in Bibliothecâ Patrum tom. 2. parte 2. paginâ 27. B. ubi ait:

> *Hieroſolymis duodecim Viri profecti ſunt in Mundum, atque hi quidem indocti, & minimè eloquentes. Dei autem virtute humano generi denunciaverunt à Chriſto, ſe miſſos eſſe, qui cunctos verbo Dei docerent.*

Si igitur duodecim Viri Hieroſolymis profecti ſunt in Mundum: ergo etiam Sanctus Jacobus Maior, qui erat unus de duodecim, profectus eſt Hieroſolymis in Mundum; profiſciſci autem Hieroſolymis in Mundum, nihil aliud eſt, quàm egredi ad prædicandum Gentibus, ut non negabunt, qui confirmant Traditionem Thraſeæ, ſeu potiùs Apollonii authoritate Clementis Alexandrini lib. 6. Stromatum, ubi habetur: *Egredimini in Mundum, ne quis dicat, non audivimus*: & certiùs probatur ex illo Chriſti apud Sanctum Marcum cap. 16. verſ. 15.

> *Euntes in Mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

1203 Si autem ex Sancto Juſtino, Sanctus Jacobus Maior, utpote unus ex duodecim, prædicavit Gentibus, ruunt omnia argumenta eorum, qui negant, ipſum prædicaſſe Hiſpanis.

1204 Neque dici poteſt hîc, Sanctum Juſtinum locutum fuiſſe de prædicatione Sancti Pauli; nam hic non erat ullus ex duodecim Viris, qui profecti ſunt Hieroſolymis in Mundum; Sanctus enim Paulus fuit tertius decimus Apoſtolus, ut omnes norunt, & olim obſervavit Sanctus Auguſtinus enarratione in Pſalm. 86. verſ. 4. dicens:

Digitized by Google

cens: *Tertius decimus Paulus Apostolus.* Imò ipse Paulus se vocavit Apostolorum novissimum, & per consequens posteriorem omnibus duodecim, & meritò, quia post omnes fuit vocatus, ut constat ex Actibus Apostolorum cap. 9.

1205 Præterea Sanctus Paulus non est profectus Hierosolymis, sed Damasco, ut ipse ait ad Galatas capite 1. vers. 15.

> *Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut euangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquievi carni, & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abii in Arabiam, & iterum reversus sum Damascum.*

Duodecim autem Viri, in quibus Sanctus Jacobus, Hierosolymis profecti sunt in Mundum: ergo hoc loco Sanctus Justinus dum loquutus est de duodecim Viris, non comprehendit hoc numero Sanctum Paulum, sed Sanctum Jacobum.

1206 Prætereo, eos duodecim Apostolos vocari à Sancto Justino indoctos, & minimè eloquentes. Sanctus autem Paulus non poterat numerari inter indoctos, & minimè eloquentes, non enim fuit indoctus, sed doctissimus; unde à Sancto Joanne Chrysostomo Homiliâ 4. de Laudibus Sancti Pauli dictus est *mare sapientiæ purissimum, & profundissimum*; neque fuit minimè eloquens, sed eloquentissimus; unde à Sancto Hieronymo Epistolâ 61. ad Pammachium dictus est *flumen eloquentiæ Christianæ.*

1207 Tertullianus, qui anno 203. scripsit lib. de Præscriptionibus cap. 20. de Christo Domino loquens, ait:

> *Duodecim præcipuos lateri suo ad legerat destinatos nationibus Magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos un-*

*decim, digrediens ad Patrem poſt Reſurrectionem, juſſit ire, & docere nationes.*

& infra:

*Statim igitur Apoſtoli (quos hæc appellatio Miſſos interpretatur) aſſumpto per ſortem duodecimo Mathiâ in locum Judæ ex authoritate prophetiæ, quæ eſt in Pſalmo David, conſecutam promiſſam vim Spiritûs Sancti ad virtutes, & eloquium primò per Judæam conteſtatâ Fide in Jeſum Chriſtum, & Eccleſus inſtitutis; dein IN ORBEM PROFECTI, EANDEM DOCTRINAM NATIONIBUS PROMULGAVERUNT.*

1208 Si igitur omnes Apoſtoli (nullum enim excipit Tertullianus) in Orbem profecti, omnes doctrinam Fidei nationibus promulgaverunt, etiam Sanctus Jacobus Maior, quippe qui erat Apoſtolus, in Orbem profectus, etiam Fidei doctrinam nationibus promulgavit. Nomine autem nationum intelligit Tertullianus Gentiles, dum illas diſtinguit à Judæâ, & meritò; in Actibus enim Apoſtolorum cap. 10. verſ. 45. poſtquam converſus eſt Cornelius Gentilis, dicitur:

*Et obſtupuerunt ex circumciſione Fideles, qui venerant cum Petro; quia & in nationes gratia Spiritûs Sancti effuſa eſt.*

1209 Si ergo Sanctus Jacobus prædicavit nationibus, hoc eſt Gentilibus, quidni prædicaverit Hiſpanis? Non enim reperitur alius ex duodecim Apoſtolis, cui Hiſpania obtigerit, niſi filius Tonitrui, qui *ſicut fulgur exiit ab Oriente, & paruit uſque in Occidentem.*

1210 De Origene, qui vixit tertio ſæculo ineunte, ſcribit Andreas Sanſſayus lib. 2. de Gloriâ Sancti Andreæ cap. 4. articulo 3. pag. 118.

*Locus hic inſignis Magni Origenis Homil. 12. in Geneſim,*

*nesim, quo climata Mundi ab Apostolis recenset Euangelico lumine, & Christi imperio, ac cultui subjugata graphicè hanc veritatem demonstrat. Triumphasse siquidem sic enarrat Ecclesiæ nascentis Principes post subactam Judæam, & Samariam: Petrum in Italiâ, Paulum in Græciâ, Andream in Achaiâ, Joannem in Asiâ, Philippum in Phrygiâ, Thomam in utrâque Indiâ, tam Orientali, quàm Occidentali, Matthæum in Æthiopiâ, Simonem in Persidè, Thadeum in Mesopotamiâ, Jacobum in Hispaniâ*, & cætera.

Hæc Illustrissimus Sanssayus. Ego tamen in editione Origenis, quâ utor, quæ est Parisiensis anni 1604. hunc locum reperire non potui, ideo authoritate Origenis abstineo.

1211 Existimo autem, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi erui posse ex Eusebio Cæsareensi, non solùm ex hujus Martyrologio, de quo infra loquar, sed ex illius Historiâ Ecclesiasticâ; nam ex illâ constat, Sanctum Jacobum vixisse usque ad annum secundum Claudii, hoc est, usque ad annum Æræ vulgaris quadragesimum quartum, ut etiam fatetur Cardinalis Baronius, occisumque fuisse paulò ante mortem Herodis; ait enim libro 2. cap. 10. de Herode loquens:

*Regis ob commotam adversus Apostolos persecutionem haudquaquam diu dilata vindicta est: sed continuò Divinæ Justitiæ Minister Angelus ab eo pœnas expetiit. Cùm enim statim post commissum in Apostolos facinus, ut traditur in Actibus Apostolorum, Cæsaream profectus esset, ibique die festo candidâ, ac regiâ veste indutus, Populum è tribunali alloqueretur, omnisque ei multitudo acclamaret, non hominis vocem esse quam audirent, repentè illum ab Angelo Dei percussum esse Sacræ Literæ testantur, & à vermibus consumptum interiisse.*

1212 Hoc autem Euſebii loco notanda ſunt illa verba, *haudquaquam, diu, continuò*, & *ſtatim*, quæ apertè oſtendunt, parum temporis interjectum fuiſſe inter necem S. Jacobi, & mortem Herodis, qui S. Jacobum occidit.

1213 Deinde obſervandum eſt, Euſebium docuiſſe capite 2. ejuſdem libri 2. prædicationem verbi Dei, vivente Tiberio, perveniſſe ad fines terræ; ait enim:

> *Opitulante Cœleſti virtute, ſalutaris Dei ſermo, tamquam Solis radius univerſum terrarum Orbem ſubitò illuſtravit; & prout in Sacris Literis prædictum fuerat, in omnem terram exivit ſonus Euangeliſtarum, ſimul & Apoſtolorum, & uſque ad fines terræ verba eorum.*

1214 Ergo juxta Euſebium, jam à tempore Tiberii, qui obiit annò Æræ vulgaris 37. prædicatum erat Euangelium in finibus terræ, ac proinde in Hiſpaniâ, in quam nondum venerat Sanctus Paulus, qui anno Æræ vulgaris 57. ſcribens ad Romanos, expoſuit deſiderium veniendi in Hiſpaniam. Sanctus autem Jacobus ſupervixit Tiberio ſeptem annis. Ergo Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ tempore Tiberii, eruitur ex Euſebio; nam de nullo alio Apoſtolo dicitur, eo tempore veniſſe in Hiſpaniam.

1215 Quòd autem Euſebius non expoſuerit apertè expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ex eo eſt, quòd non ſcripſit niſi de Eccleſiis Patriarchalibus, quæ ejus tempore celeberrimæ habebantur, ut ipſe teſtatus eſt lib. 1. cap. 1. ut jam obſervatum à nobis eſt Aſſertione 44. numero 912. Deinde faſſus eſt, ſe non potuiſſe omnia ſcribere; ait enim lib. 3. cap. 37.

> *Cæterùm cùm fieri nullo modo poſſit, ut ſingulos nominatim recenſeamus, quotquot primis illis Apoſtolicæ ſucceſſionis temporibus per omnes Orbis terrarum Eccleſias Antiſtites, aut Euangeliſtæ fuerunt.*

Accedit

1216 Accedit, mihi vehementem esse suspicionem de Eusebii Historiæ mutilatione, eamque, quam modo habemus, non esse integram; ait enim Eusebius lib. 3. cap. 31.

> *Expositis igitur hactenus quæcumque ad notitiam nostram pervenerunt, tum de Apostolis ipsis, & de tempore obitûs singulorum* &c.

Et tamen hodie pauciſſima leguntur in Historiâ Eusebii de gestis, vitis, & moribus singulorum Apostolorum, quæ ab illâ detracta, & mutilata fuisse prudenter quis suspicari potest. Attamen, quæ etiam num reperiuntur, satis sunt ad ostendendum, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi innui ab Eusebio.

1217 Omnium planissima via sternitur expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi à testimonio Sancti Gregorii Nyssæni, qui vocatus est Pater Patrum (ut habetur ex septimo Concilio Generali, quod fuit Nicænum secundum, celebratum anno 787.) Act. 6. qui obiit circa annum 396. & Sermone de Sancto Stephano Prothomartyre docet, Apostolos cæpisse dispergi per Orbem à martyrio Sancti Stephani, quod contigit anno trigesimo quarto Æræ vulgaris, ut scribit Pater Historiæ Ecclesiasticæ Sapientissimus Cardinalis Baronius ad annum Christi trigesimum quartum, numero 300. Quo Sancti Gregorii Nyssæni testimonio, tamquam validissimo ariete, concussa ruunt argumenta petita ex sero discessu Apostolorum in provincias sibi distributas, & præcoci martyrio Sancti Jacobi, & ex fabulosâ Traditione Apollonio attributâ, & in Sancti Clementis Alexandrini opera ex apocryphâ prædicatione Petri intrusâ, asserente, præceptum fuisse Apostolis à Christo Domino, ne exirent Jerosolymis intra duodecim annos. Sed jam ipsum Sanctum Gregorium Nyssenum, Magni Basilii fratrem audiamus, de Sancto Stephano eloquentissimè differentem:

*Quem-*

*Quemadmodum enim* (inquit) *periti Athletæ ſubeuntes corpus adverſariorum per quandam artificioſam agilitatem, atque habilitatem graviorem lapſum eis ſtruunt: ita magnus quoque Stephanus humi proſtratus, gravem illam contuſionem adverſariis confecit. HINC ENIM APOSTOLI IN ORBEM TERRARUM CURRERE COEPERUNT. HOC IN OMNES PARTES SERMONIS DIVULGATIONIS INITIUM EST. Nam niſi ab illius cæde Populus Judæorum in Apoſtolos ſæviiſſet, forſitan ſolis Hieroſolymis Euangelii gratia concluſa eſſet. Nunc verò agitati à Judæis, alius aliò Gentium per Orbem terrarum diſperſi ſunt undique per myſteriorum doctrinam, diabolum exturbantes.*

Hæc Sanctus Gregorius Nyſſenus loco citato.

1218 Si igitur Apoſtoli à cæde Sancti Stephani, (hoc eſt anno trigeſimo quarto Æræ vulgaris) *in Orbem terrarum currere cœperunt*, quid obſtitit Sancto Jacobo, uni ex Apoſtolis, & filio Tonitrui, ne in Hiſpaniam excurreret prædicabundus? Nunquid extra Orbem terrarum erat Hiſpania?

1219 Si *nunc*, hoc eſt tempore martyrii Sancti Stephani, Apoſtoli, agitati à Judæis *alius aliò Gentium per Orbem terrarum diſperſi ſunt*, quis prohibuit Sancto Jacobo Maiori in Hiſpaniam profiſciſci, ut non ſolis Judæis, ſed etiam Gentilibus Euangelii lucem afferret?

1220 Perſecutio accenſa à Judæis adverſus Apoſtolos *nunc* (hoc eſt cùm cæſus eſt Sanctus Stephanus, anno ſcilicet Æræ vulgaris trigeſimo quarto) ipſos coegit diſcedere in Orbem terrarum, non verò perſecutio Herodiana, quâ Sanctus Jacobus occiſus eſt, & Sanctus Petrus in carcerem detruſus eſt, quæ fuit decem omninò annis poſterior, ad quam proinde verba Sancti Gregorii Nyſ-

ſeni

seni non possunt detorqueri; cùm expressè, & disertè loquantur de persecutione tempore cædis Sancti Stephani, decem annis antiquiore.

1221 Similiter corruunt hoc Sancti Gregorii Nysseni testimonio omnia argumenta, quæ deducuntur ex angustiis temporis, & ex clauso Gentibus ostio Fidei, vivente Sancto Jacobo, neque aperto nisi post illius martyrium, quæ jam suis in locis fusiùs soluta remanent, expeditiorque manet via asserendi, Sanctum Jacobum per novem annos in Hispaniâ prædicavisse.

1222 Testimoniis Eusebii, & Sancti Gregorii Nysseni, Episcoporum Orientalium, subjicio testimonium Episcoporum Occidentalium. Testimonio Eusebii, qui vixit tertio sæculo, & ineunte quarto, & Sancti Gregorii Nysseni, qui vixit quarto sæculo in Oriente, succedat testimonium Præsulum, qui eodem quarto sæculo ex Occidente adierunt Theodosium I. Imperatorem, ipsique de eo Sancto Jacobo Zebedæi filio dixerunt: *Noster fuit Prædicator*, ut legitur in vitâ Sancti Heliodori Episcopi Altinensis, quæ extat apud Continuatores Bollandi in Actis Sanctorum, ad diem tertium Julii. Ex quo apertè cognoscitur, quarto sæculo notum fuisse, Sanctum Jacobum prædicasse in Occidente, ac proinde non esse ortam famam expeditionis Hispanicæ hujus Apostoli, ex inventione ejus Sacri corporis in Gallæciâ, initio sæculi noni. Nam illi Episcopi Occidentales alloquuti sunt Theodosium I. qui obiit anno 395. & ignorabant, Sanctum Jacobum sepultum esse in Gallæciâ; sciebant expeditionem Apostoli viventis, ignorabant sepulchrum Apostoli occisi; quia latiùs evulgata erat fama illius prædicationis, quàm translationis. Desinant igitur Adversarii nobis objicere sententiæ Hispanorum novitatem, & originem ex invento apud Gallæciam Sacro Apostoli corpore.

Qui

1223 Qui primus hoc teſtimonium produxit ex vitâ Sancti Heliodori, fuit Reverendiſſimus Pater Joannes Col, ex Sanctiſſimâ, & Doctiſſimâ Ulyſſiponenſi Congregatione Oratorii, Regalis Academiæ Socius, vir eruditiſſimus, diligentiſſimuſque in evolvendis antiquitatis monumentis, & in inveſtigandâ veritate ſagaciſſimus, ut videre eſt in Catalogo Epiſcoporum Viſenſium, quem, eo Authore, conſcriptum in lucem emiſit Regalis Academia anno . . . . & ab Academiâ conditâ . . .

1224 Pater igitur Col, ut conſtat ex Actis Regalis Academiæ, die 23. Auguſti anno quarto ab Academiâ conditâ, hoc eſt, anno 1724. in illâ expoſuit locum vitæ S. Heliodori, quæ reperitur inter Acta Sanctorum tomo 1. Julii, die 3. ejuſdem menſis, ubi paginâ 649. C. legitur:

> *In tempore autem illo pervenerunt Epiſcopi de Galliæ Confinibus ad Theodoſium Imperatorem, & petierunt ab eo corpus Beatiſſimi Jacobi Apoſtoli Zebedæi, fratris Joannis, quod in Judeâ collocatum erat, dicentes: NOSTER FUIT PRÆDICATOR, nobis concede corpus, Piiſſime Imperator: Hoc audito, Venerabilis Auguſtus miſit Hieroſolymam, & juſſit reddi corpus Beati Jacobi Gallis Civibus.*

1225 Animadvertit Pater Col, Religioſiſſimus veritatis cultor, ex hoc loco haberi, Sanctum Jacobum prædicaſſe extra Judæam, & Samariam, quia Epiſcopi ex Galliæ Confinibus aſſeruere Theodoſio, ipſum Apoſtolum ſuum fuiſſe Prædicatorem; ſed licèt omnes Hiſpani teneant, Sanctum Jacobum prædicaſſe extra Judæam, & Samariam, utpote qui in Hiſpaniâ prædicavit; illud tamen novum Hiſpanis videndum eſſe, nempe, Sanctum Apoſtolum prædicaſſe in Galliâ, in Galliamque translatum fuiſſe Sacrum illius corpus. Unde ut Authoris illius vitæ veritati, Hiſpaniæque decori conſuleret, probavit

bavit eruditiſſimus Pater, Galliæ nomen etiam tributum eſſe Galliciæ, ut videre eſt in Epiſtolâ Sancti Leonis ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem. Unde non aberrat ille Author vitæ Sancti Heliodori, neque circa locum, in quo prædicavit Sanctus Jacobus, neque circa locum, ad quem translatum eſt ejus corpus, nam & prædicavit in Gallæciâ, & ſepultus eſt in Gallæciâ.

1226 Obſervationes ſuas obtulit modeſtiſſimus Pater Col nobis Regalis Academiæ Cenſoribus, ut eas vel approbaremus, vel corrigeremus. Summo eum plauſu totius Academiæ exceptum eſt illud teſtimonium ex vitâ Sancti Heliodori, illis obſervationibus illuſtratum, utpote, ex quo magis adſtruitur eximium Hiſpaniæ decus, nempe expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi.

1227 Neque ullius momenti ſunt, quæ contra Codicem vitæ Sancti Heliodori dicuntur ex Continuatoribus Bollandi Conrado Janningo, Joanne Baptiſtâ Sollerio, & Joanne Pinio, nempe illum Codicem eſſe obſcurum, verboſum, Anonymum, & multis ſæculis Sancto Heliodoro poſteriorem, plenum pluribus falſis, & improbabilibus. Neque ullo pacto officit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi illa notula, quæ in margine apponitur: *Et hæc mera fabella eſt de Epiſcopis Gallicanis, corpus Sancti Jacobi à Theodoſio impetrantibus.*

1228 Non ſunt hæc (inquam) ullius momenti; nam ſi eſſe Codicem ſcriptum ab Anonymo, ipſi detrahit fidem, quid dicemus de Actis Martyrum etiam ſyncerioribus, quæ plerumque ſunt Anonyma? Prætereo in Veteri Teſtamento plures eſſe libros, quorum ignorantur Scriptores. Deinde eſſe verboſum, & eſſe obſcurum, videntur inter ſe pugnare, juxta illud Horatii:

*—— brevis eſſe laboro*
*Obſcurus fio ——*

Sed neque eſſe verboſum, officit veritati. Verboſus fuit apud Jobum Eliu Buzites, & tamen mendacii non inſimulatur. Verboſus judicatus fuit ab Athenienſibus Sanctus Paulus (ut vel hoc confirmetur ex Sancto Paulo expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi) & tamen falſitatis argui non poteſt.

1229 Neque obſcuritas lædit veritatem. Obſcurus fuit Heraclius Epheſius, unde & dictus Scotinus, & tamen non dicitur mendax. Obſcurus eſt Tertullianus, & multa vera dicit. Obſcura eſt Sacra Scriptura, ut contra Hæreticos probant Theologi Polemici, & tamen eſt maximè verax.

1230 Codicem illum plenum eſſe plurimis falſis, liberè dicitur, cùm non probetur. Et ſi Codex ille plenus erat plurimis falſis, cur ex illo deſumpſerunt vitam Sancti Heliodori Continuatores Bollandi? Cur illi illuſtrando inſudarunt?

1231 Unde verò probatur, Codicem eſſe multis ſæculis Sancto Heliodoro recentiorem? Et quod caput eſt, unde probant, meram fabellam eſſe de Epiſcopis Gallicanis, corpus Sancti Jacobi à Theodoſio impetraviſſe credentibus?

1232 Denique Continuatores Bollandi dixiſſe, illam eſſe meram fabellam de Epiſcopis Gallicanis, corpus Sancti Jacobi à Theodoſio impetrantibus, non officit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi. Nam in primis non ideo quidpiam eſt fabella, quia à Recentioribus fabella dicitur. Deinde ex eo, quòd dicatur fabella, Gallos corpus Sancti Jacobi impetraſſe à Theodoſio, non ideo dicitur fabella, Gallos illud corpus petiiſſe; multòque minus dicitur fabella, Sanctum Jacobum fuiſſe Prædicatorem Occidentalium. Deinde cenſura illa Continuatorum Bollandi, potiùs ferit Gallos aſſerentes, corpus Sancti Jacobi Maioris

ſepul-

sepultum esse Tolosæ, quàm Hispanos asserentes, illud conditum esse Compostellæ.

1233 Ego autem prælucentibus facibus Historiæ, & Critices, magni facio locum istum ex vitâ Sancti Heliodori, quin laborem in disquirendo, an illi Episcopi fuerint Gallici, an Gallæci, satis habens, fuisse Episcopos Occidentales, ut verè dicere possent de Sancto Jacobo NOSTER FUIT PRÆDICATOR, & tantum abest, ut invideam Gallis prædicationem S. Jacobi, ut illam ipsis libentissimè concedam, ingenuèque profitear, potuisse audiri à Gallis, Sanctum Jacobum ex Hispaniâ revertentem.

1234 Etiam mihi placet Theodosium Imperatorem in Hispaniâ natum, non adversatum fuisse Episcopis Occidentalibus, asserentibus, Sanctum Jacobum fuisse Prædicatorem suum, noverat scilicet Theodosius, utpote qui Hispanus erat, Sanctum Jacobum extitisse Apostolum Hispaniæ, & Occidentis Prædicatorem. Neque miror, Episcopos Gallos, & Imperatorem ignorasse, Sanctum Jacobum sepultum esse in Hispaniâ jam ante aliquot sæcula, & credidisse etiam tunc jacere Hierosolymis. Nam scio, Sanctum Joannem Chrysostomum, Episcopum Constantinopolitanum, qui abiit ad Superos anno 407. ignorasse, Sancti Andreæ Apostoli Reliquias sepultas esse Constantinopoli, quò, ut ait Sanctus Hieronymus libro adversus Vigilantium, eas transtulerat Constantinus Magnus, qui obierat anno 337. & scio, docente Sozomeno, libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 10. Constantinopoli creditum esse, ibi conditum esse Sanctum Paulum Apostolum pro Sancto Paulo, Episcopo Constantinopolitano, cujus corpus illuc transferri, ibique sepeliri curaverat Imperator Theodosius. Unde mirum non est, Episcopos Gallos, & Imperatorem credidisse, Sancti Jacobi Maioris corpus esse Hierosolymis.

1235 Et cujuſcumque ætatis fuerit Author vitæ Sancti Heliodori, illud pro certo habendum exiſtimo, translationem illam corporis Sancti Jacobi, de quâ loquitur, fuiſſe valdè antiquam, quia certum eſt, Altini cultum fuiſſe brachium illud, quod credebatur Sancti Jacobi, antequam ab Attilâ deſtrueretur Urbs illa anno 452. neque enim credibile eſt, fuiſſe translatum in Urbem deſolatam, quia translatum eſt ex Altino; nam cùm Sedes Epiſcopalis Altinenſis translata fuerit Torcellum, marinam ventorum Civitatem, diſtantem Venetiis quinque tantum milliaribus, anno 635. eodem anno Paulus, primus Torcellanus Epiſcopus, illuc tranſtulit Sanctorum Reliquias; poſtea conſtructâ de novo Eccleſiâ Cathedrali anno 697. in illâ repoſuit Deuſdedit, quartus Torcellanus Epiſcopus, corpora Sancti Heliodori, Altinatis Epiſcopi, Liberalis Confeſſoris, Tabræ, Tabratæ, & Theoniſti Martyrum, cum brachio Sancti Jacobi Apoſtoli, ut ex Dandulo ſcribit Ferdinandus Ughellus tom. 5. Italiæ Sacræ, ubi de Epiſcopis Torcellanis columnâ 1432. primæ editionis Romæ 1653. ſecundæ verò editionis Venetæ cum additionibus Nicolai Coleti, anno 1720. tomo 5. columnâ 1365.

1236 Neque novum Hiſpanis eſt audire, corpus Sancti Jacobi translatum fuiſſe in Galliam, cùm ante centum annos Maurus Caſtella Ferrer in Hiſtoriâ Sancti Jacobi libr. 3. cap. 2. rejecerit ſententiam exiſtimantium, corpus Sancti Jacobi Zebedæi conditum eſſe in Galliâ in urbe Toloſâ; & Sanctum Jacobum ſepultum eſſe Compoſtellæ, confirmaverit authoritate Callixti II. & Alexandri III. & privilegio Philippi III. Gallorum Regis.

1237 Neque inauditum eſt, Sanctorum corpora coli diverſis in locis; affirmante unaquâque ex diverſis Urbibus, ſe tenere verum corpus unius Sancti, cùm ſint diverſo-

verſorum, cujus, ut Magnus Suarius tom. 1. in 3. partem, quæſtione 25. Diſputatione 55. Sect. 2. §. *Sed quæret aliquis*, ait:

> *Cauſa interdum eſſe potuit, quia Sancti fuerunt ejuſdem nominis, & ſucceſſu temporis utriuſque Reliquiæ ejuſdem perſonæ exiſtimatæ ſunt, & propter nominis ambiguitatem illi attributæ, qui maioris habetur gloriæ, & ſanctitatis.*

1238 Plurima ſunt hujus rei exempla; prætereo ea, quæ ortum habent non ex nominum identitate, ſed ex horum ſimilitudine, ut videre eſt in corporibus Sanctæ Irenes, & Hiereniæ, de quibus noſter Silos parte 2. Hiſtoriarum noſtræ Clericorum Regularium Congregationis lib. 4. à pag. 168. Ego ipſe veneratus ſum Romæ in Baſilicâ Sancti Petri, corpus Sancti Gregorii Nazianzeni, & poſtea veneratus ſum Venetiis corpus ejuſdem Sancti Doctoris in Templo Sancti Zachariæ. Veneratus ſum Romæ in Baſilicâ Sancti Laurentii extra muros, corpus Sancti Stephani, & poſtea Venetiis, veneratus ſum corpus ejuſdem Prothomartyris in Templo Sancti Marci. Vidi, & veneratus ſum Venetiis in Monaſterio Sancti Jobi Patrum Franciſcanorum, corpus Sancti Lucæ Euangeliſtæ, & poſtea veneratus ſum Patavii in celeberrimo Monaſterio Sanctæ Juſtinæ (quod Caput eſt Congregationis Caſſenenſis) corpus ejuſdem Euangeliſtæ. Veneratus ſum Romæ in Inſulâ Lycaoniâ corpus Sancti Bartholomæi Apoſtoli, quod tamen ſe habere contendit Eccleſia Beneventana. Cujus tamen caput dicitur eſſe Toloſæ, ut videre eſt apud Andream Sauſſayum de gloriâ Sancti Andreæ parte 2. lib. 3. capite 5. Digreſſiunculâ adverſus Calvinum pag. 449.

1239 Similiter accidit Sancto Jacobo Maiori, cujus corpus à peregrinis ex toto Chriſtiano Orbe confluentibus

bus colitur Compoſtellæ ; & tamen Toloſates gloriantur, ſe habere integrum corpus ejuſdem Magni Apoſtoli, & nihilominus Attrebatenſes aſſerunt, ſe habere illius caput, cujus Relationem in nobile Monaſterium Sancti Vedaſti celebrant die tertiâ Januarii, ut videre eſt apud Bolandum in Actis Sanctorum tomo 1. die 3. Januarii, pag. 158. ubi etiam dicit, noſtri Apoſtoli brachium aſſervari Leodii in Monaſterio Sancti Jacobi ; ſeque de eo acturum die 13. Maii, ad quem tamen diem deveniens illud opus, rejecit pleniorem de eo tractationem, ad diem 25. Julii in vitâ Sancti Jacobi.

1240 Cùm tamen colantur eorundem Sanctorum corpora, vel plura capita, vel plura, quàm duo brachia, manus, vel pedes, non dicimus, eos Sanctos habuiſſe plura corpora, plura capita, plurimaque brachia, plurimas manus, plurimos pedes, ut de ſimilibus Sanctorum Reliquiis, quas diverſis in locis Catholicorum veneratur pietas, blaterat impius Hæreſiarcha novus Lucianus, Joannes Calvinus. Sed exiſtimamus, in quocumque loculo, quo dicitur condi integrum corpus ullius Sancti (quod dicitur etiam alibi extare) reperiri ſaltem partem illius corporis, & per Synodochen accipi totum pro parte, aut partem pro toto, vel per homonymiam accipi corpus unius Sancti pro corpore alterius Sancti ejuſdem nominis, ut latè, & eruditè docet Pater Joannes Ferrandus, Societatis Jeſu, in Diſquiſitione Reliquiariâ lib. 1. cap. 4. articulo 1. & 2.

1241 Ex dictis colligitur, immeritò dici fabellam illam narrationem de impetrato per Epiſcopos Gallos corpore Sancti Jacobi ; & confirmatur jam tempore Theodoſii primi, hoc eſt, quarto ſæculo, notum fuiſſe tam in Galliâ, quàm Conſtantinopoli, tam in Occidente, quàm in Oriente, Sanctum Jacobum Zebedæi filium

fuiſſe

fuisse Occidentis Prædicatorem, sive illi Episcopi, qui id dixerunt, fuerint ex Gallæciâ, sive ex Gallîâ, sive ex locis Hispaniæ Galliæ confinibus, cum certè essent Occidentales.

1242 Cùm verò locus iste vitæ Sancti Heliodori sit monumentum testans maiorem nostræ Traditionis antiquitatem, expresso nomine Sancti Jacobi Zebedæi, quàm omnia alia, quæ per plusquam centum annos, quibus durât hæc controversia, producta sunt à Propugnatoribus expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, immortales gratiæ agendæ sunt Patribus Societatis Jesu, Bolandi Continuatoribus, qui illam vitam edidere; sed maiores, imò maximæ, referendæ Patri Joanni Col, qui hoc eximium testimonium Regali Academiæ proposuit pro confirmandâ verâ sententiâ asserente expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, disponente Numinis Providentiâ, ut ex Congregatione Oratorii, Alumnisque Sancti Philippi Nerii prodiisset summum auxilium adversus Magdeburgenses, negantes expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, contra quos alia Ecclesiæ decora negantes, pugnavit ex eâdem Congregatione Cardinalis Baronius, duodecim voluminibus Annalium Ecclesiasticorum; sed non est mirandum, ex illâ Sanctissimâ Congregatione prodire pugiles valdè strenuos adversus Hæreticos; illud maximâ admiratione dignum, ex illâ prodiisse virum, qui dispulerit tenebras, quas expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi offuderat Cardinalis Baronii ex eâdem Congregatione, dubitatio. Quidquid Adversarii dicere tentent adversus Codicem vitæ Sancti Heliodori, quem produxit Pater Col, nunquam probabunt, in illo esse tot vitia, quot demonstravimus in Manuscripto Toletano, cui nimium fisus est Cardinalis Baronius; à cujus sententiâ discessere plures Sanctissimi Patres ejusdem Congregationis ( ut infra videbimus ) etiam

etiam antequam vidiſſent teſtimonium ex vitâ Sancti Heliodori, quod modo feliciſſimè invenit, & prudentiſſimè produxit Sapientiſſimus Pater Joannes Col.

## §. II.

## *Teſtimonia Sancti Hieronymi pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.*

1243 POſt teſtimonium ex vitâ Sancti Heliodori, antiqui inter amicos Sancti Hieronymi, & ad quem Sanctus Doctor ſcripſit primam Epiſtolam ex omnibus, quas habemus, & de quo plurima leguntur in erudito opere Hiſpanè inſcripto *Siglos Geronimianos*, Authore Paulo à Sancto Nicolao, Generali Chronologo Monaſtici Ordinis Sancti Hieronymi; ſequitur ipſe Sanctus Hieronymus, qui Sanctiſſimâ vitâ ſuâ illuſtrem reddidit maiorem partem ſæculi quarti, & initium quinti, utpote qui abiit ad Superos anno vigeſimo hujus quinti ſæculi, juxta Cardinalem Baronium, & qui inter fautores ſententiæ aſſerentis expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, altiſſimum, & maximè excellentem obtinet locum, & qui eſt æterno præconio laudandus, & à cunctis Luſitanis, & præſertim à nobis Clericis Regularibus; à Luſitanis quidem, quia ipſe in Eccleſiaſticis ſcribendis Epiſtolis Adjutor fuit Sancti Damaſi Luſitani, Pontificis Maximi. A' Clericis autem Regularibus, quia Beatum Hieronymum reperimus inter Clericos Regulares, ut ait Joſephus Silos, elegantiſſimus noſtri Ordinis Hiſtoricus, tom. 1. Hiſtoriarum Clericorum Regularium lib. 2. pag. 53. quod ante Joſephum Silos obſervaverat noſter Antonius Caracciolus, in Synopſi veterum Religioſorum Rituum, in Notis ad Præfationem Conſtitutionum Clericorum

ricorum Regularium, §. *Venio ad Beatum Hieronymum*; & ante utrumque, noſter Joannes Baptiſta Caſtaldus in *Iconibus Sanctorum, & illuſtrium Virorum, qui Clericorum Regularium Inſtitutum omnium primi fundaverunt, reſtituerunt*, fol. 22. & quia Sancti Hieronymi precibus debuit Sanctiſſimus Pater meus Caietanus Thienæus, quòd *Romæ nocte natalitia ad Præſepe Domini Infantem Jeſum accipere meruit à Deiparâ in ulnas ſuas*, ut conſtat ex literis ejuſdem Thienæi, quas videre eſt apud ejus vitæ Scriptores.

1244 Sanctus igitur Hieronymus, qui à Sancto Damaſo Pontifice Luſitano doceri potuit de primis Apoſtolis, qui Euangelii lucem Hiſpaniæ invexere; non uno in loco maximè favet expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ut modo oſtendemus non indiligenter.

1245 Non contentus Doctor Maximus ſtraviſſe viam ad expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, dicendo in Commentario Epiſtolæ S. Pauli ad Galatas capite 1. jam Apoſtolos fuiſſe toto Orbe diſperſos, quando Sanctus Paulus poſt annos tres à Converſione ſuâ acceſſit Hieroſolymam videre Petrum, & alium Apoſtolorum vidit neminem, niſi Jacobum fratrem Domini (quod juxta diligentiores Chronologos accidit anno Æræ vulgaris trigeſimo ſeptimo) ait enim in hunc locum Doctor Maximus:

> *Non vidit autem eos, non quo contemptui duceret, ſed quòd illi ad Euangelium prædicandum toto fuerant Orbe diſperſi.*

Quo ſanè planiſſima redditur via ad aſſerendam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, utpote qui, Authore Sancto Hieronymo, jam diſceſſerat in Provinciam ſuam anno Æræ vulgaris trigeſimo ſeptimo, & ſeptem annis antequam occideretur.

1246 Et ex hoc loco Sancti Hieronymi videtur eru-

iſſe Adrianum Baillet, Sanctum Jacobum exiiſſe Judæâ ante Sanctum Petrum, & Sanctum Joannem aliquot annis, ut obſervavimus Aſſertione. . . numero. . . Hoc, inquam, non contentus Sanctus Hieronymus, plura ſcripſit, ex quibus elicitur Doctorem Maximum, de quo dicitur, *neminem ſciſſe, quòd Hieronymus ignoraſſet*, perſpectam habuiſſe Hiſpanicam Sancti Jacobi expeditionem: unde eſt celeberrimus Patronus ſententiæ aſſerentis expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Cujus Propugnatores cuncti utuntur authoritate Sancti Hieronymi pluribus in locis, ex quibus ego aliquot ſeligam, additis aliis, quos à nullo citatos me reperiſſe memini, unumque primo loco proponam, utpote in quo Sanctus Doctor affirmat, Sanctum Jacobum Maiorem miſſum fuiſſe à Chriſto ad prædicandum Gentibus.

1247 Ait igitur Sanctus Hieronymus in Epiſtolâ ad Antonium de modeſtiâ, quæ reperitur tomo 2. operum Sancti Hieronymi, pag. 218. editionis Frobenianæ, anni 1553.

> *Contra Sophiſtas quoque ſæculi, & Sapientes Mundi, Petrus, & Jacobus piſcatores mittuntur.*

Jacobum piſcatorem eſſe Sanctum Jacobum Maiorem, nemo inficiabitur; non enim legitur, fuiſſe piſcatorem Sanctum Jacobum Minorem; neque hunc prædicaſſe Gentibus Sophiſtarum autem ſæculi, & Sapientum Mundi, nomine conſtat, intelligi Gentiles idolatras, de quibus dicit Sanctus Paulus ad Romanos 1. verſ. 22.

> *Dicentes enim, ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.*

1248 Loquutus eſt Sanctus Hieronymus ex ſententiâ Divi Pauli 1. ad Corinth. 1. 27. dicentis:

*Quæ*

*Quæ stulta sunt Mundi, elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

Quæ Sancti Pauli verba explicans Origenes contra Celsum, lib. 3. ait:

*Sapientes more vulgi vocat omnes, qui videntur in disciplinis profeciſſe, qui tamen in impium cultum plurium numinum ſunt lapſi.*

1249 De his sæculi Sophistis, & Mundi Sapientibus loquitur Divus Paulus 1. Corinth. 3. 20. dicens:

*Dominus novit cogitationes Sapientum, quoniam vanæ ſunt.*

Ad quem locum Clemens Alexandrinus, Origenis Magister, lib. 1. Stromatum, ait:

*Sapientes utique Scripturâ vocante Sophiſtas, qui in dictionibus verſantur, & artibus ſuperfluis. Unde ipſi quoque Græci eos, qui in re aliquâ curioſè verſantur, Sapientes ſimul, & Sophiſtas denominativè appellarunt. Cratinus itaque, cùm in Archilochiis Poetas recenſuiſſet, ait:*

Quales Sophiſtas perpetim ſcrutamini.

1250 Dum igitur Sanctus Hieronymus dicit, Sanctos piscatores Petrum, & Jacobum missos esse ad Sophistas sæculi, & Sapientes Mundi, docet, utrumque missum esse ad Gentiles Fide imbuendos. Unde Sanctus Petrus missus este Romam, de quâ ait Sanctus Leo Serm. 1. de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo:

*Hîc conculcandæ Philoſophiæ opiniones, hîc diſſolvendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hîc confutandi dæmonum cultus, hîc omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, ubi diligentiſſimâ ſuperſtitione habebatur collectum quidquid uſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.*

1251 Sanctus verò Jacobus Maior missus est ad Hispaniam, provinciam tunc temporis florentissimam Gentilium

tilium diſciplinis, abundantem Sophiſtis ſæculi, & Sapientibus Mundi, ut conſtat ex Strabone lib. 1. Geographiæ. Quorum plures memorat Nicolaus Antonius in Præfatione Bibliothecæ Hiſpaniæ Veteris, ubi de Hiſpanorum doctrinâ §. 5. Unde meritò Sanctus Hieronymus conjunxit Sanctum Petrum, & Sanctum Jacobum Apoſtolos Italiæ, & Hiſpaniæ, provinciarum ſibi adeo ſimilium, ut Plinius lib. 37. Hiſtoriarum cap. 13. poſtquam de Italiâ Sancti Petri provinciâ ſcripſit:

> *In toto Orbe, & quâcumque Cœli convexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, rebuſque meritò principatum naturæ obtinens Italia, rectrix, parenſque Mundi altera viris, fœminis, ducibus, militibus, ſervitiis, artium præſtantiâ, ingeniorum claritatibus*, &c.

Subjungat de Hiſpaniâ, Sancti Jacobi provinciâ:

> *Ab eâ* (Italiâ) *exceptis Indiæ fabuloſis, proximè quidem duxerim Hiſpaniam, quæcumque ambitur mari.*

1252 Propter ſimiles etiam Romanorum, & Hiſpanorum mores, eodem tempore æſtuabat Sanctus Paulus deſiderio videndi Romanos, & Hiſpanos; Romanos, quibus prædicaverat Sanctus Petrus, & Hiſpanos, quibus prædicaverat Sanctus Jacobus; quos ambos teſtatur hoc loco S. Hieronymus, miſſos fuiſſe ad Sophiſtas ſæculi, & Sapientes Mundi, hoc eſt, Gentiles idolorum cultores.

1253 Sanctus Hieronymus, qui, ut modo vidimus, docet, Sanctum Jacobum miſſum fuiſſe ad prædicandum Gentilibus, docet, illum prædicaviſſe Hiſpanis, ut jam oſtendam.

1254 Secundus Sancti Hieronymi locus etiam à me inventus eſt ex Epiſtolâ ad Lucinium Beticum, hominem Hiſpanum; ubi poſtquam dixerat:

> *Cornelius Centurio Cohortis Italicæ, jam tunc Lucinii mei præfigurabat fidem.*

Quibus

Quibus & meminit Cornelii Centurionis, conversi ad Fidem à Sancto Petro piscatore. Et favet sententiæ asserentium, illum Cornelium Hispaniâ fuisse oriundum; nam hoc clariùs præfigurabat fidem Lucinii hominis Hispani.

1255 Deinde alloquens Lucinium hominem (ut dixi) Hispanum, subdit:

> *Piscator hominum, misso rete Apostolico, ea quoque quasi pulcherrimum Auratam inter innumera piscium genera traxit ad littus.*

Quem alium dicemus fuisse hunc piscatorem, qui in Hispaniâ innumera piscium genera traxit ad littus, nisi Sanctum Jacobum? Nam si conversio Cornelii præfigurabat conversionem Hispanorum, debuit Apostolus convertens præfigurare Apostolum convertentem; ac proinde debebant esse duo convertentes, sicuti duo conversi: ergo alius à Sancto Petro. Non Sanctus Paulus; nam ipsum substitisse Romæ, docet eodem loco Sanctus Hieronymus: ergo Sanctus Jacobus, qui & piscator fuit, & certè qui, ut supra vidimus cum Sancto Hieronymo, missus sicuti Sanctus Petrus contra Sophistas sæculi, & Sapientes Mundi. Præterea, licèt dicatur, Sanctum Petrum, & Sanctum Paulum prædicasse in Hispaniâ, de neutro dicitur, quòd innumeros converterit in Hispaniâ, ut de Sancto Jacobo; de quo ait Walfridus Strabo Poemate de duodecim Apostolis:

> *Primitus Hispanas convertit dogmate gentes*
> *Barba divinis convertens agmina dictis.*

1256 Si quis tamen contenderit, hunc locum Sancti Hieronymi non persuadere efficacissimè nostram sententiam, non ipsi pertinaciter repugnabo.

1257 Tertius locus Sancti Hieronymi est desumptus ex Commentariis in cap. 34. Isaiæ vers. 12. ubi loquens de Apostolis, ait:

*Obviasse*

*Obviaſſe ſibi in Hieruſalem, & mutuos vidiſſe conſpectus, & tranſiſſe, & reliquiſſe eam, & ad diverſas provincias perrexiſſe, quia Dominus mandaverat eis: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: & Spiritus illius congregavit eos, dederitque eis ſortes, atque diviſerit, ut alius ad Indos, alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unuſquiſque in Euangelii ſui, atque doctrinæ provinciâ requieſceret.*

1258 Loquitur hîc Doctor Maximus de undecim Apoſtolis, ad quos Dominus in Cœlum jam aſcenſurus dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes*: ut habetur cap. 28. verſ. 19. Euangelii Sancti Matthæi, & ſuper quos congregatos deſcendit Spiritus Sanctus, ut legitur Actorum cap. 2. verſ. 4. & quibus poſtea, aſſumpto Sancto Mathiâ, diviſus eſt per ſortes, ſeu provincias Orbis terrarum, ut ait Sanctus Leo Magnus, Sermone 1. de Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo. De his autem dixit Sanctus Hieronymus, *unum perrexiſſe ad Indos, & in Indiâ requieviſſe*, qui fuit Sanctus Thomas; *alium ad Hiſpanias, & in Hiſpaniâ requieſcere*, qui fuit Sanctus Jacobus Maior, *alium ad Illyricum, & in Illyrico requieviſſe*, qui fuit Sanctus Andreas, *alium ad Græciam, & in Græciâ requieviſſe*, qui fuit Sanctus Joannes Euangeliſta, ut doctè, & eruditè demonſtravit Pater D. Hieronymus Contador de Argote in Diſſertatione de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam probato, & defenſo doctrinâ Maximi Doctoris Sancti Hieronymi, de quo V. Clariſſimus Doctor D. Joannes Ferreras in Diſſertatione Apologeticâ de Prædicatione Sancti Jacobi Zebedæi in Hiſpaniâ §. 8. num. 87. ait:

*Cum Reverendiſſimus Pater D. Hieronymus Contador de Argote, Clericus Regularis Regiæ Academiæ Alumnus hanc pleniſſimè peroraverit cauſam &c.*

Tanti

1259 Tanti ponderis est locus iste Sancti Hieronymi, ad probandam expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, ut omnes illius Defensores eo utantur, quin hoc fundamentum possit labefactari crebro septem responsionum ariete, quo oppugnatur; illæ etenim facillimo negocio refelluntur.

1260 Prima responsio est, Divum Hieronymum, cùm dixit *alius* in Hispanias, *alius* in Illyricum, voluisse significare unum eundem, ipsumque Apostolum Sanctum Paulum, qui prædicavit & in Hispaniis, & in Illyrico. Sed quis hoc credat de Sancto Hieronymo Grammaticæ scientissimo? Quis de Sanctissimo discipulo Donati Grammaticorum Coriphæi? Quis de homine Ciceroniano; imò addo, quis de homine Christiano, scientę has dictiones ipse, & alius adeo opponi, ut una alteram excludat, juxta illud Job 19. 27.

> *Quem visurus sum ego* ipse, *& oculi mei conspecturi sunt, & non* alius.

Si alius, alius, & alius significant unum, & eundem hominem, nempe Sanctum Paulum, qui perrexit in Hispaniam, in Illyricum, & in Græciam; etiam alia, alia, & alia persona poterit significare unam, & eandem personam, repugnante Catholicâ Fide; ait enim Symbolum Sancti Athanasii:

> *Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti.*

1261 Unde manet inconcussum Sanctum Hieronymum, cùm quater scripsit alius, quatuor voluisse significare Apostolos distinctos. Nam *alius* significat non *eundem*, sed distinctum, ut expressè docet Sanctus Paulus 1. Corinth. 15. 39.

> *Non omnis caro* eadem *caro: sed* alia *quidem hominum*, alia *vero pecorum*, alia *volucrum*, alia *autem piscium*.

*Et corpora Cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed* alia *quidem Cœleſtium gloria*, alia *autem terreſtrium. Alia claritas Solis*, alia *claritas Lunæ*, & alia *claritas Stelarum. Stella enim à Stella* differt *in claritate.*

1262 Secunda reſponſio, quæ affertur, eſt, admittendum non eſſe, Divum Hieronymum ſibi contradicere. Cùm enim D. Hieronymus alibi dicat, Sanctum Paulum prædicaſſe in Illyrico, & prædicaſſe in Hiſpaniâ, ſibi hoc loco contradicturus eſſet, ſi aſſereret, alium fuiſſe Apoſtolum, qui prædicaverat in Hiſpaniâ, diſtinctum ab eo, qui prædicaverat in Illyrico. Sed quis non animadvertit, neceſſe fuiſſe ad hanc contradictionem, quòd aliis in locis dixiſſet Sanctus Hieronymus: *Solus Sanctus Paulus prædicavit in Hiſpaniis*; quia per adjectivum *ſolus* excluderet quemcumque alium Apoſtolum. Neque tunc poſſet Doctor Maximus dicere: *Sanctus Jacobus prædicavit in Hiſpaniis*, *Sanctus Andreas prædicavit in Illyrico*; quia uterque excludebatur per illud *ſolus Sanctus Paulus*. Similiter, ſi hoc loco diceret *Solus Sanctus Jacobus prædicavit in Hiſpaniâ*, *ſolus Sanctus Andreas prædicavit in Illyrico*, per illud *ſolus* bis repetitum, uterque Apoſtolus excluderet Sanctum Paulum ab Hiſpaniis, & ab Illyrico. Cùm verò Sanctus Hieronymus neutro in caſu apponat illud *ſolus*, ſine ullâ contradictione dicere potuit *Sanctus Paulus prædicavit in Hiſpaniis*, *& Sanctus Jacobus prædicavit in Hiſpaniis*; & ſimiliter *Sanctus Paulus prædicavit in Illyrico*, & *Sanctus Andreas prædicavit in Illyrico.*

1263 Unde per illud nomen *alius*, quater repetitum, tollitur à verbis Sancti Hieronymi omnis contradictio, quæ, ut docent Logici, nihil aliud eſt, quàm affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundum idem; quæ omnia neceſſariò deficiunt, cùm dicitur *alius*, & *alius*, quibus excluditur *idem*, & *idem.*

Tertia

1264 Tertia prætensa solutio est, verbulum illud *alius*, & *alius* excidisse Sancto Hieronymo non attendenti, proindeque nos intendenti diversitatem Apostolorum in Illyrico, & Hispaniâ prædicantium. Sed si hoc effugium oblivionis admitteretur, rueret tota vis argumentorum, quæ ab authoritate eruuntur; semper enim in quâcumque causâ in promptu esset Adversario, reponere Authorem contra se productum, memoriâ lapsum esse, quod nunquam est concedendum; oblivio enim non supponitur, sed probari debet. Neque præsumitur oblivio in factis, vel dictis solitis, & consuetis, ut cum Pegnâ docet ex nostris Pater Delbene, de Officio Sanctæ Inquisitionis parte 1. Dubit. 159. num. 5.

1265 Neque adstruunt oblivionem Sancti Hieronymi in hoc Isaiæ Commentario ea, quæ Doctor Maximus scribit ad Sanctum Augustinum Epistolâ 75. ex Præfatione suâ ad Commentarios in Epistolam ad Galatas, quam placet expendere, antequam ad verba hujus Epistolæ veniamus; in illâ enim Præfatione, seu Procœmio ait:

> *Itaque ut simpliciter fatear: Legi hæc omnia, & in mente meâ plurima coacervans, accito notario, vel mea, vel aliena dictavi: nec ordinis, nec verborum interdum, nec sensuum memoriam retentans.*

Verborum autem, sensuum ve memoriam non retentare aliud esse potest, quàm memoriam non retinere, seu non esse memorem; cùm retentare sit verbum frequentativum, quo significatur iterum tentare, seu denuò experiri, vel periculum facere. Unde dicere voluit Sanctus Hieronymus, se dum scribebat illos Commentarios in Epistolam ad Galatas, non tantum otii habuisse, ut illos relegeret, vel iterum ad incudem revocaret. Solemne enim erat Sancto Hieronymo multa præproperè dicta-

re, quin dictata relegeret; ait enim in Epiſtolâ ad Lucinium:

> *Opuſcula mea, quæ non ſui meritò, ſed tuâ bonitate deſiderare te dicis ad deſcribendum, hominibus tuis dedi, & deſcripta vidi in chartaceis codicibus: ac frequenter monui, ut conferrent diligenter, & emendarent. Ego enim tanta volumina præ frequentiâ commeantium, & peregrinorum turbis relegere non potui: & ut ipſi probavere præſentes longo tentus incommodo, vix diebus Quadrageſimæ, quibus ipſi proficiſcebantur, reſpirare cœpi. Unde ſi paragrammata repereris, vel minus aliqua deſcripta ſunt, quæ ſenſum legentis impediant: non mihi debes imputare, ſed tuis, & imperitæ notariorum, librariorumque incuriæ, qui ſcribunt, non quod inveniunt, ſed quod intelligunt: & dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos.*

1266 His conſonant, quæ idem Sanctus Hieronymus ait ad Pammachium in Proœmio in tertium Commentariorum Amos, inquiens:

> *Poſt graviſſimam corporis ægrotationem, dictandi celeritate oſtendi temeritatem meam: ut quod alii ſtylum ſæpe vertendo non audent ſcribere, ego committerem caſui: qui ſemper dictantes ſequitur, & de ingenio, atque doctrinâ audaciæ periculum facit: quoniam, ut ſæpe teſtatus ſum, laborem propriâ ſcribendi manu ferre non valeo.*

1267 Neque tamen hinc inferri poteſt, eſſe in eo loco *alius ad Hiſpanias*, *alius ad Illyricum* erratum notarii, vel librarii, quia hîc nullum eſt paragramma, ſeu ſcripturæ perturbatio, nihilque, quod ſenſum legentis impediat, ſed omnia ſibi optimè cohærent. Etſi admittendus eſſet error notarii, potiùs admittendus eſſet in Epiſtolâ ad Sanctum Auguſtinum, quâ ſe Sanctus Hieronymus dicit immemorem verborum, quàm in Proœmio in Epiſtolam

ad

ad Galatas, quo se fatetur verborum, & sensuum memoriam non retentasse; sed veniamus jam ad verba hujus Epistolæ, quâ Sanctus Hieronymus ait:

> *Itaque ut simpliciter fatear, legi hæc omnia, & in mente meâ plurima coacervans, accito notario, vel mea, vel aliena dictavi, nec ordinis, nec verborum interdum, nec sensuum memor.*

Quibus non dicit Sanctus Hieronymus, se immemorem fuisse regularum Grammaticæ, neque factorum Historiæ, neque verborum suorum, sed tantummodo ordinis, verborum, & sensuum aliorum interdum dictasse immemorem. Quomodo enim obliviscereturregularum Grammatices Sanctus Hieronymus, qui in Apologiâ adversus Ruffinum lib. 2. pag. 233. mihi ait:

> *Ego Philosophus, Rhetor, Grammaticus, Dialecticus, Hebræus, Græcus, Latinus, trilinguis.*

Oblitus ne esset Grammaticæ Sanctus Hieronymus, qui in eâdem Apologiâ lib. 1. de Præceptore Donato gloriatur. Oblitus ne esset Grammaticæ, qui ibidem objicit Ruffino Grammaticæ ignorantiam; in ipsum enim invehens, ait:

> *Illud miror, quod Aristarchus nostri temporis puerilia ista nescieris. Quamquam tu occupatus in sensibus, & ad struendam mihi calumniam cernuus Grammaticorum, & Oratorum præcepta contempseris.*

1268 Sed esto oblitus fuerit regularum Grammaticæ, nunquid ideo dicendus est oblitus Doctor Maximus præcipuorum capitum Historiæ Ecclesiasticæ, (quæ proculdubio sunt peregrinationes, & prædicationes Apostolorum) quorum omnium Sanctus Hieronymus erat adeo sciens, ut scripserit in vitâ Malchi tom. 1. pag. 98. G.

> *Scribere enim disposui (si tamen vitam Dominus dederit, & si vituperatores mei saltem fugientem me, & inclusum*

*perſequi deſierint*) *ab Adventu Salvatoris, uſque ad noſtram ætatem, id eſt, ab Apoſtolis, uſque ad noſtri temporis fæcem, quomodo, & per quos Chriſti Eccleſia nata ſit, & adulta, perſecutionibus creverit, martyriis coronata ſit, & poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem, & divitiis maior, ſed virtutibus minor facta ſit.*

1269 Neque enim ex eo, quòd quis oblitus fuerit, vel ignarus regularum Grammaticæ, cenſendus ignarus Hiſtoriarum, vel Traditionum, imò neque Scientiarum, quod confirmatur authoritate Sancti Pauli 2. Corinth. cap. 11. verſ. 6. dicentis:

*Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ.*

1270 Quarta prætenſa ſolutio eſt, ſi Sanctus Hieronymus hîc ait: *Alius* (Apoſtolus) *in Hiſpaniâ*, prædicavit ſcilicet: ergo unicus Apoſtolus prædicavit in Hiſpaniâ. Et dicitur, hanc patere conſequentiam, quia Sanctus Hieronymus non dicit *alii*, ſed *alius* in numero ſingulari. Sed juxta Sanctum Hieronymum, Sanctus Paulus prædicavit in Hiſpaniâ: ergo unus Sanctus Paulus: ergo ex Apoſtolis ſolus Sanctus Paulus prædicavit in Hiſpaniâ: ergo juxta Sanctum Hieronymum, Sanctus Jacobus in Hiſpaniâ nullatenus prædicavit.

1271 Hæc ſolutio tanti fit à ſuo Authore, ut ab ipſo etiam vocetur validiſſimum in Adverſarios argumentum. Sed ſi hoc eſt validiſſimum argumentum, ſalva decertantium pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi res eſt. Nam ſi oſtenderimus, hoc argumentum nihil poſſe conficere, cùm ſit validiſſimum, facili negocio perſuadebimus, minus poſſe conficere alia argumenta, quæ non ſunt validiſſima. Deinde, ſicuti hoc argumentum, quod dicitur validiſſimum, non convincit, ita etiam illa vocata quarta ſolutio non ſatisfacit; quod ſic oſtenditur. Si dicatur ex undecim Apoſtolis, quibus Dominus poſt Reſurrectionem

rectionem jussit ut irent, & docerent omnes gentes, *alius* prædicavit in Hispaniâ: ergo unicus Apostolus prædicavit in Hispaniâ; non bene infertur, quia per illud non excluditur ab Hispaniâ Apostolus, qui non erat ex undecim, quibus Dominus post Resurrectionem jussit ut irent, & docerent omnes gentes: sed Sanctus Hieronymus solùm loquitur eo loco de undecim Apostolis, quibus Dominus post Resurrectionem jussit ut irent, & docerent omnes gentes; ergo ex verbis Divi Hieronymi non bene infertur, excludi ab Hispaniâ Divum Paulum, cùm ille non fuerit ex undecim Apostolis, quibus Dominus post Resurrectionem jussit ut irent, & docerent omnes gentes. Quod autem Sanctus Hieronymus locutus fuerit de undecim Apostolis, quibus Dominus post Resurrectionem jussit ut irent, & docerent omnes gentes, patet ex verbis ipsius Sanctissimi Doctoris; ait enim:

> *Ad diversas provincias perrexisse, quia Dominus mandaverat eis: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; & Spiritus illius congregaverit eos, dederitque eis sortes, atque diviserit, ut* alius *ad Indos*, alius *ad Hispanias*, alius *ad Illyricum*, alius *ad Græciam pergeret, & unusquisque in Euangelii sui, atque doctrinæ provinciâ requiesceret.*

Illud enim *ite, & docete omnes gentes*, alludit ad caput 28. Sancti Matthæi, ubi vers. 16. dicitur:

> *Undecim autem Discipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terrâ. Euntes ergo, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

1272 Præterea, si Sanctus Hieronymus diceret, ex undecim illis Apostolis, quibus Dominus loquutus est post

poſt Reſurrectionem *alius* mortuus eſt in Indiâ, *alius* in Illyrico, *alius* in Italiâ, ſive Romæ, *alius* in Græciâ; negaret ne per hoc, Sanctum Paulum mortuum fuiſſe Romæ? Minimè; quia Sanctus Paulus non fuit ex illis undecim Apoſtolis. Sicuti ex undenario numero Apoſtolorum, ad quos loquutus eſt Chriſtus in Cœlum aſcenſurus, de quibus hîc loquitur Sanctus Hieronymus, excluditur Sanctus Paulus, qui non fuit ex illorum undenario numero; ita ex duodenario numero Apoſtolorum, quibus Spiritus Sanctus poſtea dedit ſortes, ſeu diviſit provincias, ut hîc dicit Sanctus Hieronymus, excluditur Sanctus Paulus; nam Apoſtoli, quibus diviſæ ſunt ſortes, fuerunt tantum duodecim, ut docet Sanctus Leo Magnus Sermone 1. de Sanctis Petro, & Paulo, dicens:

> *Cùm duodecim Apoſtoli acceptâ per Spiritum omnium locutione linguarum imbuendum Euangelio Mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, &c.*

Et Sanctus Paulus fuit tertiuſdecimus Apoſtolus, ut ait Sanctus Auguſtinus, & non ex illis duodecim, de quibus loquitur Sanctus Leo, neque ex illis, qui poſt acceptum die Pentecoſtes Spiritum Sanctum, diſtribuerunt ſibi terrarum partes; datis ſortibus per Spiritum Sanctum, de quibus hîc loquitur Sanctus Hieronymus.

1273 Neque aſſeri poteſt, Sanctum Hieronymum, dum loquitur de Apoſtolis, quibus datæ ſunt ſortes Illyrici, & Hiſpaniæ, neceſſariò intellecturum Sanctum Paulum, quia ad hoc primò ſupponitur de Fide eſſe, Sanctum Paulum in Illyrico Euangelium prædicaſſe ex cap. 15. ad Romanos, nam Sanctus Hieronymus in diviſione ſortium comprehendit Apoſtolum, qui in Illyrico prædicavit, ut ex ejus loco patet: ac proinde in hâc ipſâ ſortium diviſione comprehendit Sanctum Paulum. Supponitur ſecundò, Illyricum Sancto Paulo fuiſſe ſorte datum. Supponitur

nitur tertiò, Hiſpaniam ſoli Sancto Paulo ſorte datam, conſtare ex unanimi conſenſu Sanctorum Patrum. Quæ omnia ſuas patiuntur difficultates; nec tam citò concedenda ſunt.

1274 Nam in primis videtur, non eſſe de Fide, Sanctum Paulum prædicaſſe in Illyrico; non enim cogimur illa verba Sancti Pauli ad Romanos cap. 15. verſ. 19. *Ita ut ab Jeruſalem per circuitum, uſque ad Illyricum repleverim Euangelium Chriſti*, ita intelligere, ut illud *uſque* accipiatur inclusivè (ut loquuntur Scholæ) & non excluſivè, cùm utroque modo poſſit accipi. Si accipiatur incluſivè, neceſſariò fatendum eſt, Sanctum Paulum prædicaſſe in Illyrico; ſi accipiatur excluſivè, neceſſariò negandum eſt, Sanctum Paulum prædicaſſe in Illyrico; ſed cum non ſit de Fide, quonam ex iſtis modis accipiendum ſit illud *uſque*, ſequitur, non eſſe de Fide, Sanctum Paulum prædicaſſe in Illyrico. Quo circa legendus eſt Tillemontius tomo 1. Memoriar. ad Hiſtor. Eccleſiaſt. Nota 18. ſuper Sancto Paulo.

1275 Sed licèt concedamus, Sanctum Paulum prædicaſſe in Illyrico, & demus, hoc eſſe de Fide, non dum habetur, neceſſariò intelligendum eſſe Sanctum Paulum per illa verba *alius in Illyrico*. Nam Sanctus Hieronymus loquitur de Apoſtolo, qui prædicavit in Illyrico, ut provinciâ ſibi ſorte datâ; & Sanctus Paulus non prædicavit in Illyrico, ut provinciâ ſibi ſoli ſorte datâ, ut ſecundò ſupponebatur; ſed immeritò.

1276 Deinde magnam habet difficultatem, quod tertiò ſupponitur, nempe, Hiſpaniam ſorte datam fuiſſe ſoli Sancto Paulo, & hoc conſtare ex unanimi conſenſu Sanctorum Patrum; nam unanimis conſenſus Sanctorum Patrum cognoſcitur ex illorum teſtimoniis; ſed nullum affertur teſtimonium ullius ex Sanctis Patribus, qui aſſerat,

rat, Hiſpaniam fuiſſe ſoli Sancto Paulo ſorte datam: ergo tantum abeſt, ut hoc conſtet ex unanimi conſenſu Sanctorum Patrum, ut potiùs ſuſpicandum ſit, nullum ex Sanctis Patribus hoc aſſerere. Certè Pater Salmeron, Pererius, Baronius, Sanctius, & Alphonſus de Requenâ, longam texunt ſeriem Patrum pro prædicatione Sancti Pauli in Hiſpaniâ; ſed nullum locum adducunt, ex quo conſtet, aliquem ex Sanctis Patribus affirmaſſe, Hiſpaniam ſoli Sancto Paulo ſorte datam; unde ergo habetur iſte unanimis conſenſus Sanctorum Patrum?

1277 Quid ſi dicamus, non Hiſpaniam, non Illyricum, non ullam provinciam fuiſſe ſoli Sancto Paulo ſorte datam; ſed provincias tamquam partes fuiſſe ſolis ſingulis Apoſtolis ſorte datas; Sancto autem Paulo totum Orbem fuiſſe datum; totum Orbem fuiſſe Sancti Pauli, veluti provinciam; quod ut probem, excribam locum Abulenſis, licèt longiuſculum, ex Commentariis in Prologos, in Euangelium Sancti Matthæi quæſt. 4. ubi poſtquam dixit, Orbem diviſum eſſe à duodecim Apoſtolis in duodecim provincias, ſubjungit:

> *Beato Paulo non fuit aſſignata tunc aliqua provincia: aliqui volunt, quòd hoc fuerit, quia quando Paulus converſus eſt ad Chriſtum, fuerat jam facta diviſio provinciarum per ſortes, & Apoſtoli ſinguli iverunt in ſortes ſuas.*

& infra:

> *Cauſa autem, quare Paulus non habuit aliquam determinatam provinciam fuit, quia Spiritus Sanctus prohibuit, dicens, quòd deberet Paulus ſegregari à cæteris: ut patet Act. 13. ſcilicet: Dixit Spiritus Sanctus:* Separate mihi Barnabam, & Paulum in opus, ad quos aſſumpſi eos. *Ideo cùm Paulus non acceperit aliquam provinciam ſpecialiter, accepit totum Mundum ad prædicandum: ideo vocatur ipſe Doctor Gentium, infra ad Timoth. 2. ſcilicet:*

Ego

Ego positus sum Prædicator, & Apostolus, veritatem dico in Christo, & non mentior. *Doctor Gentium in Fide, & veritate: & aliquando vocatur Magister Gentium, infra ad Timoth. scilicet*: Per Euangelium, in quo positus sum ego Prædicator, & Apostolus, & Magister Gentium. *Et ob hoc Paulus prædicabat in sortibus aliorum Apostolorum. Nam Jacobo Maiori data est Hispania, Paulus tamen dixit, se illuc iturum ad prædicandum, ad Romanos* 15. *scilicet*: Cùm in Hispaniam proficisci cæpero, spero, quòd præteriens videam vos. *Et saltem proposuit illuc ire. An verò illuc iverit, vel impeditus fuerit, eo c. dicetur. Constat tamen ad propositum nostrum, quòd non putabat sibi illicitum esse prædicare in sortibus aliorum Apostolorum. Sic etiam terra Judææ provenerat sorte Jacobo Minori, qui Frater Domini vocatur ad Galatas* 1. *& illum statuerunt Apostoli Episcopum Jerusalem: prædicabat tamen Paulus in totâ Judeâ. Sic dicitur ad Romanos* 15. Ita ut à Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Euangelium Christi. *Etiam Andreæ Achaia, in quâ prædicavit, & mortuus est: & tamen ibi prædicavit Paulus: patet ad Roman.* 15. *scilicet*: Probaverunt enim Macedonia, & Achaia collationem facere in pauperes Sanctorum. *Sic etiam Corinthii in Achaiâ erant, ut ait Hieronymus in argumento super Epistolam primam ad Corinthios, & tamen Paulus prædicavit longo tempore Corinthi, & scripsit eis duas Epistolas. Italia quoque pertinebat ad Petrum, cùm transtulerit Sedem suam in Urbem Romæ, & tamen ibi prædicabat Paulus, & erant ambo simul tempore Neronis. Et sic Paulus laboravit plusquam alii Apostoli, quia in pluribus provinciis prædicavit.*

1278 Ex quo colligitur, Sanctum Hieronymum non locutum fuiſſe de Sancto Paulo, cùm dixit *alius in Illyrico*, *alius in Hiſpaniâ*; locutus enim eſt de Apoſtolis, qui habuerunt ſortes ſpeciales, qualem non habuit Sanctus Paulus, ut teſtatur Abulenſis.

1279 Prætereo, quòd *alius* non ſignificat unicum; unde non bene infertur *alius* prædicavit in Illyrico, *alius* prædicavit in Hiſpaniâ: ergo unicus prædicavit in Hiſpaniâ; ſicut non bene infertur ex eo, quòd Sanctus Petrus occiſus eſt Romæ: ergo unicus occiſus eſt Romæ; nam etiam Sanctus Paulus occiſus eſt Romæ.

1280 Licèt igitur Sanctus Hieronymus aliis in locis dixerit, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, non per hoc tollitur, quòd cùm dixerit *alius in Hiſpaniâ*, intelligi debeat de Sancto Jacobo, cui Hiſpania fuit ſorte data, & quòd uterque Apoſtolus prædicaverit in Hiſpaniâ.

1281 Neque dici poteſt, illud *alius in Hiſpaniâ* poſſe meliùs, quàm de Sancto Jacobo, intelligi de Sancto Mathiâ, de quo non conſtat ubi prædicaverit. Non, inquam, dici poteſt, quia in primis conſtat, Sanctum Mathiam prædicaſſe in Judæâ, & in Æthiopiâ, ut cum pluribus docet Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die 24. Februarii, & Nicolaus Suarius tom. 1. Opuſculorum, Opuſculo de Apoſtolis cap. 100. vel in Colchide, ut habetur apud Tillemontium tomo 1. ubi de Sancto Mathiâ. Deinde Sanctus Mathias non fuit de illis undecim, quibus Dominus loquutus eſt poſt Reſurrectionem, & ante Aſcenſionem, dicens, *docete omnes gentes*, de quibus ſcribit Sanctus Hieronymus, ut proximè obſervavimus, quia eo tempore non dum erat Apoſtolus Sanctus Mathias.

1282 Poſtremò Sanctus Mathias non requieſcit in Hiſpaniâ, ſicut Sanctus Jacobus; Sanctus autem Hieronymus

nymus loquitur de Apostolo, qui in Hispaniâ, tamquam in Euangelii sui, atque doctrinæ provinciâ, requieſcit.

1283 Neque potest responderi (præcipuè ab asserente, Doctorem Maximum hoc loco indicare Sanctum Paulum) Sanctum Hieronymum loqui de primâ occisorum Apostolorum requie in provinciis, in quibus prædicarunt, non de eâ requie, quam per translationem Sacrorum corporum in aliis provinciis postea habuerunt. Non potest, inquam, hoc responderi præcipuè ab illo, qui hîc vult intelligi Sanctum Paulum, quia nullus Apostolorum primâ requie occisi requievit in Hispaniâ; quidquid dicat non nemo, Sanctum Jacobum occubuisse in Hispaniâ, ac proinde nequit dici, Sanctum Hieronymum hîc loqui de Sancto Paulo, qui primâ requie occisi, requievit Romæ, ubi ad Aquas Salvias capite plexus est. Deinde sic intelligens Sanctum Hieronymum, sibi contradicet, qui vult hîc innui Sanctum Paulum; nam licèt Sanctus Paulus 1. Corinth. 15. 31. dixerit: *Quotidie morior*, in sensu metaphorico; tamen in sensu literali dixit ad Hebræos cap. 9. vers. 27. *Statutum est hominibus semel mori*; unde habemus, non fuisse bis, vel ter occisum, ut primâ requie occisi requieſceret in Illyrico, & iterum requie occisi requieſceret in Hispaniâ, & tandem requie occisi requieſceret Romæ. Ergo necessariò concedi debet ab intelligente Sanctum Hieronymum *de primâ requie occisi*: Doctorem Maximum loqui de duobus Apostolis, quorum neuter sit Sanctus Paulus, qui neque in Illyrico, neque in Hispaniâ, sed Romæ occisus est.

1284 Dici etiam non potest, Sanctum Hieronymum non potuisse loqui de Sancto Jacobo requieſcente in Hispaniâ, quia tempore, quo Sanctus Doctor scripsit, non dum fuerat translatum in Hispaniam corpus Sancti

Jacobi. Non, inquam, dici poteſt, quia eo tempore jam nota erat ejuſmodi translatio; quod ſic oſtendo.

1285 Feſtum Sancti Jacobi, quod celebratur octavo Kalendas Auguſti, ſeu die vigeſimâ quintâ Julii, eſt feſtum illius translationis, ut conſtat ex Martyrologio Romano, ubi eo die legitur:

*Sancti Jacobi Apoſtoli, Fratris Beati Joannis Euangeliſtæ, qui prope feſtum Paſchæ ab Herode Agrippâ decollatus eſt. Ejus Sacra oſſa ab Hieroſolymis ad Hiſpanias hoc die translata, & in ultimis earum finibus apud Gallæciam recondita, celeberrimâ earum gentium veneratione, & frequenti Chriſtianorum concurſu Religionis, & voti cauſâ illuc adeuntium piè coluntur.*

1286 Idem docet Author Sermonis vigeſimi quinti ad Fratres in Eremo, inter opera Sancti Auguſtini in Appendice tomi 6. editionis San Maureanæ, ubi dicitur:

*Jacobus autem Zebedæi Apoſtolus apud quoſdam Vigiliam non habet, eo quòd occiſus fuerit in diebus azimorum, nec diem mortis ejus celebramus, ſed translationis.*

1287 Tempore autem Sancti Hieronymi jam celebrabatur feſtum Sancti Jacobi eo die octavo Kalendas Auguſti, ut conſtat ex celeberrimo opere inſcripto *Comes Sancti Hieronymi*, quod edidit Franciſcus Maria Florentinius libro mox citando pag. 1049. in quo legitur:

*VIII. Kalend. Sextilis Jacobi Apoſtoli.*

Conſtat etiam ex Martyrologio, quod Sancto Hieronymo tribuunt Caſſiodorus, Beda, Walfridus, Notkerus, aliique Scriptores, quod edidit idem Franciſcus Maria Florentinius, Lucæ ex Typographiâ Hyecynthi Pacii anno 1668. in fol. paginis 1072.

1288 Ergo tempore Sancti Hieronymi jam nota erat translatio Sancti Jacobi ad Compoſtellam: quod ulteriùs probatur; nam in antiquo Calendario Sanctæ Romanæ

manæ Ecclesiæ, novissimè edito ab Edmundo Martene tomo 5. Thesauri Anecdotorum à columnâ 63. habetur mense Julio:

> *In Festo Sancti Jacobi die* 25. *legi jubetur Euangelium Sancti Matthæi capite* 130. (*juxta antiquam divisionem capitulorum*) *Nihil opertum, quod non revelabitur.*

1289 Quanta sit antiquitas hujus Calendarii, docet Edmundus Martene in Admonitione ad illud, dicens:

> *Quod hic damus Calendarium Romanum hanc præ omnibus prærogativam habet, ut si fortè Rucherianum, quod mediante quarto sæculo in usu fuit, excipias, omnibus antiquitate præstet utpote, quod sæculo quarto conditum existimemus, aut saltem initio sæculi quinti.*

1290 Sæculo autem quarto, & initio quinti, quo legebatur in Calendario Romano festum Sancti Jacobi die 25. Julii, qui est dicatus ejus translationi ad Compostellam, vivebat Sanctus Hieronymus, qui evolavit ad Superos anno 420. vel 422. ut videre est apud Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Reverendissimum Paulum à Sancto Nicolao, diligentissimum Chronologum Generalem Monastici Ordinis Sancti Hieronymi, in Sæculis Hieronymianis Hispanicè conscriptis, parte 3. anno 91. cap. 56. pag. 367. col. 2. Unde sequitur, jam potuisse loqui de Sancto Jacobo quiescente in Hispaniâ, ac proinde de illo loquutum fuisse, cùm dixit *alius ad Hispanias*... & *unusquisque in Euangelii sui, atque doctrinæ provinciâ requiesceret.* Et per consequens etiam sequitur, Sanctum Hieronymum docuisse, Hispaniam fuisse eam provinciam, quæ Sancto Jacobo Zebedæo sorte data est ad docendam, imbuendamque Euangelio. Quod evidentiùs ostenditur, si attendatur ad translationem, de quâ loquitur Vita Sancti Heliodori, facta tempore Theodosii, quæ certè non potuit fieri, nisi ante annum 395. quo obiit Imperator Theodo-

Theodoſius I. ut ſupra diximus. Sanctus autem Hieronymus ſcripſit Commentarios in Iſaiam anno 409. ut docet Dupin tom. 3. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ paginâ 130. nam illa translatio, quæcumque illa fuerit, facta eſt in Occidentem ab Epiſcopis de Galliæ Confinibus, quos proclivè eſt intelligi, fuiſſe Hiſpanos, cùm Hiſpania, ut omnes norunt, ſit undequaque Galliæ contermina, exceptis partibus, quæ mari alluuntur.

1291 Quartus locus Sancti Hieronymi, ex quo probatur expeditio Hiſpanica S. Jacobi, eſt ex Commentario ejuſdem in Iſaiæ cap. 42. ad verſ. 10. ubi Propheta ait:

> *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ, qui deſcenditis in mare.*

Subjungit enim Sanctus Hieronymus:

> *In omnem terram exiit Apoſtolorum ſonus, & in terminos Orbis terræ verba eorum. Sive juxta LXX. Glorificate nomen ejus in terminis terræ, ut in univerſo Mundo Chriſti nomen annuncietur in Gentibus. Qui ſint autem iſti, qui canere debeant canticum novum, ſequentia verba teſtantur: Qui deſcenditis, inquit, in mare, & navigatis illud, ſive plenitudo maris. Apoſtolos enim videns Jeſus in littore juxta mare Genezareth reficientes retia ſua, vocavit, & miſit in magnum mare, ut de piſcatoribus piſcium faceret hominum piſcatores, qui de Hieruſalem uſque ad Illyricum, & Hiſpanias Euangelium prædicarunt, capientes in brevi tempore ipſam quoque Romanæ Urbis potentiam.*

1292 Ut incipiam exponere iſtum Sancti Hieronymi locum de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, obſervare in primis libet, Doctorem Maximum initio illius alludere ad verſum 5. Pſalmi 18. quo David ait:

> *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

Quæ

Quæ extrema verba explicans Lorinus, ait:

> *Nec verò desunt, qui Jacobum fratrem Joannis re ipsâ, quòd hoc loco prædicitur, impleviſſe asſerant, cùm in Hiſpaniæ pervenit provinciam Galliciam, ubi loco nomen inditum FINES TERRÆ.*

1293 Et meritò, Sanctus enim Jacobus prædicans in Hiſpaniâ, ultimâ terrarum, glorificavit nomen Domini in terminis terræ. Sanctus Jacobus, qui utpote piſcator, deſcendit in mare, & laudavit Dominum in extremis terræ, hoc eſt, in Hiſpaniâ, canens in eâ canticum novum, hoc eſt, prædicans Novum Teſtamentum, ſive doctrinam Euangelicam, ut explicat S. Irenæus lib.4. cap.21.

1294 Deinde loquitur Doctor Maximus de omnibus quatuor Apoſtolis, primò vocatis juxta mare Galilææ, qui fuerunt Petrus, & Andreas, Jacobus, & Joannes. Ut innueret Jacobum, & Joannem, meminit eorum, quos Dominus vocavit reficientes retia ſua; dicit enim Sanctus Matthæus cap.4. verſ.21.

> *Et procedens inde vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua.*

Ut verò innueret Petrum, & Andream, meminit eorum, quos Dominus de piſcatoribus piſcium fecit piſcatores hominum; dicit enim Sanctus Matthæus eodem capite verſ.18.

> *Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.*

1295 Poſtremò aſſignat Divus Hieronymus aliquot loca, in quibus unuſquiſque horum quatuor Apoſtolorum Euangelium prædicavit. Nam memorat Hieruſalem, in quâ omnes hi Apoſtoli prædicarunt, antequam

profi-

proficiſcerentur in provincias. Memorat *Illyricum*, in quo, tamquam in provinciâ ſibi ſorte datâ, prædicavit Sanctus Andreas, veniens de Hieruſalem in Illyricum. Memorat Hiſpanias, in quibus, tamquam in provinciâ ſibi ſorte datâ, prædicavit Jacobus. Memorat Romam, in quâ prædicavit, tamquam in capite provinciæ ſuæ, & in quâ fixit Sedem ſuam Sanctus Petrus; & in quâ Sanctus Joannes propter Euangelium, per martyrium bibit calicem ſuum, ut mereretur ſedere in Cathedrâ prope Chriſtum; nam ut ait idem Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum de eodem Sancto Joanne loquens:

*Refert Tertullianus, quòd Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior, & vegetior exiverit, quàm intravit.*

1296 Sed dato, & non conceſſo, Sanctum Hieronymum intellexiſſe hoc loco Sanctum Paulum, prædicantem de Hieruſalem uſque ad Illyricum, nunquam dicendum eſſet, intellexiſſe etiam Sanctum Paulum de Hieruſalem uſque ad Hiſpanias prædicantem. Nam loquitur Sanctus Doctor de pluribus, non de uno; dicit enim *prædicarunt* in numero plurali, non verò prædicavit in numero ſingulari. Ergo licèt loquatur de uno Apoſtolo, eoque Sancto Paulo, qui prædicaverit in Illyrico, neceſſe eſt, ut loquatur de alio Apoſtolo, qui prædicaverit in Hiſpaniâ; ad hoc, ut verum ſit illud, quod dicit in numero plurali *prædicarunt*. Cùm igitur Sanctus Jacobus fuerit unus ex reficientibus retia, de quibus illic loquitur Sanctus Hieronymus, dicendum eſt, ipſum eſſe illum, qui prædicavit de Hieruſalem uſque in Hiſpanias.

1297 Præſertim cùm in citatâ Epiſtolâ ad Antonium dixerit Sanctus Hieronymus, nominato Sancto Jacobo:

*Contra Sophiſtas quoque ſæculi, & Sapientes Mundi, Petrus, & Jacobus piſcatores mittuntur.*

Ex

1298 Ex his constat authoritate Doctoris Maximi, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ ; & constat etiam, non debere assignari Sancto Joanni partem de Jerusalem , usque ad Illyricum , cùm Illyricum spectet ad Sanctum Andream , unum ex iis , quos Dominus ex piscatoribus piscium fecit piscatores hominum, & qui exiens de Hierusalem , prædicavit in Illyrico , ut jam diximus, & fusè , doctèque probavit Pater D. Hieronymus Contador de Argote , in suâ nunquam satis laudatâ Dissertatione de Adventu Sancti Jacobi in Hispaniam.

## §. III.

## *Testimonia Sancti Hieronymi producta contra expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi , ipsi expeditioni favent.*

1299 HUc reservavi demonstrare, Sanctum Hieronymum non adversari sententiæ asserenti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi , ut spopondi Assertione 13. numero 336. quod palàm faciam , observando loca Sancti Doctoris , quæ videntur illi expeditioni repugnare , animadvertendoque , ex ipsis non tantum non oppugnari , sed ulteriùs magis confirmari eandem expeditionem.

1300 Tria sunt Sancti Hieronymi testimonia , ex quibus primâ facie inspectis , videri potest , Sanctum Doctorem expeditioni Hispanicæ S. Jacobi repugnare , quæ tamen , si attentiùs , & diligentiùs introspiciantur , illam non solùm non negant , sed ipsam potiùs confirmant.

1301 Primus locus est ex Epistolâ ad Marcellam , quæ incipit : *Magnis nos provocas quæstionibus* , & habetur tom. 3. pag. 139. ubi de Christo loquens , ait :

*In omnibus locis verſabatur, cum Thomâ in Indiâ: cum Petro Romæ: cum Paulo in Illyrico: cum Tito in Cretâ: cum Andreâ in Achaiâ: cum ſingulis Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris in ſingulis, cunctiſque Regionibus.*

1302 Ex quo ſic poteſt argui: Sanctus Hieronymus hoc loco tribuit Achaiam Sancto Andreæ, & Illyricum Sancto Paulo: ergo etiam in caput 34. Iſaiæ, cùm dixit *alius ad Illyricum*, & in caput 42. ejuſdem Iſaiæ, cùm dixit *qui de Jeruſalem uſque ad Illyricum, & Hiſpanias Euangelium prædicarunt*, per prædicationem Illyrici intellexit Sanctum Paulum, non verò Sanctum Andream, ut nos diximus.

1303 Sed huic argumento facilis eſt reſponſio; nam Sanctus Hieronymus in illud caput 34. Iſaiæ, loquitur de undecim Apoſtolis, ſuper quos deſcendit Spiritus Sanctus, ex quibus non erat Sanctus Paulus. Loquitur de Apoſtolis, quibus in diviſione Mundi datæ ſunt ſorte ſingulæ provinciæ, ex quibus non erat Sanctus Paulus: ergo locutus de Sancto Andreâ, non autem de Sancto Paulo. In Epiſtolâ autem ad Marcellam non loquitur de provinciis ſorte datis Apoſtolis, ſed de locis, in quibus Chriſtus virtute ſuâ verſabatur cum Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris, ex quibus nominavit aliquot loca, in quibus illi Domino ſervierunt, quilibet ſine excluſione alterius, nam loquitur de Tito, qui non erat Apoſtolus, ſed diſcipulus Apoſtoli Sancti Pauli; loquitur de Tito, cui nulla aſſignata erat provincia; loquitur de Cretâ, quæ tempore ſuo etiam ſpectabat ad Illyricum, ut docet Contzen in Epiſt. ad Roman. cap. 15. verſ. 19. Loquitur de Cretâ, in quâ etiam prædicaverat Sanctus Paulus, & nihilominus dicit, quòd Dominus verſabatur *cum Tito in Cretâ.* Loquitur de Româ, in quâ etiam prædicavit Sanctus Paulus, & tamen dicit, quòd Chriſtus verſabatur *cum Petro Romæ.* Quidni

loquutus

loquutus fuerit de Illyrico, in quo prædicavit etiam Sanctus Andreas? Et sicuti poterat dicere, quòd Dominus versabatur cum Paulo Ephesi, quin denegaret Ephesum Sancto Joanni, quia Sanctus Paulus prædicavit Ephesi; sic dixit, quòd Dominus versabatur cum Paulo in Illyrico, quin Illyricum denegaret Sancto Andreæ, cui fuit sorte datum. Ita potuit dicere, quòd Dominus versabatur cum Paulo in Achaiâ, quia etiam Sanctus Paulus prædicavit in Achaiâ, & cum Andreâ in Illyrico, quin Sancto Ardreæ eriperet Achaiam.

1304 Ratio autem, propter quam Sanctus Hieronymus dixerit, Christum versatum fuisse cum Thomâ in Indiâ, cum Petro Romæ, cum Tito in Cretâ, cum Andreâ in Achaiâ; ea esse potest, quia Sanctus Thomas mortuus est in Indiâ, Sanctus Petrus Romæ, Sanctus Titus in Cretâ, Sanctus Andreas in Achaiâ; cur autem dixerit, Christum versatum fuisse cum Paulo in Illyrico, mihi planè incognitum est, cùm ignoretur, quid Sanctus Paulus egerit, vel passus sit in Illyrico.

1305 Sed ex hâc ignoratione rerum Sancti Pauli in Illyrico gestarum, nova elicitur ratio, quâ ex Sancto Paulo confirmatur expeditio Hispanica Sancti Jacobi; nam si Sanctus Hieronymus dicit, Christum versatum fuisse cum Sancto Paulo in Illyrico, etiamsi omninò nesciatur, quid Sanctus Paulus fecerit in Illyrico. Quidni dicere potuerit, Sanctum Jacobum missum fuisse ad Hispanias, licèt ignoraretur, quid fecerit in Hispaniis hic Sanctissimus Apostolus?

1306 Secundus locus Divi Hieronymi, quo videtur oppugnari posse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, est ex Commentario in cap. 43. Ezechielis, ubi exponens vers. 22. juxta versionem Septuaginta Interpretum, quo dicitur:

*Et die ſecundâ tollent hædos duos de capris immaculatos.*

& juxta Hebræos:

*Et die ſecundâ offeres hircum càprarum immaculatum.*

ſubjungit:

*Audax quidem eſt, quod dicturi ſumus; ſed tamen aliorum ſimpliciter ponenda ſententia eſt: qui aiunt, duos hædos immaculatos poſt Paſſionem Domini oblatos eſſe ad altare Domini Jacobum, & Stephanum, quorum alter de Apoſtolorum numero: alter de ſeptem electis in miniſterium Domini princeps fuit. Iſte eſt Jacobus, qui transformatum Salvatorem vidit in Monte: qui reſurgentem Filiam Archiſynagogi, cum Domino, Petroque, & Joanne intuitus eſt: qui in Catalogo Apoſtolorum, in quo bina junguntur nomina, prior frater ponitur. Hunc interfecit Herodes, & quaſi hædum immaculatum poſt Paſſionem Salvatoris, in die immolavit ſecundâ.*

& infra:

*Jacobus autem, & Stephanus, qui ſecundâ die oblati ſunt, ſive hircus, qui juxta Hebraicum narratur oblatus, offertur quidem in victimâ, ſed holocauſtum præſentiæ Domini reſervatur*

1307 Ex quibus verbis ſic arguitur contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Sanctus Hieronymus conjungit martyrium Sancti Jacobi cum martyrio Sancti Stephani; & utrumque ita collocat poſt Paſſionem Domini, ac ſi accidiſſet eodem tempore; ſed martyrium Sancti Stephani contigit anno ſequenti poſt Paſſionem Chriſti: ergo & martyrium Sancti Jacobi: ergo juxta mentem Sancti Hieronymi, Sanctus Jacobus tempus non habuit proficiſcendi in Hiſpaniam, & redeundi in Hieruſalem: ergo non poteſt dici, Sanctum Hieronymum in eâ fuiſſe ſententiâ, ut crederet, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ.

Et

1308 Et confirmatur, quia Chronicon Eusebii ex Græco in Latinum translatum à Sancto Hieronymo ad annum Domini trigesimum sextum, tempore Tiberii Cæsaris, ait:

> *Jacobus frater Joannis Apostoli, jubente Herode Rege, capite truncatus, occiditur. Petrus Apostolus ab Herode in carcerem trusus, & vinctus catenis duabus.*

1309 Respondetur tamen primò, ex illo loco Sancti Hieronymi non posse inferri, Sanctum Jacobum occisum fuisse eodem tempore, quo Sanctus Stephanus, licèt simul referatur utriusque martyrium; nam eodem loco ponit Doctor Maximus Sanctum Jacobum ante Sanctum Stephanum, & tamen certum est, Sancti Stephani martyrium fuisse anterius martyrio Sancti Jacobi; nam Sanctus Stephanus occisus fuit ante Conversionem Sancti Pauli; Sanctus verò Jacobus fuit gladio cæsus multò post Conversionem Sancti Pauli, ut constat ex Sacrâ paginâ, collactis Actibus Apostolorum, & Epistolis Sancti Pauli.

1310 Respondetur secundò, Sanctum Hieronymum hîc non fuisse locutum ex sententiâ suâ, sed ex aliorum sententiâ, quam ipse non approbat, ait enim:

> *Audax quidem est, quod dicturi sumus: sed tamen aliorum simpliciter ponenda sententia est.*

Neque enim approbaret, quod dixerat audax esse. Unde sibi non contradicit Divus Hieronymus, licèt referat sententiam Divo Hieronymo contrariam; imò confirmat suam sententiam, dum contrariam vocat audacem.

1311 Hîc obiter notandum est, decipi Cardinalem Baronium ad annum Christi 44. n. 2. (qui in rebus Sancti Jacobi Maioris non semel deceptus est) dum asserit, Sanctum Hieronymum dixisse, Sanctum Jacobum immolatum fuisse secundo die Paschatis; nam hoc neque ex sententiâ suâ, neque ex aliorum relatione recitat Sanctus Hieronymus;

ronymus; ſed ſcripſit illud *in die immolavit ſecundâ*, ut oſtenderet alluſionem ad textum, quem explicabat Ezechielis cap. 43. verſ. 22. ubi dicitur in Hebræo *& die ſecundâ offeres hircum*, & in Septuaginta *& die ſecundâ tollent hædos duos.* Sicuti enim non dixit hiſtoricè, Sanctum Stephanum fuiſſe lapidatum die ſecundâ Paſchatis, licèt ſignaretur in primo ex illis duobus hædis; ita neque dixit hiſtoricè, Sanctum Jacobum, qui deſignabatur in ſecundo hædo; immolatum fuiſſe die ſecundâ Paſchatis, ſed ut ſe accommodaret textui, quem explicabat; quod frequenter facere ſolet Sanctus Hieronymus in Prophetarum Commentariis, ut eos legenti patebit, ex pluribus exemplis, quorum ego unum tantum proferam, non ſolùm in confirmationem eorum, quæ dixi, ſed ut oſtendam, etiam hîc geſta Sancti Jacobi confirmari geſtis Sancti Pauli, quod hâc Diſſertatione ſuſcepi probandum.

1312 Igitur Sanctus Hieronymus, explicans caput 11. Iſaiæ, & deveniens ad verſum 14. quo in Hebræo legitur: *Volabunt in humero Philiſtim per mare*: adducit lectionem **LXX.** qui aiunt hoc verſu: *Volabunt in navibus alienigenarum, mare ſimul prædabuntur*, ſubjungit:

> *Quod de unius Pauli Apoſtoli exemplo intelligamus, qui per Pamphiliam, & Aſiam, & Macedoniam, & Achaiam, & diverſas Inſulas, atque provincias, ad Italiam quoque, & (ut ipſe ſcribit) ad Hiſpanias, alienigenarum portatus eſt navibus.*

Cùm tamen Divus Paulus nullibi ſcribat, ſe ad Hiſpanias alienigenarum portatum fuiſſe navibus; imò ex Martyrologio Romano inferatur, ipſum perrexiſſe in Hiſpaniam non portatum navibus, ſed terreſtri itinere, dicitur enim die 22. Martii:

> *Narbone in Galliâ Sancti Pauli Epiſcopi Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem,*

*sulem, qui à Sancto Paulo Apostolo baptizatus, & cùm in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus.*

Sanctus tamen Hieronymus, ut more suo se accommodaret textui LXX. de suo adjecit *& ut ipse scribit ad Hispanias, alienigenarum portatus est navibus.* LXX. enim dicunt: *Volabunt in navibus alienigenarum.* Ergo similiter explicans cap. 43. Ezechielis dixit, Sanctum Jacobum immolatum fuisse secundâ die, non ut innueret, eum fuisse occisum secundâ die Paschatis; sed ut more suo se accommodaret textui dicenti, *die secundâ tollent hædos duos*, ut habent LXX. vel *die secundâ offeres hircum*, ut habet textus Hebræus apud Sanctum Hieronymum.

1313 Ulteriùs ex hoc loco Sancti Hieronymi in cap. 11. Isaiæ constat, Sanctum Hieronymum nunquam voluisse assignare Sancto Paulo Hispaniam, ut propriam suæ prædicationis provinciam; ait enim, eum peragrasse Pamphiliam, & Asiam, Macedoniam, & Achaiam, & diversas Insulas, atque provincias, & Italiam quoque; cùm tamen Achaia fuerit provincia Sancti Andreæ, & Italia provincia Sancti Petri, ut supra observatum est cum Abulensi.

1314 Imò ex hoc loco ex capite 11. Isaiæ etiam suaderi potest expeditio Hispanica Sancti Jacobi, nam illud explicans Sanctus Hieronymus; ait:

*Tradunt Ecclesiasticæ Historiæ, quòd Apostoli toto Orbe dispersi Euangelium prædicarint; ita ut quidem Persas, Indosque penetrarent, & Æthiopia daret manus suas Deo, & trans flumina Æthiopiâ, inde Christo munera deferrentur. Ac ne solos populos Orientales significare videatur, jungit, & reliqua. Insulas autem maris Occidentalem plagam significat, quæ Oceani ambitu clauditur.*

Occidentalis autem plaga, quæ Oceani ambitu clauditur, est Hispania, de quâ Plinius lib. 37. cap. 13. dicit ambiri mari:

mari : imò noſtra Luſitania, quæ ſolo Oceano clauditur, non verò mari Mediterraneo.

1315 Deinde LXX. hoc loco dicunt, *volabunt in navibus alienigenarum, mare ſimul prædabuntur.* Quæ Sanctus Hieronymus intelligit de profectione in Hiſpaniam ; & licèt utatur exemplo unius Sancti Pauli, non excludit alterius expeditionem ; imò neque poteſt excludere, cùm textus dicat, non de uno, numero ſingulari *volabit*, ſed de pluribus, numero plurali *volabunt*, & addit : *& mare ſimul prædabuntur*, etiam in numero plurali ; unde ſi Sanctus Paulus mare, hoc eſt, Occidentalem plagam, quæ Oceani ambitu clauditur, hoc eſt, Hiſpaniam, quæ mari ambitur, prædatus eſt ; aſſignandus eſt alius Apoſtolus, qui ſimul cum Sancto Paulo prædatus fuerit mare, hoc eſt, Hiſpaniam converterit, ut impleretur illud Prophetæ plurale *mare ſimul prædabuntur.* Qui cùm non poſſit eſſe alius, niſi Sanctus Jacobus, aſſerendum eſt, illius Hiſpanicam expeditionem hoc loco ab Iſaiâ prædici ; præſertim cùm dicat *volabunt*, quo exprimitur præpropera Sancti Jacobi celeritas, quâ volavit in Hiſpaniam ; nam & ipſe, ſicut Sanctus Paulus, ibat, & revertebatur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Unde ſicut Sanctus Paulus, ut impleret illam Iſaiæ Prophetiam de pluribus loquentem, opus habuit alio Apoſtolo, ut ambo mare, hoc eſt, Hiſpaniam, quæ clauditur Oceano, ſimul prædarentur. Sic Sanctus Jacobus, ab eandem rationem, ut illam Prophetiam de pluribus loquentem impleret, opus habuit alio Apoſtolo, ut ambo mare, hoc eſt, Hiſpaniam, quæ Oceano clauditur, ſimul prædarentur, hoc eſt, Hiſpaniam converterent ; hic autem Apoſtolus Sancti Jacobi ſucceſſor fuit Sanctus Paulus, ut etiam ex hoc conſtet, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi confirmari expeditione Hiſpanicâ Sancti Pauli.

Reſpon-

1316 Respondetur tertiò, verba Sancti Hieronymi, seu potiùs aliorum, relata à Sancto Hieronymo, non ita nectere martyrium Sancti Jacobi martyrio Sancti Stephani, ut diceret, utrumque fuisse eodem tempore, licèt utriusque obitus fuerit post Passionem Christi; hoc enim dici potuit, licèt inter unum, & alterum martyrium plures intercessissent anni; dummodo inter martyrium Sancti Stephani, & martyrium Sancti Jacobi non fuerit interjectum aliud martyrium; semper enim poterat dici Jacobus moriens, proximus Stephano morienti, ut olim currenti Niso proximus ibat Salius, de quibus Virgilius:

*Proximus huic, longo, sed proximus intervallo*
*Insequitur Salius* ——

Unde inter mortem Sancti Stephani, & mortem Sancti Jacobi potuit interlabi tempus sufficiens Sancto Jacobo ad veniendum in Hispaniam, & redeundum in Hierusalem, quod certè interlapsum est. Unde quæ dicuntur super illud caput Ezechielis, non repugnant iis, quæ dicuntur super capita Isaiæ.

1317 Ad confirmationem ex Chronico Eusebii, quod Divus Hieronymus transtulit, dicendum est, esse mendosum illud Chronicon, sive id evenerit ex lapsu Authoris, sive ex oscitantiâ librariorum, sive in originali Græco describendo ante translationem S. Hieronymi, sive in describendâ versione Sancti Hieronymi post ipsius mortem. Illic enim plures deprehenduntur errores, indigni Sancto Hieronymo, quos tamen posteriores aliquot Authores in sua scripta derivarunt, ut est, Sanctum Jacobum occisum fuisse ab Herode Rege; cùm occisus fuerit ab Herode Agrippâ. Sanctum Petrum conjectum fuisse in vincula ab ipso Herode, anno Domini 36. Sanctum Petrum sedisse Antiochiæ viginti quinque annis, omnia hæc imperante Tiberio; cùm tamen Eusebius in

Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ lib. 2. cap. 8. diſertè pronunciet, Sanctum Jacobum occiſum fuiſſe tempore, quo Sanctus Paulus duxit Fidelium Antiochenorum ſubſidium in Hieruſalem, hoc eſt, tempore famis, quæ Orbem terrarum oppreſit, imperante Claudio; ait enim:

> *Eodem tempore, Claudio videlicet, jam ſummam rerum adminiſtrante, miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.*

Ex quibus manifeſtè colligitur error, qui irrepſit in Chronicon Euſebii, dum aſſignat necem Sancti Jacobi tempori Tiberii; cùm in Hiſtoriâ expreſsè affirmet, occiſum fuiſſe imperante Claudio.

1318 Tertius locus Sancti Hieronymi, quo videtur oppugnari poſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, eſt ex Commentario in Jeremiæ cap. 26. ubi ait:

> *In Actibus Apoſtolorum legimus, Jacobum Apoſtolum ſtatim Herodis pertuliſſe ſententiam, & martyrio coronatum; Beatum autem Petrum, & cæteros Apoſtolos doctrinæ Domini reſervatos.*

Ex quo loco ſic arguitur: Sanctus Hieronymus in Commentario Jeremiæ ait: Sanctus Jacobus ſtatim Herodis pertulit ſententiam, & non fuit reſervatus doctrinæ Domini, ſicut Sanctus Petrus, & cæteri Apoſtoli: ergo Sanctus Hieronymus non poteſt docuiſſe in Commentariis Iſaiæ, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ.

1319 Hoc argumentum mihi propoſuit Vir Doctiſſimus, mihique amicitiæ neceſſitudine, & literarum conſuetudine conjunctus, Reverendiſſimus, inquam, Pater Fr. Franciſcus à Sanctâ Mariâ, Eremita Auguſtinianus, Sacræ Theologiæ Magiſter, qui ſæpe è ſuperiori loco laudavit expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi, utpote qui eſt totius antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus, ut præteream Romani

mani sermonis, Latinæque Poeseos elegantiam, & ubertatem, quâ mirificè præstat. Cui grates rependi pro hoc Divi Hieronymi testimonio, eique statim respondi, illud nimis probare, & per consequens nihil, juxta Logicorum doctrinam; si quid enim probat, sunt tria asserta, omnino falsa; primum est, Sanctum Jacobum nunquam prædicasse ante suum martyrium. Secundum est, cæteros Apostolos non prædicavisse ante martyrium Sancti Jacobi. Tertium, cæteros Apostolos nunquam passos fuisse martyrium. Quæ omnia falsa sunt; nam certum est, Sanctum Jacobum prædicavisse ante martyrium suum. Certum est, cæteros Apostolos prædicavisse ante martyrium Sancti Jacobi; & certum denique est, Sanctum Petrum, aliosque Apostolos passos fuisse martyrium. Unde nullum ex illis tribus assertis sustineri potest, cùm omnia sint apertè falsissima; & tamen omnia sequuntur ex verbis Sancti Hieronymi, si accipiantur in sensu repugnante expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, quam tacet Doctor Maximus; nam æque tacet, Sanctum Jacobum prædicavisse ante martyrium suum; æque tacet, cæteros Apostolos prædicavisse ante martyrium Sancti Jacobi; & tandem æque tacet, Sanctum Petrum, & alios Apostolos passos fuisse martyrium, cùm expressè doceat, Sanctum Jacobum martyrio fuisse coronatum.

1320 Postea cognovi, istud argumentum ab aliis pluris fieri, quàm meretur, adeo ut non defuerit, qui non dubitaverit asserere, prædicationem Sancti Jacobi in Hispaniâ expressè à Sancto Hieronymo fuisse negatam. Unde judicavi operæ prætium me facturum, si illud pleniùs refellerem; licèt illud hucusque contempserint quicumque (quos viderim) nostram sententiam oppugnavere; nemo enim horum illo usus est, licèt nemo fuerit, qui non viderit hunc locum Divi Hieronymi, citatum à Lorino

in cap. 12. Actuum Apoſtolorum verſ. 2. §. *Hieronymus miratur.*

1321 Et certè Lorinus apertè oſtendit, ſibi perſuaſum fuiſſe ex hoc loco Sancti Hieronymi, nihil evinci contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; nam eodem loco eam adſtruit, & teſtatur multorum teſtimonio, ac Traditione confirmari, & ſuâ ætate extare monumentum, Virgini Matri conſtructum Cæſarauguſtæ, Virginis ejuſdem monitu ad Jacobum, Jacobi juſſu Templum. Quæ certè non dixiſſet Lorinus, ſi crederet teſtimonium Sancti Hieronymi, quod ibidem referebat, quidpiam officere poſſe illi Sancti Jacobi expeditioni.

1322 Ego autem, ut illud argumentum refellam, in primis confirmo, quæ prius aſſerui; & aſſero primò, non poſſe dici, Sanctum Jacobum nunquam prædicaſſe, quia implicat in terminis (ut loquuntur Scholæ) fuiſſe Apoſtolum, & nunquam prædicaſſe. Fuiſſe Apoſtolum, dicit hoc loco Sanctus Hieronymus:

*Legimus Jacobum Apoſtolum.*

Apoſtoli autem proprium eſt prædicare Euangelium. Unde Sanctus Paulus, cùm primùm ſe dixit Apoſtolum, dixit ſe ſegregatum in Euangelium, ut habetur Roman. 11.

*Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei.*

In quem locum Eſtius ait:

*Soli illi dicuntur Apoſtoli, qui tamquam Legati miſſi ſunt à Chriſto Domino ad prædicandum Euangelium, acceptâ ab eo omni poteſtate, quæ ad fundandas, & regendas Eccleſias pertineret.*

Ergo Sanctus Jacobus, cùm fuerit Apoſtolus, prædicavit; cujus oppoſitum probat illud argumentum, quod proinde, cùm nimis probet, nihil probat.

1323 Aſſero ſecundò, non poſſe dici, cæteros Apoſtolos

tolos non prædicaviſſe ante martyrium Sancti Jacobi, quod contigit anno 44. Æræ vulgaris, nam præterquamquod abſonum eſſet dicere, illas Euangelicas Tubas tot annos ſiluiſſe, quot effluxerunt à morte Chriſti, uſque ad mortem Sancti Jacobi, conſtat ex Actibus Apoſtolorum, eos prædicaviſſe à deſcenſu Spiritûs Sancti, multaque propter Euangelii prædicationem, ante paſſos à Judæis, quàm Sanctus Jacobus occideretur.

1324 Imò juxta doctrinam Sancti Hieronymi, nihil obſtitit Apoſtolis, quominus poſt Reſurrectionem Chriſti prædicarent ſtatim Gentilibus: ergo dicendum eſt, illos tam Judæis, quàm Gentilibus prædicaviſſe ante martyrium Sancti Jacobi, quo advoco ea, quæ Sanctus Hieronymus ſcripſit ad illa verba Chriſti apud Sanctum Matthæum capite 10. verſ. 5. *In viam Gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis*, quæ explicans Sanctus Hieronymus, ait:

> *Non eſt contrarius locus iſte ei præcepto, quod poſtea dicitur*: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; *quia hoc ante Reſurrectionem, illud poſt Reſurrectionem præceptum eſt. Et oportebat primùm adventum Chriſti nunciare Judæis: ne juſtam haberent excuſationem, dicentes ideo ſe Dominum rejeciſſe: quia ad Gentes, & Samaritanos Apoſtolos miſerit.*

Ergo juxta Sanctum Hieronymum, Apoſtoli ſtatim poſt Reſurrectionem potuerunt prædicare non ſolis Judæis, ſed etiam Samaritanis, & Gentilibus; & prædicaverunt; tantum abeſt, ut omninò non prædicaverint ante martyrium Sancti Jacobi, quod diximus inferri ex illo loco Sancti Hieronymi in caput 26. Jeremiæ ita intellecto, ut excludat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quam tacet; nam æque tacet, cæteros Apoſtolos prædicaviſſe

ante

ante martyrium Sancti Jacobi. Cùm autem ea verba intellecta in ſenſu excludente expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, etiam probent, cæteros Apoſtolos non prædicaviſſe ante martyrium Sancti Jacobi, nimis probant, ac proinde nihil probant.

1325 Antequam diſcedam ex hoc loco Sancti Hieronymi in Commentario in Euangelium Sancti Matthæi, quo Doctor Maximus aſſerit, præceptum non prædicandi Gentilibus ſolùm duraviſſe uſque ad Reſurrectionem, & præceptum prædicandi Gentilibus incepiſſe à Reſurrectione, obſervandum duco, optimè probari, eſſe meram fabulam illam Traditionem Apollonio tributam, de non prædicando Euangelio Gentilibus, niſi poſt exactos duodecim annos, quibus prædicatum fuerat Judæis. Si enim extitiſſet tale præceptum poſt Reſurrectionem, non dixiſſet Sanctus Hieronymus ea, quæ hoc loco dicit.

1326 Aſſero tertiò, non poſſe dici, Sanctum Petrum, & alios Apoſtolos non fuiſſe martyrio coronatos, licèt Sanctus Hieronymus reticeat eorum martyria, quia in Breviario Romano (cujus Hiſtoriæ ſunt probatiſſimæ, ſummâque fide dignæ inter ea, quæ non cogimur credere fide Divinâ) leguntur pleraque eorum martyria; verba autem Sancti Hieronymi in caput 26. Jeremiæ, intellecta in ſenſu excludente expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quam ſilet Doctor Maximus, etiam probant, cæteros Apoſtolos non fuiſſe martyrio coronatos, quia id æque ſilet Sanctus Hieronymus: ergo illa verba Sancti Doctoris nimis probant, ac proinde nihil probant contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

1327 Poſtquam autem oſtendi, iſtum locum Sancti Hieronymi nimis probare, ac proinde nihil probare, pergo ad oſtendendum, ipſum locum, etiamſi non probaret nimis, nihil tamen officere potuiſſe expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi. Obſer-

1328 Observandum in primis est, Sanctum Hieronymum loco illo non componere Sanctum Jacobum ut non prædicantem cum Prophetâ Uriâ ut non prædicante; sed Sanctum Jacobum breviori tempore prædicantem cum Uriâ, breviori tempore prædicante Sanctum Jacobum Apostolum præpropere occisum cum Prophetâ Uriâ præpropere occiso; sicuti non componit Apostolos utcumque prædicantes cum Jeremiâ, utcumque prædicante; sed Apostolos, qui diutiùs quàm Sanctus Jacobus prædicaverunt, cum Jeremiâ, qui diutiùs quàm Urias prædicavit. Apostolos superstites Sancto Jacobo cum Jeremiâ superstite Uriæ. Unde in his comparationibus Uriæ cum Sancto Jacobo, & Jeremiæ cum Sancto Petro, & aliis Apostolis, ad nihil aliud respexit, nisi ad contractionem, vel productiorem prædicationem, breviorem, vel longiorem vitam, citiorem, vel tardiorem mortem. Unde cùm contractior prædicatio, brevior vita, citiorque mors Sancti Jacobi non repugnet illius expeditioni Hispanicæ, dicendum est, neque illi repugnare hoc testimonium Sancti Hieronymi.

1329 Neque mens Divi Hieronymi fuit, aut poterat esse, conferre prædicationes Uriæ, & Jeremiæ prædicationibus Sancti Jacobi, & aliorum Apostolorum, attendendo ad utrorumque auditores, in quibus differunt prædicationes Prophetarum à prædicationibus Apostolorum; hinc solùm loquitur de prædicatione Jeremiæ, factâ reliquiis infelicis Populi, hoc est, Judæis; prædicatio autem Apostolorum non fuit facta solis Judæis, sed omni creaturæ, quando docuerunt ex præcepto Christi omnes gentes, unusquisque in provinciâ sibi designatâ.

1330 Præterea tota vis hujus argumenti (si ulla est) sita est in illo adverbio *statim*, quo videtur innui à Sancto Hieronymo, Sanctum Jacobum non habuisse tempus, in quo

quo prædicaret doctrinam Domini ; ſed hoc ſuſtineri non poteſt, cùm Sanctus Hieronymus non potuerit aſſerere, Sanctum Jacobum occiſum fuiſſe ante tempus, quo in Actibus Apoſtolorum, dictante Spiritu Sancto, ſcriptum eſt, occiſum fuiſſe, præſertim cùm Sanctus Doctor dicat *in Actibus Apoſtolorum legimus.* Sed in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, Sanctum Jacobum occiſum eſſe tempore, quo Sanctus Paulus, cùm Sanctus Barnaba miſſus fuit in Judæam, ut ferret opem adverſus famem prædictam, quæ ut ibi dicitur, facta eſt ſub Claudio. Dicitur enim Act. 11.

> *In his autem diebus ſupervenerunt ab Jeroſolymis prophetæ Antiochiam. Et ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram in univerſo Orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio. Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mitttere habitantibus in Judæâ fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad Seniores, per manus Barnabæ, & Sauli.*

Et mox proſequitur caput 12.

> *Eodem tempore miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſiâ. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.*

1331 Hoc autem tempus fuit anno Chriſti 44. *Claudii Imperatoris ſecundo*, ut ait Lorinus hîc, poſt Cardinalem Baronium, ad annum Chriſti 44. numero 1. eodemque anno, quo Sanctus Paulus acceſſit Jeroſolymam, ſubſidium allaturus Hebræis illis, quibus idem Apoſtolus ſcribit ad Hebræos cap. 10. verſ. 34. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis*, ut notat Cardinalis Baronius ad eundem annum Chriſti 44. num. 67. ſed libet altiùs deducere verba Sancti Pauli, ut perſpiciatur quantum cohæreant iis, quæ leguntur in Actibus Apoſtolorum, ubi dicitur:

*Miſit*

*Misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.*

De hâc enim Herodianâ persecutione intelligendus est Divus Paulus eo capite 10. ad Hebræos, ubi à vers. 32. ait:

*Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. Et in altero quidem, opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socii taliter conversantium effecti; nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.*

1332 De Herodianâ, inquam, persecutione intelligendus est Divus Paulus, quâ Herodes misit manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ, quâ erga vinctos adeo misericordes fuerant credentes ex Hebræis; ut dixerit Sanctus Lucas Actorum 12. vers. 5.

*Et Petrus quidem servabatur in carcere; oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo.*

1333 Cùm igitur ex hâc profectione Jerosolymitanâ Sancti Pauli anno 44. Æræ vulgaris cognoscatur annus martyrii Sancti Jacobi; illumque tot annos vixisse prædicando doctrinam Domini, quot effluxerant à Passione Christi, bene sequitur, confirmari ex Sancto Paulo prædicationem Sancti Jacobi; & sequitur insuper, Sanctum Hieronymum non potuisse asserere, Sanctum Jacobum non prædicasse doctrinam Domini, licèt non tanto tempore, quanto cæteri Apostoli.

1334 Si enim Sanctus Jacobus non prædicasset doctrinam Domini, sicut prædicavit Sanctus Petrus, non potuisset dicere Sanctus Hieronymus ad Antonium ea, quæ supra retulimus, nempe:

*Contra Sophistas quoque sæculi, & Sapientes Mundi Petrus, & Jacobus piscatores mittuntur.*

Nam Miſſionis conſequens eſt prædicatio, ſicuti Miſſio eſt antecedens prædicationis, juxta illud Divi Pauli, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur.* Et ad quid mitteretur Sanctus Jacobus, ut Sanctus Petrus, niſi prædicaturus eſſet, ut Sanctus Petrus?

1335 Quod autem Doctor Maximus dixerit, *Petrum, & cæteros Apoſtolos doctrinæ Domini reſervatos*, inde eſt, quia Sanctus Petrus, & cæteri Apoſtoli multò diutiùs vixerunt, quàm Sanctus Jacobus; hic enim interfectus eſt anno Æræ vulgaris 44. & ſecundo Imperii Claudii; reliqui autem, ut diutiùs vixerunt, ita diuturniùs prædicarunt, nempe Sanctus Philippus uſque ad annum 54. Sanctus Thomas ad annum 57. Sancti Simon, & Judas ad annum 58. Sanctus Jacobus Minor ad annum 63. Sancti Petrus, Paulus, & Andreas ad annum 69. Sanctus denique Joannes ad annum 104. ut videre eſt apud Cardinalem Baronium ad hos annos; minimè autem dicendum eſt, Sanctum Hieronymum denegaſſe Sancto Jacobo Maiori tempus ſeminandæ doctrinæ Domini, licèt non tam diuturnum, quàm illud, quod cæteri Apoſtoli habuerunt.

1336 Vel dicamus, Sanctum Jacobum *ſtatim* Herodis pertuliſſe ſententiam, hoc eſt, *ſtatim* ac rediit ex Hiſpaniâ, ſicuti Urias occiſus eſt *ſtatim*, ac reductus eſt ex Ægypto. Vel Sanctum Jacobum *ſtatim* pertuliſſe Herodis ſententiam, hoc eſt, *ſtatim* ac Herodes regiminis habenas capeſſivit; nam ubi Hieroſolymas acceſſit, Sanctum Jacobum occidit.

1337 Confirmatur hoc ex eodem Sancto Hieronymo in eodem loco; nam præterquamquod, ut obſervavimus, loquitur juxta ea, quæ leguntur in Actibus Apoſtolorum, confert Sanctum Jacobum cum Prophetâ Uriâ, qui mortuus eſt ſupervivente Jeremiâ; ait enim ibidem:

*Quæri-*

*Quæritur, cur Urias filius Semei de Oppido Cariathiarim, eadem quæ Jeremias prophetarit, timore perterritus fugerit in Ægyptum, & inde retractus, occisus sit: Hieremias potuerit evadere; qui certè non fugerat, sed audacter in eâdem sententiâ perseverans liberatus sit tam vulgi, principumque judicio, quàm consilio Seniorum adversum accusatores, Sacerdotes, & Pseudoprophetas. Ad quod breviter respondendum, nequaquam Dei sciri posse judicium, dum eâdem causâ, eâdem sententiâ alius punitur, & alius liberatur. Nisi fortè hoc respondere possumus, quòd Urias in condemnationem accusatorum, & Populi trucidatus sit. Hieremias autem reservatus judicio Dei, ut reliquiis infelicis Populi prædicaret, & eos retraheret ad pœnitudinem. Quod quidem & in Apostolorum Actibus legimus, Jacobum Apostolum* statim *Herodis pertulisse sententiam, & martyrio coronatum; Beatum autem Petrum, & cæteros Apostolos doctrinæ Domini reservatos.*

1338 Ex his autem Divi Hieronymi verbis, quibus tacet prædicationem Sancti Jacobi, non potest inferri, hunc Apostolum non prædicasse doctrinam Domini. Sicuti ex eo, quòd illic taceat, Sanctum Petrum, & cæteros Apostolos prædicavisse ante martyrium Sancti Jacobi, non potest inferri, illos ante id martyrium non prædicavisse, neque ex eo, quòd illic sileat, Sanctum Petrum, & cæteros Apostolos fuisse martyrio coronatos, potest inferri, illos in pace quievisse, quin pro Christo profuderint sanguinem. Sicuti autem dici non potest, Sanctum Hieronymum voluisse negare anteriores prædicationes, & sequentia martyria Apostolorum, quæ tacuit; ita dici non potest, voluisse negare prædicationem Sancti Jacobi, quam hîc tacuit, & aliis in locis innuit, & in Epistolâ ad Antonium expressè tradidit.

1339 Unde rectiùs ex illis verbis Sancti Hieronymi

ſic diſcurrendum eſt: Illis verbis Sancti Hieronymi confertur Sanctus Jacobus Apoſtolus Uriæ Prophetæ, quia ſicuti prius interfectus eſt Urias, reſervato Jeremiâ ad prædicandum, ita prius interfectus eſt Jacobus, reſervato Sancto Petro, & cæteris Apoſtolis ad prædicandum: ergo ſicuti Urias prædicaverat antequam interficeretur, ita Sanctus Jacobus prædicaverat antequam interficeretur. Deinde Urias egreſſus fuerat extra Judæam, & perrexerat in Ægyptum: ergo ut recta fiat comparatio Uriæ, & Sancti Jacobi, dicendum eſt, hunc Apoſtolum egreſſum fuiſſe extra Judæam, & aliò perrexiſſe, nempe in Hiſpaniam.

1340 Unde tantum abeſt, ut hic locus Sancti Hieronymi officiat expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ut potiùs illam confirmet.

1341 Certè hunc Sancti Hieronymi locum non officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, videntur perſpexiſſe quotquot hucuſque editis voluminibus illam oppugnarunt, ut fuere Cardinalis Baronius, Natalis Alexander, Chriſtianus Lupus, Sebaſtianus Tillemont, Auguſtinus Calmet, Samuel Baſnagius, & Neotericus Adverſarius, licèt Diſſertatione ſuâ nullum non moverit lapidem, ad oppugnandam illam expeditionem, ſed hi dici poſſunt, illum locum non animadvertiſſe. Quid tamen dicemus de Lorino, qui in caput 2. Actuum Apoſtolorum verſ. 12. ſcripſit, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi gravi teſtimonio, & Traditione confirmari, & ibidem etiam refert hunc ipſum locum Sancti Hieronymi ex lib. 5. in Jeremiæ caput 26. licèt per errorem Typographi illic ſcribatur cap. 25. Dicemus, Sapientiſſimum Lorinum probè cognoviſſe hoc Sancti Hieronymi loco, quem præmanibus habebat, nihil officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi; quam idem Lorinus aſſerebat.

Idem

1342 Idem planè dicendum est de Augustino Manno, Congregationis Oratorii, qui in Selectis Historiis rerum memorabilium in Ecclesiâ gestarum, editis Romæ anno 1612. in quarto, capite 340. quo probat, Sanctum Jacobum in dispersione factâ sub Stephano secessisse in Hispaniam; adducit etiam hunc locum Sancti Hieronymi in Commentariis in Jeremiam Prophetam, quia scilicet optimè perspiciebat Vir Doctissimus, illo minimè lædi expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quam eo capite ipse asseverabat.

1343 Non prætermittam hîc adnotare apud Cornelium à Lapide, in hunc Jeremiæ locum referri, hunc Uriam fuisse genitorem cujusdam Prophetæ, quem post annos 627. à mortuis excitavit Sanctus Jacobus in Hispaniâ, baptizatumque, impositio nomine Petri, primum constituit Episcopum Bracharensem.

1344 Idem quod superiori evenit alteri simili loco Sancti Hieronymi, quo à nonnullis creditur oppugnari posse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, desumpto ex Commentario in Epistolam ad Galatas, ad ea verba: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Circa quæ Doctor Maximus ait:

> *Vehementer erravit, qui arbitratus est, Jacobum hunc de Euangelio esse Apostolum, fratrem Joannis, quem constat post Stephanum juxta fidem Actuum Apostolorum, sanguinem fudisse pro Christo.*

Nam videtur Sanctus Hieronymus hoc loco significare velle, Sanctum Jacobum Maiorem jam pro Christo fudisse sanguinem, eo tempore, quo Sanctus Paulus accessit Hierosolymam videre Petrum, apud quem mansit diebus quindecim, & alium Apostolorum vidit neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Cùm autem hæc evenerint post tres annos à reversione in Damascum, hoc est, anno

Æræ

Æræ vulgaris 37. ſequitur, Sanctum Hieronymum innuiſſe, jam Sanctum Jacobum Maiorem occiſum fuiſſe ante hunc annum, unde non potuit prædicare in Hiſpaniâ.

1345 Fateor, me capere non poſſe, quo jure iſte Sancti Hieronymi locus poſſit allegari contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, cùm in eo Sanctus Hieronymus tradat mortem Sancti Jacobi juxta fidem Actuum Apoſtolorum, ex quibus conſtat, Sanctum Jacobum occiſum fuiſſe multò poſt hunc adventum ſolius Sancti Pauli ad Jeroſolymam, occiſum ſcilicet fuiſſe, quando Sanctus Paulus acceſſit Jeroſolymam non ſolus, ſed unà cum Sancto Barnabâ ipſum comitante; nam Sanctus Lucas in fine capitis 11. & initio 12. ait:

> *Quod & fecerunt mittentes ad Seniores per manus Barnabæ, & Sauli. Eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſiâ. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.*

Quæ juxta Cardinalem Baronium, accidere anno Æræ vulgaris quadrageſimo quarto.

1346 Non ſolùm non officit iſte Sancti Hieronymi locus expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ſed potiùs illi planiorem ſternit viam; tradit enim rationem, cur Sanctus Paulus tunc non vidit alios Apoſtolos, dicit enim:

> *Non vidit autem eos, non quo contemptui duceret, ſed quod illi ad Euangelium prædicandum toto fuerant Orbe diſperſi.*

Quo deſtruitur iterum authoritate Sancti Hieronymi illa fabula de morâ Apoſtolorum Hieroſolymis per duodecim annos, cùm, teſte Sancto Hieronymo, illi diſperſi eſſent toto Orbe multò ante exactos illos duodecim annos; & ſic jam Sanctus Jacobus Maior eſſet in Hiſpaniâ, quæ ipſi ſorte obtigerat.

Præte-

Digitized by Google

1347 Præterea idem Sanctus Hieronymus rursus eodem loco docet eo anno, quo Sanctus Paulus venit Hierosolymam videre Petrum, jam Euangelium prædicatum esse, non solùm Judæis, sed etiam Gentibus, quia ad illa verba, quæ Sanctus Paulus dicit eodem capite: *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo Jesu.* Subjicit:

> *Ecclesiæ, quæ erant in Judæâ, Paulum tantum rumore cognoverant. Ex quibus plerique eum magis persecutorem, quàm Apostolum viderant. Syria verò, & partes Ciliciæ, Arabia, & Damascus ex vultu quoque eum forsitan noverant, quia Doctor Gentium Euangelium Christi, non Judæis, sed Gentibus prædicabat.*

Si autem Sanctus Paulus, teste Sancto Hieronymo, ante annum trigesimum septimum Æræ vulgaris, quo venit videre Petrum, jam Euangelium prædicabat Gentibus, tot annis ante exactum annum duodecimum; rursus convellitur ex Sancto Hieronymo illa fabula de non prædicando Euangelio Gentibus ante duodecim annos. Et relinquitur tempus, quo diutiùs Sanctus Jacobus, qui tunc vivebat, & erat in Hispaniâ, provinciâ sibi sorte datâ, prædicaret non solùm Judæis, sed etiam Gentibus.

1348 Ex quo habemus, hunc Sancti Hieronymi locum potiùs confirmare (& quidem ex Sancto Paulo) expeditionem Hispanicam S. Jacobi, quàm illi contradicere.

1349 Siquis verò etiam num contendat his, vel aliis Sancti Hieronymi locis impugnari expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, noverit, non ideo statim nostram sententiam expugnari, neque eo ipso nobis eripi Sancti Hieronymi patrocinium. Quod confirmatur exemplo Sancti Pauli, cujus expeditio Hispanica probatur authoritate Sancti Hieronymi, licèt hic eam negare videatur, dum scribens contra Helvidium, ait:

*Quasi*

*Quaſi ſi quis dixerit antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi, non poſſit ſtare ſententia, niſi in eo portu prandendum quandoque ſit: Aut ſi velimus dicere: Paulus Apoſtolus antequam ad Hiſpanias pergeret, Romæ in vincula conjectus eſt: aut certè illud, Helvidius, an equam pœnitentiam ageret, morte præventus eſt: Statm aut Paulo poſt vincula ad Hiſpanias ſit eundum, aut Helvidio pœnitentia agenda poſt mortem, cum Scriptura dicat: In inferno autem, quis confitebitur tibi?*

1350 Ex quo perſpicitur novo exemplo Doctoris Gentium, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex Sancto Paulo confirmari; nam ſicuti negari uno in loco à Sancto Hieronymo expeditionem Hiſpanicam Sancti Pauli, non tollit, Doctorem Maximum illam alibi affirmaviſſe; ita Sanctum Hieronymum uno in loco inficiari expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, (ſi ille ipſam inficiaretur) non tollit, ipſum eam aliis in locis confeſſum fuiſſe, & æque eſſe utriuſque expeditionis aſſertorem.

## §. IV.

## *Teſtimonia poſteriora Sancto Hieronymo.*

1351 POſt teſtimonia Sancti Hieronymi, obſervandum eſt teſtimonium, quod reperitur inter opera Sancti Joannis Chryſoſtomi, editionis Antuerpienſis, apud Joannem Keobergium anno 1614. tomo 2. inter Homilias in Sanctum Lucam pag. 522. in Homiliâ, quæ incipit: *Et reclinavit eum in Præſepio*; & dicta fuit in Oriente, ubi inoleverat ſententia, Chriſtum Dominum natum fuiſſe, non die vigeſimâ quintâ Decembris, ſed die quinta Januarii, quæ ſententia fuit Ægyptiorum, ut tradit Caſſianus Collatione 10. cap. 2. in quem locum videnda

videnda est Annotatio 19. ad finem tom. 2. pag. 249. Eandem sententiam tenuit Sanctus Epiphanius adversus hæresim 51. ubi ait:

> *Nato enim ipso circa Januarium mensem, hoc est, ante Octavum Iduum Januarii, quæ est quinta Januarii mensis secundum Romanos: Secundum Ægyptios Tybi undecima: Juxta Syros, sive Græcos, Audinæi sexta. Juxta Cyprios, sive Salaminios quinti quinta. Juxta Paphios Julii decima quarta. Juxta Arabas Aleon vigesima prima. Juxta Cappadoces Atarta decima tertia. Juxta Athenienses Memacterionis sexta.*

Contra quam sententiam arguens Author illius Homiliæ, dicebat ad Orientales: *dicat aliquis: Hic Christus natus est* (scilicet in Oriente) *ergo magis illi sciunt, qui propè, quàm isti, qui longè sunt.* Mox nomine Orientalium respondet: *Qui sunt in istâ Provinciâ utique Apostoli Petrus, & Paulus, & cæteri Apostoli*: deinde Orientalibus reponit: *Vos ejeciſtis* (utique Apostolos) *nos suscepimus. Petrus, qui hic fuit cum Joanne, qui hic fuit cum Jacobo, nos in Occidente docuit: & vestri igitur, & nostri Apostoli Magistri sunt.*

1352 De hoc loco ait noster Sapientissimus Antonius Caracciolus, in Controversiâ de Accessu Sancti Jacobi ad Hispaniam (quæ est prima in illius Illustrium Controversiarum Bigâ) num. 26. pag. 49. secundæ editionis:

> *Hunc ego locum primus vidi, & observavi; atque è magnâ Magni Chrysostomi segete, veluti spicam legi, ut Jacobi ad Hispanos prædicationem prisco testimonio confirmarem.*

1353 Et infra, ut ostendat quomodo ex hoc testimonio probetur expeditio Hispanica Sancti Jacobi, subjungit:

> *Tu autem lector perpende mecum verba illa ad Hierosolymitanos,*

*mitanos, & Palæſtinos dicta*: Vos ejeciſtis, & nos ſuſcepimus: Petrus, qui hic fuit cum Joanne, qui hic fuit cum Jacobo, nos in Occidente docuit. *Habebis quippè ex his Beatum Jacobum in Occidente fuiſſe, & docuiſſe, ut & Joannem, & Petrum nemo dubitat ad nos Occidentales acceſſiſſe.*

1354 Deinde ſolvit argumenta, quæ contra iſtum locum fieri poſſe videbantur, ait enim primò:

*Neque id intelligere poteris de Jacobo Alphæi, hunc enim in Occidente docuiſſe, nulla unquam alicujus extitit aut aſſertio, aut ſuſpicio. Hieroſolymorum ille fuit Epiſcopus, in Urbe ſuâ Chriſtum aſſiduè prædicavit, & prædicando occubuit.*

1355 Hanc Caraccioli reſponſionem, ego exiſtimo confirmari poſſe, obſervando, Orientales nunquam ejeciſſe Jacobum Alphæi, qui proinde apud ipſos permanſit uſque ad vitæ finem; licèt ejecerint Petrum, & Joannem. Ejecerunt ergo Jacobum Zebedæi, qui priùs exiit ex Judæâ, quàm Petrus, & Joannes, ut fatetur Adrianus Baillet in vitâ Sancti Jacobi: ergo de Sancto Jacobo Zebedæi, non de Sancto Jacobo Alphæi, intelligendus eſt iſte locus.

1356 Ait ſecundò Caracciolus:

*Ne verò dici poſſit hic de ſolo Petro Occidentales docente teſtimonium ferri, obſtant proculdubio verba illa, quæ plurali numero ſubjiciuntur.* Et noſtri igitur, & veſtri Apoſtoli Magiſtri ſunt.

1357 Et meritò docet Caracciolus, illa verba plurali numero concepta obſtare, ne de ſolo Petro intelligantur; quia dici non poteſt, Joannem, & Jacobum per Petrum Principem Apoſtolorum nos docuiſſe; ſic enim Petrus eſſet diſcipulus Apoſtolorum Joannis, & Jacobi, quod certè non deceret Petrum Vicarium Chriſti, & totius Eccleſiæ Caput: ergo Joannes, & Jacobus per ſe ipſos docue-

docuerunt Occidentales, Joannes Romæ, & Jacobus in Hiſpaniâ.

1358 Exiſtimo igitur, verba illa hunc ſenſum efficere: *Petrus, qui hic fuit cum Joanne, nos in Occidente docuit cum Joanne; qui hic fuit cum Jacobo, nos in Occidente docuit cum Jacobo.* Solùm enim tunc colligit illatio, quæ ſequitur; *& noſtri igitur, & veſtri Apoſtoli Magiſtri ſunt*: Aliter enim ſolus Apoſtolus Petrus eſſet Magiſter noſter, non verò Apoſtoli.

1359 Poſtremò addit Caracciolus:

> *Quod ſi quis contenderit, Homiliam iſtam non eſſe Chryſoſtomi, is enim patriâ Antiochenus, & dignitate Conſtantinopolitanus Patriarcha, nequaquam ſe inter Occidentales numerare poterat, neque dicere*: Nos in Occidente docuit, *qui nunquam in Occidente fuit; ſi, inquam, id quiſquam objecerit, non repugno.*

Moxque ait, neminem fore negaturum, hoc teſtimonium antiquiſſimum eſſe. Caraccioli ſententiæ ſubſcribit Michael Erce Ximenes in libro de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, parte 1. tractatu 4. cap. 4. num. 2. fol. 95. verſo, magnique facit hunc locum, utpote gravis, & antiqui Authoris, licèt ſibi ignoti.

1360 Certè illud: *Nos in Occidente docuit*, apertè oſtendit, illam Homiliam de Nativitate Chriſti non eſſe Sancti Joannis Chryſoſtomi, ſed hominis Occidentalis. Illam adjudicant Critici Severiano Epiſcopo Gabalitanorum, ut videre eſt apud Dupin in Bibliothecâ Authorum Eccleſiaſticorum tomo 3. paginâ 76. quem vixiſſe quarto ſæculo, docet Trithemius libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis fol. 29. & non defuiſſe, qui Severianum putaverint fuiſſe Gallum; quem ipſum illius nomen potiùs ſonare videtur, docet Poſſevinus in Apparatu Sacro tomo 2. pag. 397.

1361 Illud ego addiderim, in Galliâ extitiſſe olim Epiſcopatum Gabalitanum, ſeu Gabalorum, ut docet Hadrianus Valeſius in *Notitia Galliarum, ordine literarum digeſta*, verbo *Gabali*; ubi tradit, hunc Epiſcopatum poſtea translatâ Sede dictum fuiſſe Mimatenſem. Et ſcimus, Severianum fuiſſe Epiſcopum Gabalorum in Galliâ, ut docet Dionyſius Sammarthanus in Galliâ Chriſtianâ tomo 1. edito Pariſiis anno 1715. in fol. columnâ 85. cùm de Eccleſiâ Mimatenſi, ubi ait:

> *Sancti Severiani, præter nomen, nihil ad nos pervenit. Colitur in Eccleſiâ Mimatenſi die 26. Januarii. De eo verò Bollandus prorſus ſilet ad hunc diem. In indicibus autem Epiſcoporum Gabalitanorum primus inſcribitur.*

1362 De Homiliâ de Nativitate Domini, dictâ à Severiano Epiſcopo Gabalorum, meminit Theodoretus tomo 2. Dialogo 2. pag. 337. de alio Severiani Epiſcopi Gabalorum opere meminit Photius, Codice 231. col. 890. lineâ 24. Neque officit, quominus Severianus fuerit Gallus, memoratum eſſe ab Authoribus Græcis Theodoreto, & Photio; nam in eodem Codice, quo legit Photius Opuſculum Severiani, legit etiam Opuſcula Sancti Leonis Papæ, & Sancti Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis. Et eodem Dialogo, quo Theodoretus citat Severianum Epiſcopum Gabalorum, citat etiam Sanctum Irenæum Epiſcopum Lugdunenſem, & Sanctum Hilarium, & Sanctum Auguſtinum, Patres Eccleſiæ Latinæ.

1363 Neque Epiſcopum Galliæ dixiſſe in Oriente, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Occidente, inſolitum videri poteſt; nam ſupra vidimus ex vitâ Sancti Heliodori, Epiſcopos Occidentales ad Theodoſium primum Imperatorem dixiſſe S. Jacobum Maiorem fuiſſe Prædicatorem ſuum, unde ſeſe vicicim juvant vita Sancti Heliodori, & Homilia Sancti Severiani; & utraque confirmat expe-

expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Habemus ergo teſtimonia multò antiquiora, quàm ab Adverſariis exiſtimatur, de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.

1364 Severiano ſuccederet Sanctus Auguſtinus, ſi inter ejus opera reperiretur Sermo ille de uno Martyre, qui pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi citatur à Patre Joanne Oſorio, Societatis Jeſu, tomo 3. Sermone de Sancto Jacobo; ſed Sermonem illum plures quæſivere, & nemo reperit.

1365 Ego ſolùm reperi Sermonem 25. ad Fratres in Eremo, in quo mentio fit translationis Sancti Jacobi, ex quâ nonnulli inferunt prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpaniâ; ſed neque Sermo ille dicit, noſtrum Apoſtolum translatum fuiſſe in Hiſpaniam, neque, (quod caput eſt) Sermo ille eſt Sancti Auguſtini.

1366 Noſtræ tamen ſententiæ favet Divus Auguſtinus, dum de Apoſtolis loquens, ait in Epiſtolâ 137. ad Voluſianum, in editione San Maureanâ, quæ in aliis editionibus eſt tertia, num. 16. de Apoſtolis, quiqui impleti Spiritu Sancto, loquuti ſunt repentè linguas omnium gentium, ait:

> *Per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur.*

Nam inter eos Apoſtolos non erat Divus Paulus, illi qui loquebantur linguas omnium gentium, etiam loquebantur linguam propriam Hiſpanorum: ergo inter illos erat, qui prædicaturus erat Hiſpanis, qui in terrarum extremis degunt: ergo Sanctus Auguſtinus innuit Sanctum Jacobum Hiſpanorum Prædicatorem, qui tunc erat inter eos, & de quo fert antiquiſſima Traditio, prædicaſſe in Hiſpaniâ.

1367 Tempore Divi Auguſtini creditur celebratum quoddam Concilium Bracharæ, cujus capite 3. legitur:

*Præcipuè*

*Præcipuè de Patre noſtro, & Apoſtolo hujus Regionis Petro Ratiaſtenſi, quem ad ſalvandas animas Jacobus Domini conſanguineus dimiſit.*

Quod teſtimonium avidè arripiunt Hiſpani ad Sancti Jacobi adventum, & prædicationem affirmandam, ut teſtatur Clariſſimus Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, capite 15. ſubjungens:

*Mihi habitâ omnium pace liceat de hoc Concilio dubitare.*

1368 Sed evenit huic Concilio, ipſum met, quod expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, cui ſatis fuit illam à Magdeburgenſibus, aliiſque Hæreticis negari, & à Baronio in dubium revocari, ut Natalis Alexander, & Sebaſtianus Tilemont totis viribus, licèt irrito conatu, eam impugnarent. Nam ſatis fuit, ut Macedo de hoc Concilio dubitaret, quo alius illud non ſolùm negaret, ſed conviciis laceraret. Illud tamen egregiè defendit noſtræ Regalis Academiæ ſocius Franciſcus Leitaõ Ferreira, à ſcriptis voluminibus orbi literario notiſſimus, in Diſſertatione pro hoc Concilio, quod quo acriùs impugnatur, eo minus credo illius impugnatoribus, qui ut probent, illud Concilium eſſe falſum, aliquot negarunt, quæ certiſſima ſunt; unde potiùs agnoſcitur dira cupido impugnandi aliorum aſſerta, quàm fulget inveniendæ veritatis amor. Ego tamen pro mihi innato candore fateor, me exiſtimare, tam difficile eſſe illud Concilium impugnare, quàm propugnare illius exemplaria, quæ nunc habemus; nam his deeſt ea antiquitas, quæ ad faciendam fidem neceſſaria eſt, ſicuti illis exemplaribus deſunt ea, quæ probent, illud Concilium nunquam extitiſſe, ut optimè obſervavit Cardinalis Aguirre Conciliorum Hiſpaniæ tomo 2. pag. 193. num. 16. & ſeqq.

1369 Hujus Concilii teſtimonio hâc de cauſâ non utor

utor ad probandam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quia ſolidioribus niti ſoleo fundamentis; de eo tamen latiùs diſſeram, Deo dante, in Hiſtoriâ Eccleſiæ Portuenſis, mihi à Regali Academiâ demandatâ, cùm egero de Arisberto, qui ut illius Sedis Epiſcopus, legitur ſubſcripſiſſe illi Concilio; ſed duo hic adnotare non deſinam.

1370 Primum eſt, Tillemontium hujus Concilii oppugnatorem, miſerè erraſſe (ut ſæpe aliàs) tomo 5. Hiſtoriæ Imperatorum, Nota 27. ad Honorium, ubi coacervavit omnia, quæ ſibi occurrerunt contra hoc Concilium Bracharenſe, dum dicit, eo tribui Hiſpaniæ Apoſtolatum Sancto Jacobo Minori.

1371 Alterum eſt, mihi non placere ea verba, quæ exciderunt Magno Franciſco à Sancto Auguſtino Macedo, capite citato, nempe:

*Alienum erat à tot, tamque gravibus viris eâ tantum de cauſâ convenire, ut de occultandis reliquis ageretur.*

1372 Longè alia mens fuit prudentiſſimo Patri Joanni Ferraudo, Societatis Jeſu, qui in Diſquiſitione Reliquiariâ lib. 1. cap. *6.* articulo 1. mirificè laudat Patrum illius Concilii Bracharenſis ſolicitudinem, de Sacris Reliquiis occultandis; ſuſpicaturque, eos præluxiſſe documento, & utili exemplo, Clariſſimis Præſulibus Sancto Carolo Borromeo Mediolanenſi, & Alphonſo Cardinali Palæoto Bononienſi, Archiepiſcopis, ut ſimilia decernerent in re non diſſimili. Quæ nunc monuiſſe ſufficiat.

1373 Dixi, hoc Concilium aſſeri extitiſſe tempore Sancti Auguſtini, quia ex illo conſtat, celebratum fuiſſe tempore, quo Alani, & Suevi, & Vandali in Hiſpaniam irruperunt, de quibus ſcribit Sanctus Auguſtinus anno 409. Epiſtolâ 111. aliàs 122. num. 1.

*De Hiſpanis quoque tot provinciis, quæ ab his malis diu videbantur intactæ, cœperunt jam talia nunciari.*

&

& Epiſtolâ 166. aliàs 28. ad Sanctum Hieronymum, quâ laudans Oroſium, ait:

> *Ecce venit ad me Religioſus juvenis, Catholicâ pace frater, ætate filius, honore compræsbyter noſter Oroſius, vigil ingenio, probatus eloquio, flagrans ſtudio, utile vas in domo Domini eſſe deſiderans ad refellendas falſas, perniciosaſque doctrinas, quæ animas Hiſpanorum multò infeliciùs, quàm corpora barbaricus gladius, trucidarunt.*

Quæ verba ideo adduxi, ut conſtaret, quàm neceſſaria fuerit profeſſio Fidei, quæ ſcribitur facta à Patribus illius Concilii Bracharenſis, Religioni timentibus ab incurſione Barbarorum.

1374 Quantum noſtræ ſententiæ faveat Sanctus Leo I. dictum eſt ſupra Aſſertione 23. numero 455. Sanctus Licinianus, qui ſe profitetur diſcipulum Sancti Auguſtini, (licèt vixerit ſæculo ſequenti) apertè docet noſtram ſententiam, in Epiſtolâ ad Vincentium Epiſcopum, quâ de Sancto Jacobo Maiore loquens, ait: *Ex Hiſpaniâ reverſus eſt Hieroſolymam.* Epiſtolam refert Ægidius Gonzales de Avilâ, in Theatro Eccleſiaſtico tom. 1. pag. 305. ubi de Epiſcopis Eccleſiæ Murcienſis.

1375 Quiſnam autem fuerit iſte Sanctus Licinianus, Ordinis Sancti Auguſtini, docet (poſt Sanctum Iſidorum libro de Viris Illuſtribus capite 42.) Philippus Elſſius, in Encomiaſtico Auguſtiniano V. *Licinianus*, dicens:

> *Sanctus Lincinianus, vel Licinianus, Vir Doctiſſimus, & Epiſcopus Carthaginenſis in Hiſpaniâ, vitæ Monaſticæ in Cœnobio Seruitano ſectator, Eutropii Epiſcopi Valentini in Monachatu ſocius, circa annum 583. 4. Maii fuit Martyr. Æmuli enim Chriſtianæ Fidei, cùm viderent Vincentium quemdam Cæſaraugustanum Epiſcopum (qui ad partes Hæreticorum deflexerat) opera Sancti Liciniani, & Severi illius Collegæ ad Catholicam unitatem*

*unitatem reductum dolosè eundem Sanctum Licinianum convenientes veneno, apud Constantinopolim interemerunt.*

1376 Sed ut verum fatear, non nimis fido huic Sancti Luciniani testimonio, quia dubito, an illa Epistola sit genuinus Sancti Luciniani fætus; suspicor enim, esse supposititiam, quia adjuncta reperitur aliis operibus aliorum, quæ Criticis meritò non probantur; licèt omnia, quæ illa Epistola continet, credam esse verissima.

## ASSERTIO XLIX.

## *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi asseritur à Sancto Isidoro, aliisque monumentis posterioribus quarto Concilio Toletano, antiquioribusque quarto Concilio Lateranensi.*

### §. I.

### *Sanctus Isidorus Hispalensis.*

1377 PRimus omnium nobis occurrit hâc secundâ ætate Sanctus Isidorus Hispalensis, qui quarto Concilio Toletano præfuit, & expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi apertè asserit, idque non uno in loco, sed pluribus, ex quibus primum propono ex libro de Ortu, & Obitu Patrum cap. 81. ubi ait:

*Hi fuerunt Christi discipuli Prædicatores Fidei, & Doctores Gentium, qui, cùm omnes unum sint, singuli tamen eorum propriis, certisque locis in Mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt. Petrus nanque Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus Hispaniam, Joan-*

*nes Aſiam, Thomas Indiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Ægyptum, Mathias Judæam, Jacobus frater Domini Feroſolymam, Judas frater Jacobi Meſopotamiam; Paulo autem cum cæteris Apoſtolis nulla ſors propria traditur, quia in omnibus Gentibus Magiſter, & Prædicator eligitur.*

Ubi oſtenditur tertio loco, Sanctum Jacobum accepiſſe Hiſpaniam ad prædicandum.

1378 Secundus locus Sancti Iſidori eſt ex eodem libro, capite 71. ubi dicitur:

*Jacobus filius Zebedæi, frater Joannis, quartus in ordine, duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione Gentium ſcripſit, atque Hiſpaniæ, & Occidentalium locorum Gentibus Euangelium prædicavit, & in Occaſu Mundi lucem prædicationis infudit. Hic ab Herode Tetrarchâ gladio cæſus occubuit. Sepultus in Marmaricâ.*

Ubi legitur, Sanctum Jacobum non ſolùm accepiſſe Hiſpaniam ad prædicandum, ſed etiam illi prædicaſſe, lucem Euangelii infundendo in Occaſum Mundi.

1379 Cùm utroque loco, & præcipuè ſecundo apertiſſimè aſſeratur à Sancto Iſidoro expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, de quâ dùbitavit Cardinalis Baronius, leviſſimo nixus fundamento, negavit ipſe, hunc librum eſſe Sancti Iſidori, eumque injurioſo ſatis vocabulo appellavit Pſeudo-Iſidorum, tomo 9. ad annum Chriſti 816. num. 50. Sed cùm *quandoque bonus dormitet Homerus*, ignoſcendum optimo Cardinali, non animadvertiſſe, eum librum tribui Sancto Iſidoro à Sancto Braulione, in vitâ Sancti Iſidori, cui fuit Synchronus, ut conſtat ex ipſo Sancto Iſidoro in Præfatione ad libros Etymologiarum; tribui Sancto Iſidoro à Sancto Ildephonſo, qui obiit anno 667. uno tantum anno ſupra triginta à deceſſu Sancti Iſidori;

Digitized by Google

dori; tribui Sancto Isidoro à Venerabili Bedâ, qui obiit sæculo insequente mortem Sancti Isidori, ut præteream Sigebertum Gemblacensem longè recentiorem, utpote qui attigit initium sæculi duodecimi.

1380 Sed quia neminem memini, qui ante me observaverit, Venerabilem Bedam tribuisse Sancto Isidoro librum de Ortu, & Obitu Patrum, licèt Excellentissimus Marchio de Mondexar in Dissertatione inscriptâ *Predicacion de Santiago en España*, cap. 2. fol. 116. vers. & cap. 22. fol. 131. & ex professo cap. 26. asserat, Venerabilem Bedam quæpiam desumpsisse ex libro Sancti Isidori de Ortu, & Obitu Patrum, idcirco locum indicare volo, ex tom. 6. Operum Venerabilis Bedæ in Retractatione in Acta Apostolorum, cap. 1. ubi loquens de Sancto Apostolo Simone Zelote, ait:

> *Porro Isidorus arbitratur, hunc Simonem esse, qui post Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum rexit Ecclesiam, ac sub Trajano crucis martyrio coronatus est. Cùm centum & viginti esset annorum, quem & nos olim in primo Actûs Apostolorum libro sequuti sumus.*

Hæc autem nullibi dicit Sanctus Isidorus, nisi in libro de Ortu, & Obitu Patrum, cap. 80. ubi ait:

> *Simon Zelotes, qui primus dictus est Cananæus, zelo Domini fervens, par in cognomento Patris, & similis in honore, accepit Ægypti Principatum, & post Jacobum Justum Cathedram tenuit Jerosolymorum. Post annos autem centum viginti, meruit sub Trajano per crucem sustinere martyrii passionem. Jacet in Bosphoro.*

Unde perspicitur, quàm præceps fuerit judicium Baronii, abjudicantis Sancto Isidoro librum de Ortu, & Obitu Patrum; quem ipsi asserunt gravissimi Authores, iique antiquissimi.

1381 Cæsare Baronio longè iniquior hoc in judicio



Digitized by Google

fuit Natalis Alexander, afferens conſtare inter Doctos, eum librum non eſſe Sancti Iſidori; oppoſitum egregiè, ut ſolet, probat Marchio de Mondexar; cui addo, quòd etiam ſi in eo libro reperirentur aliqua à veritate aliena, non ideo ipſum detrahendum eſſe Sancto Iſidoro, qui ex aliorum ſcriptis ea haurire potuiſſet; quod evidenter probo authoritate Venerabilis Bedæ loco citato, hoc eſt, Retractatione in Acta Apoſtolorum, cap. 1. ubi de Sancto Iſidoro loquens, ait:

> *Quem & nos olim ſequuti ſumus, non ea, quæ ſcripſit ſcrupuloſiùs diſcutientes, ſed ſimpliciter ejus dictis auſcultantes, rati quòd hæc ipſe de certis veterum Hiſtoriis didicerit.*

Et adjungens errori, quem hauſerat ex Sancto Iſidoro circa Sanctum Simonem Apoſtolum, alterum de Sancto Thaddæo Apoſtolo, quem acceperat ex Sancto Hieronymo, ſubjungit:

> *Non autem mihi imputandum errorem reor, ubi authoritatem magnorum ſequens Doctorum, quæ in illorum Opuſculis inveni, abſque ſcrupulo ſuſpicienda credidi.*

Tantum abeſt, ut Venerabilis Beda propter errores, libros abjudicaverit Sancto Iſidoro, vel Sancto Hieronymo.

1382 Etiam tribuit hunc librum Sancto Iſidoro Author Sermonis 35. de Sanctis, inter opera Sancti Auguſtini, qui in editione San Maureanâ reperitur in tomi 5. Appendice, & eſt Sermo 208. cujus Authorem nonnulli credunt eſſe Fulbertum Carnotenſem, qui obiit anno 1028. teſte Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ex Baronio tomo 11. ad hunc annum.

1383 Indubitatum igitur maneat, librum de Ortu, & Obitu Patrum eſſe Sancti Iſidori, de quo, quī plura deſiderat, legat Excellentiſſimum Marchionem de Mondexar, in citatâ Diſſertatione cap. 20.

Nunc

Digitized by Goog

1384 Nunc quidpiam dicendum de eo, quod dicitur à Neoterico Adversario, indubium scilicet esse duos errores assutos capiti illi 73. libri Sancti Isidori de Ortu, & Obitu Patrum.

1385 Dicitur, primum errorem intrusum esse ab aliquo sciolo, fateri propugnatores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, quia tum ex aliis Patribus, tum ex ipso Sancto Isidoro constat, Authorem Epistolæ ad Tribus dispersas, fuisse Sanctum Jacobum Minorem, non Maiorem.

1386 Verumquidem est, plures ex nostræ sententiæ defensoribus id fateri, sed non omnes; & licèt omnes id faterentur, ego minimè crederem, assutum esse Sancto Isidoro, Sanctum Jacobum Maiorem fuisse Authorem Epistolæ ad Tribus dispersas; nam tempore Sancti Isidori non erat omnium sententia, Sanctum Jacobum Minorem fuisse Authorem illius Epistolæ, ut constat ex eodem Sancto Isidoro; nam licèt Sanctus hic Doctor in Proœmiis scribat: *Jacobus frater Domini scripsit unam Epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem*; tamen libro 1. de Ecclesiastici Officiis cap. 12. quod est *de Scriptoribus Sacrorum librorum*, ait:

> *Jacobus suam scripsit Epistolam. Quæ & ipsa à nonnullis ejus esse negatur, sed sub nomine ejus dictata existimatur.*

1387 At lib. 6. Etymolog. cap. 2. ait:

> *Jacobus, & Joannes, & Judas suas scripserunt Epistolas.*

Et licèt non exprimat, quisnam sit iste Jacobus, videtur innuere Sanctum Jacobum Maiorem; nam illum nominat ante Sanctum Joannem illius fratrem minorem, quod non feciisset, si intelligi vellet Sanctum Jacobum Minorem, quia hic in Catalogo Apostolorum semper collocatur post Sanctum

Sanctum Joannem; imò videtur illum præpoſuiſſe Sancto Joanni, cujus erat frater, ne ſi poſtponeretur, credi poſſet, ipſum loqui de Sancto Jacobo Minore, fratre Sancti Judæ, qui illic ſequitur poſt Sanctum Joannem.

1388 Neque dicas, Sanctum Iſidorum nominaſſe priùs Sanctum Jacobum Minorem, quia illius Epiſtola in ſerie Scripturarum collocatur ante Epiſtolam Sancti Petri; nam nihilominus Sanctus Iſidorus priùs loquitur de Sancti Petri Epiſtolis, quàm de Epiſtolâ Sancti Jacobi.

1389 Unde ſaltem ex nullo ex his duobus locis conſtat, cui Jacobo ea Epiſtola à Sancto Iſidoro tribuatur; in libro autem Etymologiarum 7. cap. 9. loquens de utroque Jacobo, etſi de ſecundo dicat: *Iſte eſt Jacobus Minor, qui in Euangelio frater Domini nominatur*; de neutro tamen dicit ſcripſiſſe Epiſtolam. Sed hoc non eſt mirandum, neque enim de Sancto Joanne, vel de Sancto Matthæo hic dicit ſcripſiſſe Euangelia, ut videatur, quænam fides debeatur argumentis ab authoritate negativâ.

1390 Tempore Euſebii Cæſareenſis, qui obiit circa annum Domini 340. non erat recepta ab omnibus Epiſtola Sancti Jacobi, ut ait ipſe Euſebius lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 23. ubi ait:

> *Hæc ſunt, quæ de Jacobo memorantur, cui etiam adſcribi ſolet Epiſtola prima earum, quæ Catholicæ dicuntur, quam quidem nonnulli ſpuriam, & ſuppoſititiam exiſtimant.*

& lib. 3. capite 25. ait:

> *Ex iis verò, quæ in dubium revocantur, à multis tamen commemorari videmus, eſt Epiſtola, quæ dicitur Jacobi.*

1391 Sanctus autem Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, §. *De Sancto Jacobo fratre Domini*, ait:

> *Unam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur,*

Digitized by Google

*ritur, licèt paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem.*

1392 Hæc autem incertitudo cujusnam Jacobi fuerit ea Epistola, adeo duravit, ut Cardinalis Caietanus, qui vixit sæculo sexto decimo, scripserit Commentario in caput 1. Epistolæ Sancti Jacobi:

*Non est quidquam certum, an Epistola hæc sit Jacobi fratris Domini.*

1393 Imò post Concilium Tridentinum, ex quo fortior adducitur ratio ad tribuendam illam Epistolam Sancto Jacobo Minori, illam adscribit Sancto Jacobo Maiori D. Michael Erce Ximenes, erudito tractatu, qui in illius opere de Prædicatione Sancti Jacobi est quintus secundæ partis. Et post ipsum alii in eâdem sunt sententiâ, quæ omnia satis, superque probant, non fuisse tempore Sancti Isidori judicatum, esse errorem asserere, Sanctum Jacobum Maiorem scripsisse illam Epistolam; neque ab omnibus concedi fuisse illam laciniam assutam libro Sancti Isidori, cujus ætate sententia illa communis fortasse erat in Hispaniâ. Et in antiquis exemplaribus Syrorum præfixus erat tribus Epistolis Sancti Jacobi, Sancti Petri, & Sancti Joannis titulus iste:

*Tres Epistolæ trium Apostolorum, ante quorum oculos Dominus noster se transformavit.*

Videantur de hâc re Richardus Simon in Historiâ Criticâ Novi Testamenti, cap. 17. à paginâ 187. & Nicolaus Serarius in Prologomenis in Sancti Jacobi Epistolam, Prologomeno 3. pag. 5.

1394 Aliud, quod dicitur error assutus illi capiti 71. libri de Ortu, & Obitu Patrum, est illud *sepultus in Marmaricâ.* Quod esse errorem, dicitur liquere ex Martyrologio Romano 25. Julii, ubi dicitur:

*Sacra Jacobi ossa ab Hierosolymis ad Hispaniam fuisse translata.*

Si

1395 Si probatur eſſe errorem dici, Sanctum Jacobum ſepultum fuiſſe in Marmaricâ, quia in Martyrologio Romano dicitur, ipſius oſſa ab Hieroſolymis in Hiſpaniam fuiſſe translata; libenter concedam, illi capiti aſſutum fuiſſe illum errorem; quia totam cauſam vicimus; nam ſi eſt error, quod eſt contrarium Hiſtoriæ contentæ in Martyrologio Romano, à fortiori erit error, quod eſt contrarium Hiſtoriæ contentæ in Breviario Romano: ergo eſt error negare expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, cùm illius negatio ſit contraria Hiſtoriæ contentæ in Breviario Romano; quod ſi nobis concedatur, nil ulteriùs laborandum in hâc quæſtione; ut ego ſemper exiſtimavi, ex eâ, quâ Romanum Breviarium proſequor, reverentiâ. Nullam enim humanam Hiſtoriam exiſtimo, veritate, & certitudine antecellere iis, quæ in Breviario, vel Martyrologio Romano leguntur; quidquid Critici reluctentur.

1396 Non inviti admittunt aliquot noſtræ ſententiæ propugnatores, in illum Sancti Iſidori locum irrepſiſſe mendum, quod, ut corrigant, varia ſubſtituunt, ſignificantia, vel locum, in quem delatum fuit corpus Sancti Apoſtoli, vel loculum, quo conditum eſt Sacrum pignus; alii enim pro Marmaricâ ſubſtituunt Tamarica, contendentes ſic vocari eam Regionem, in quam translatum fuit Sacrum cadaver, vel *arca marmorica*, quâ nunc ſepultum eſt.

1397 Ego autem exiſtimo dici poſſe, nullum ſubeſſe errorem, ſed rectè dici, Sanctum Jacobum ſepultum primò fuiſſe in Marmaricâ, deinde in Hiſpaniâ; non enim eſt de Fide, Sanctiſſimum Apoſtolum occiſum fuiſſe Hieroſolymis. Imò Salmeron in Acta Apoſtolorum tract. 8. innuit, Sanctum Jacobum occiſum fuiſſe in Marmaricâ; ait enim:

*In*

*In Marmaricâ cùm duceretur ad supplicium, pacem dedit ducenti se, & simul sunt decollati.*

1398 Id potuit accepisse Salmeron ex libello, qui dicitur esse Sancti Hippolyti Martyris, & habetur in vestibulo Commentariorum Oecumenii in Acta Apostolorum; & ex quo multi suspicantur, accepisse Sanctum Isidorum aliquot ex iis, quæ de Sancto Jacobo scripsit; habetur enim illo libello:

*Jacobus Zebedæi duodecim Tribubus, quæ dispersæ erant, Euangelium prædicavit, sub Herode Tetrarchâ, qui & Agrippa dicebatur, gladio interemptus est. Obdormivit autem Civitate Marmaricâ.*

1399 His consonat Menologium Græcum Basilii Imperatoris, ubi dicitur, Sanctum Jacobum passum fuisse Cæsareæ; constat autem in Marmaricâ fuisse Civitatem, nomine Cæsaream, ut docet Abbas Blasius Terzi à Laureâ in Syriâ Sacrâ.

1400 Fuit etiam Marmara Urbs Syriæ Euphratensis, quæ alio nomine dicitur provincia Comagena, & est prima provincia Syriæ, à vocabulo Comagæ Urbis nuncupata, quæ quondam ibi Metropolis habebatur, ut scribit Sanctus Isidorus lib. 14. Etymolog. sive Originum cap. 3. col. 1163. mihi in corpore Authorum Latinæ linguæ.

1401 Neque difficile fuit Herodi Agrippæ efficere, ut Jacobus interficeretur in provinciis Comagenorum per milites suos; nam misisse milites ad affligendos quosdam de Ecclesiâ, docet Salmeron in Act. Apostolor. cap. 12. tract. 35. ubi ait:

*Dicitur autem misisse Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ: per manus exercitum suum intelligens, ut non rarò accipi solet apud Latinos Authores.*

Et suspiciebatur Herodes Agrippa à Rege Comagenæ, aliisque: de Agrippâ enim ait Josephus lib. 19. cap. 7.

*Suſpiciebatur autem ab aliis Regibus, venitque ad eum Antiochus Comagenæ Rex* &c.

Nihil mirum ergo, Sanctum Jacobum occiſum fuiſſe juſſu Herodis Agrippæ in Marmaricâ, quæ eſt provinciæ Comagenæ. Sicuti olim Urias Propheta ( cui Sanctus Hieronymus componit Sanctum Jacobum, ut ſupra vidimus ) etſi eſſet in Ægypto extra Regnum Joakimi Regis Juda, tamen, ut habetur Jeremiæ cap. 26.

*Miſit Rex Joakim viros in Ægyptum Elnathan filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum, & adduxerunt Uriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Joakim, & percuſſit eum gladio.*

1402 His ſuppoſitis, nihil ſequitur contra Martyrologium Romanum, aſſerens Sancti Jacobi *oſſa ab Hieroſolymis ad Hiſpanias translata fuiſſe.* Non enim Sanctus Jacobus erat inſepultus, antequam transferretur in Hiſpaniam. Potuit enim primò ſepeliri in Marmaricâ, cùm non ſit de Fide, paſſum fuiſſe Hieroſolymis; deinde transferri Hieroſolymas. Potuit, ſi occiſus eſt Hieroſolymis, inde aſportari in Marmaricam, hincque in Hiſpaniam. Unde ſemper verum eſſet, translatum fuiſſe ab Hieroſolymis. Denique, ſi pro Marmaricâ legatur, ut alii volunt, Tamarica locus in Hiſpaniâ, nihil hoc Sancto Iſidoro repugnabit, nihilque Martyrologio Romano contradicet. Ergo non eſt dicendum, ea verba: *Sepultus in Marmarica*, eſſe errorem aſſutum libro Sancti Iſidori.

1403 Multò minus dici poteſt Sanctum Iſidorum ſibi eſſe contrarium, dum capite 71. (ſic habet editio Matritenſis anni 1599. quâ utor, non capite 73.) dicit:

*Hiſpaniæ, & Occidentalium locorum populis* ( *nationibus* dicit Sanctus Iſidorus) *Euangelium prædicavit, & in Occaſu Mundi lucem prædicationis infudit.*

Poſtquam dixerat capite 69. ( non 71. ut nuper ſcriptum eſt;

est ; saltem juxta dictam editionem Matritensem) de Sancto Paulo :

> *Doctrinam Euangelicam suâ prædicatione complevit (implevit* dicit Sanctus Isidorus ) *incipiens enim ab Hierosolymis usque ad Illyricum , & Italiam , Hispaniasque processit , ac nomen Christi multarum manifestavit gentium populis (nationibus* dicit Sanctus Isidorus) *quibus antea non fuerat declaratum.*

1404 Nam Sanctus Isidorus hîc alludit ad verba Sancti Pauli ad Romanos 15. quæ jam ostendimus à numero 221. non repugnare expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi : ergo neque illi repugnant verba Sancti Isidori, quæ ad illam Epistolam alludunt.

1405 Dicere autem , Sanctum Isidorum nomine Hispaniæ , & Occidentalium locorum intellexisse solam Hispaniam , est vim inferre verbis Sancti Isidori , eumque accusare ignorantiæ in re Geographicâ , & Cosmographicâ; nam certum est , latiùs patere loca Occidentalia , quàm patet Hispania , cùm præter Hispaniam , multa sint loca Occidentalia respectu Hierosolymorum.

1406 Neque somniaturos esse dicendi sunt Assertores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi , si affirmaverint , ipsum prædicasse in aliis locis Occidentalibus , præterquam in Hispaniâ , imò somnio proximum videri potest , ipsum prædicasse in Hispaniâ , & non prædicasse in aliis locis , quæ respectu Hierosolymæ sint Occidentalia. Nam posito , quòd Sanctus Jacobus venerit in Hispaniam, & hinc reversus sit Hierosolymam ; necessariò dicendum est , ipsum non solùm prædicasse in Hispaniâ , sed etiam in aliis locis Occidentalibus , quia iter fecit sive terrâ , sive mari ; non enim adstruimus novum miraculum , neque asserimus , Sanctum Apostolum ab Angelo per aerem vectum fuisse à Hierosolymâ in Hispaniam , & ab Hispa-

niâ in Hieroſolymam, ut olim portatus fuit Habacuc à Judæâ in Babylonem, Danieli prandium allaturus, & à Babylone in Judæam (Dan. cap. 14. verſ. 35. & 38.) neque ſolùm in ſpiritu, ut Ezechiel ex terrâ Chaldæorum in Jeruſalem (Ezechiel. 8. verſ. 3.) neque à ſpiritu Domini raptum, ut Philippus in Azotum. (Act. 8. 39. & 40.) Si autem venit, & abiit terreſtri itinere, oportet plura loca Occidentalia priùs peragraſſe, quàm in Hiſpaniam perveniret. Et plura loca Occidentalia attigiſſe, priuſquàm in Hieroſolymam ſe reciperet. Quibus in locis non eſt credendum, ſiluiſſe illam Euangelicam tubam. Si verò venit in Hiſpaniam navigio vectus, & iterum mari receſſit Hieroſolymam, opus fuit præternavigare multa loca interpoſita verſus Occidentem inter Hieroſolymam, & Hiſpaniam, ad quæ credendum eſt, illum appuliſſe, ibique prædicaſſe; nam non eſt credendum, Sanctum Apoſtolum uſpiam à munere prædicandi ceſſaſſe; neque aſſerendum eſt, ipſum rectè ex Paleſtinâ veniſſe ad Hiſpaniam, nullâ aliâ terrâ, vel continenti, vel Inſulâ attactâ, nam eo tempore non ſolebant nautæ tam longum conficere iter, quin ſæpiùs deſcenderent in obvios portus, carebant enim acu nauticâ, aliiſque, quibus noſtrorum nautæ abundant, ex quibus facilior reddita eſt navigatio, unde antiqui frequenter ad portus appellebant, quod videre eſt in pluribus veterum navigationibus; ſed ad hoc oſtendendum, nobis ſatis erunt navigationes Sancti Pauli, quæ narrantur in Actibus Apoſtolorum cap. 20. 21. 27. & 28. quo expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi confirmatur navigationibus, & peregrinationibus Sancti Pauli. Sive igitur Sanctus Jacobus venerit in Hiſpaniam, & ab Hiſpaniâ receſſerit terrâ, ſive mari, ſemper dicendum eſt, ipſum prædicaſſe in aliis locis Occidentalibus, præter Hiſpaniam.

Nihil

1407 Nihil autem officit expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi id, quod dicitur, nempe, quod *Sanctus Paulus non in aliis Regionibus prædicaverit, quàm in iis, quas egrediens de Hieroſolymis peragravit in circuitu uſque ad Illyricum, quæ quidem plures ſunt tum Aſiæ, tum Europæ, quas inter Chryſoſtomus nonnullas etiam Africanas enumerat Homiliâ quarta de laude Pauli.* Nihil officit quod adducitur, ſcilicet, quòd *præter has Regiones, luſtravit quoque Paulus Regiones aliquas Italiæ, & Hiſpaniam ex Actibus Apoſtolorum, & ex Patribus.* Nihil officit, quod ſubjungitur, hoc eſt, quòd *ſors, ac meſſis Gentium Paulo Apoſtolo à Domino deſtinata, ac præſcripta omnes numeratas provincias comprehendit, & præterea nihil*; licèt hoc ultimum ſit falſum, cùm Sanctus Paulus prædicaverit in Galliâ, ut habetur ex Martyrologio Romano die 22. Martii, qui etiam, ut ait Sanctus Iſidorus lib. 7. Originum cap. 9.

> *Ab Oriente, uſque ad Occaſum Euangelium Chriſti omnibus Gentibus prædicavit.*

Imò, cùm totus Mundus datus fuerit Sancto Paulo, tamquam Doctori Gentium, ut docet Abulenſis in Commentariis in Prologos in Sanctum Matthæum, quæſtione 4. ubi ait:

> *Cùm Paulus non acceperit aliquam provinciam ſpecialiter, accepit totum Mundum ad prædicandum: ideo vocatur ipſe Doctor Gentium.*

1408 Nihil, inquam, hæc officiunt, quia ex his non infertur, alios Apoſtolos non prædicaviſſe in locis, in quibus antea declaratum eſt nomen Chriſti, etiam in ſenſu, in quo declaratum eſſe nomen Chriſti, accipitur ab impugnantibus expeditionem Sancti Jacobi, nam declaratum erat nomen Chriſti Damaſci, & Sanctus Paulus prædicavit Damaſci, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum cap. 9. verſ. 20. Declaratum erat nomen Chriſti Hieroſolymis,

& Sanctus Paulus prædicavit Hieroſolymis, ut conſtat ex eodem capite verſ. 29. Declaratum erat nomen Chriſti Romæ, & Sanctus Paulus prædicavit Romæ: ergo quod Sanctus Paulus prædicaverit in Hiſpaniâ, non tollit, quòd priùs in ipſâ declaratum fuerit nomen Chriſti à Sancto Jacobo.

1409 Neque obſtat, Sanctum Iſidorum dixiſſe, Sanctum Paulum fuiſſe *vocatione noviſſimum, prædicatione primum*; quia hoc intelligendum non eſt, fuiſſe primum tempore, ſed primum magnitudine laborum, quos in prædicatione exanthlavit; ut ipſe Sanctus Iſidorus dixerat: *Plus omnibus laborans, multò latiùs inter cæteros verbi gloriam ſeminavit*; quæ conformia ſunt iis, quæ de ſe ipſo dixit Sanctus Paulus 1. Corinth. 15. 10. *Abundantiùs illis omnibus laboravi*; & 2. Corinth. 11. à verſ. 23.

> *Miniſtri Chriſti ſunt (ut minus ſapiens dico) plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A' Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ter naufragium feci, nocte, ac die in profundo maris fui. In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in Civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. In labore, & ærumnâ, in vigiliis multis in fame, & ſiti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate. Præter illa, quæ intrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.*

1410 Quæ omnia abundè probant, Sanctum Paulum, licèt vocatione noviſſimum, fuiſſe prædicatione primum, quia labore prædicationis omnes alios Apoſtolos antecelluit, maximè verò in eo, quod poſtremò dixit: *Solicitudo omnium Eccleſiarum*; alii enim Apoſtoli ſoliciti erant omnes, ſed unuſquiſque tantum Eccleſiarum, quas fundaverat,

Digitized by Google

verat, Sanctum autem Paulum tenebat *solicitudo omnium Ecclesiarum*: ergo etiam ipsum tenebat solicitudo Ecclesiæ Hispaniæ, licèt hæc à Sancto Jacobo fundata fuerit, quia etiam Ecclesia Hispaniæ erat una *omnium Ecclesiarum.*

1411 Ex dictis patet, Sanctum Isidorum non sibi contradixisse, cùm dixit cap. 91. Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, licèt capite 69. dixisset, Sanctum Paulum prædicasse in Hispaniâ, quia uterque potuit prædicare in Hispaniâ, quin alterum excluderet; neutro enim in capite dicit, alterum in omnibus locis Hispaniæ prædicasse; nam sicuti Traditio est, Sanctum Jacobum prædicavisse in Gallæciâ, parte Occidentaliore Hispaniæ, ita Traditio est, Sanctum Paulum venisse in Hispaniam extractu Narbonensi, unde iter est in partem Orientalem Hispaniæ.

1412 Neque obstat id, quod dicitur, nempe, quòd Sanctus Isidorus in doctrinâ antecedentium Patrum versatissimus, nihil de re antiquissimâ ausurus esset dicere, quod illi prorsus neque dixissent, neque insinuassent, imò oppositum.

1413 Non, inquam, obstat, quia in primis est à veritate alienum, antiquos Patres dixisse quid oppositum expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, ut ostendimus supra à numero 575. perpensis omnibus locis Sanctorum Patrum, qui afferuntur pro expeditione Hispanicâ Sancti Pauli. Deinde etiam à veritate alienum est, antiquiores Sancto Isidoro, nihil innuisse de prædicatione Sancti Jacobi; nam ante Sanctum Isidorum, id dixerat Eusebius Cæsareensis in Martyrologio; ante Sanctum Isidorum, id dixerat Sophronius, asserens, Sanctum Jacobum prædicasse duodecim Tribubus per Orbem dispersis, quarum partem fuisse in Hispaniâ negari non potest; ante Sanctum Isidorum, id dixerat Sanctus Severianus. Ulterius

Sanctus

Sanctus Iſidorus multos habuit Authores, quibus nos caremus, ut ex Joanne Ludovico Vives, & ex primis Scaligerianis probat Thomas Popeblount, in Cenſurâ Celebriorum Authorum, pag. 336. ad annum 595. ubi de Sancto Iſidoro. Poſtremò ruit univerſa Scriptorum fides, ſi non eſt credendum docto, & probo viro, niſi quod alius ante ipſum ſcripſerit, cùm id habere potuerit ex maiorum Traditione, vel etiam, (ſi fuit Vir Sanctus) ex revelatione; multa enim ſunt in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quæ non conſtant, niſi ex revelationibus, quibus fidem denegari æquum non eſt.

1414 Unde cùm nulla ſit repugnantia in iis, quæ leguntur in libro Sancti Iſidori de Ortu, e Obitu Patrum circa expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, dici non poteſt, eas lacinias ipſi fuiſſe aſſutas, maximè, cùm nullum exemplar, neque impreſſum, neque manuſcriptum illius libri oſtendatur, quod careat eâ Sancti Jacobi prædicatione; unde nullum fundamentum adeſt ad affirmandum, eum librum fuiſſe interpolatum, illique aſſutum illud additamentum; ſeveriores enim Critici indicium interpolati libri adſtruunt *ſi ſit in veteribus Codicibus ſine additamento*; ut videre eſt apud Joannem Clericum in Arte Criticâ, parte 3. Sect. 2. cap. 2. num. 2. pag. 433. Hanc autem Sancti Jacobi prædicationem in Hiſpaniâ extare in antiquiſſimis Sancti Iſidori Codicibus, ingenuè fatetur Illuſtriſſimus Petrus de Marcâ, Archiepiſcopus tunc Toloſanus, poſtea Pariſienſis, in Epiſtolâ ad Henricum Valeſium ſcriptâ anno 1658. (quo ego natus ſum) ubi ait, locum illum Sancti Iſidori, teſtantis expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, reperiri deſcriptum ante octingentos annos, hoc eſt, ante annum Chriſti 858. Unde obſervo, illum Codicem fuiſſe ſcriptum ducentis & quindecim annis, antequam Sanctus Gregorius VII. in Summum Pontificem

elige-

Digitized by

eligeretur. Electus est enim anno 1073. unde non nisi falsò dici potest, Codicem, de quo loquitur Petrus de Marcâ, esse recentiorem Sancto Gregorio VII. sed juvat, verba ipsius Petri de Marcâ apponere, quæ sic habent:

> *His adjungendum putavi testimonium vetustissimi Codicis manuscripti ex Bibliothecâ Sancti Germani Parisiensis, in quo iste tractatus Isidori ante octingentos annos descriptus, unà cum aliis ejusdem Authoris libris continetur; ubi antiqua Lectio disertissimè præfert Philippum* Gallis *prædicasse, quemadmodum cap.* 82. *habetur* Galliam *illi fuisse assignatam. Nec dissimulandum est, in eodem Codice legi, Hispaniam Jacobo Apostolo datam, eumque Hispanis Fidem prædicasse. Quæ vetusti Codicis authoritas à quibusdam conceptam suspicionem eximere debet vitiatæ fortean loco in illo Lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hispanarum partium studioso. Disceptatur quidem apud eruditos de Jacobi in Hispaniam adventu; ex eo præcipuè capite, quòd Apostoli nondum à Judæâ, sortibus sibi apud Gentes prædicandi distributis, recessissent. Sed quemadmodum authoritate Isidori, qui sua ex prioribus haurire potuit, se tueri possunt Hispani adversus opinionis confictæ novitatem, quæ illis opponi solet, ita nobis de Philippo disserere licet.*

1415 Quandiu igitur Neotericus Adversarius non produxerit Codices Sancti Isidori, antiquiores anno Domini 858. in quibus desit expeditio Hispanica Sancti Jacobi, non probabit, illam ab alienâ manu fuisse assutam libro Sancti Isidori de Obitu Patrum. Et quandiu non produxerit Authores idoneos, antiquiores Sancto Isidoro tam apertè, tam clarè, & tam expressè negantes eam expeditionem, quàm apertè, quàm clarè, quàm expressè illam affirmat Sanctus Isidorus, nihil contra Sanctum Isidorum, nihil contra expeditionem Hispanicam Sancti



Digitized by Google

Jacobi, nihil contra nos illam afferentes conficiet. Nihilque intereſt, reperiatur necne Author antiquior Sancto Iſidoro, qui illam expeditionem ſcripſerit expreſsè, dummodo non proferatur Author antiquior Sancto Iſidoro, qui illam expreſsè negaverit. Imò ſi reperiretur Author antiquior Sancto Iſidoro, illam expeditionem negans, tunc inſtituendum erat examen illius Authoris juxta regulas Critices, & leges à nobis ſupra ſcriptas; conferenduſque eſſet ille Author Sancto Iſidoro Doctori Hiſpano, de re Hiſpanâ loquenti, cui proinde maxima habenda eſſet fides, contra quemcumque Authorem exterum, cujuſcumque alioquin ille fuiſſet authoritatis; dummodo non ſuiſſet Canonicæ.

1416 Iis denique, qui tam liberè afferunt, librum Sancti Iſidori eſſe corruptum, vel interpolatum, oppono illud Sancti Auguſtini, libro contra Adamantium cap. 3. num. 2. tom. 8. editionis San Maureanæ:

> *Quod ſi dicunt, hoc capitulum falſum eſſe, & à corruptoribus Scripturarum eſſe additum (nam hoc ſolent, quando non inveniunt quid reſpondeant, dicere) quid ſi alius dicat, illud eſſe emmiſſum, & falſum, quod ipſi proferunt.*

Ea, quæ opponuntur Breviario Iſidoriano, ſive Mozarabi, inferiùs diluentur, cùm de Breviariis ſermo erit.

## §. II.

## *Sanctus Braulio.*

1417 Æqualis Sancto Iſidoro fuit Sanctus Braulio, Epiſcopus Cæſarauguſtanus, licèt illi ſupervixerit; qui in vitâ Sancti Iſidori, quæ habetur ad librum Etymologiarum, in editione antiquâ ait:

> *Sicut Gregorius Doctor Romæ ſucceſſit Petro, ita Beatus*

Digitized by Google

*tus Isidorus in Hispaniarum partibus doctrina Jacobo succesſit Apoſtolo, ſemina nanque vitæ æternæ, quæ Beatiſſimus Jacobus ſeminavit, hic glorioſiſſimus Doctor Iſidorus verbo prædicationis, quaſi unus ex quatuor Paradyſi fluminibus, ſufficienter irrigavit.*

1418 Circa iſtam Sancti Braulionis authoritatem tria obſervanda ſunt, primum eſt, Sanctum Braulionem obiiſſe anno 646. vixiſſeque temporibus Siſenandi, Cinthilæ, Tulganis, & Cindaſuindi Regum, ut videre eſt apud Sanctum Ildephonſum de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 12.

1419 Secundum eſt, iſtud Sancti Braulionis ſcriptum non eſſe ex iis, quæ Regalis Academia non admittit; ſolùm enim rejicit continuationem Chronici M. Maximi Sancto Braulioni adſcriptam.

1420 Tertium eſt, maximum nuper huic authoritati Sancti Braulionis acceſſiſſe pondus, ex quo relata eſt in Breviarium Romanum in Officio Sancti Iſidori à Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XIII. Pontifice Maximo approbato; nam in Lect. 5. legitur:

*Eumque Sanctus Bralio, non modo Gregorio Magno comparaverit, ſed & erudiendæ Hiſpaniæ loco Jacobi Apoſtoli, cælitùs datum eſſe ſenſuerit.*

1421 Cùm ingenui ſit fateri per quos profeceris, non diffitebor, me hunc Sancti Braulionis locum debere D. Joanni de Salazar in Tractatu Apologetico de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, cap. 8. pag. 83. Lectionem verò Officii Sancti Iſidori, quam hoc anno impreſſam nuperrimè vidi, acceptam refero Reverendiſſimo Patri Fr. Auguſtino à Sanctâ Mariâ, olim Præfecto Maximo (Vicarium Generalem vocant) Eremitarum Nudipedum Sancti Auguſtini, undetriginta voluminum Authori, qui eam affert in Diſſertatione de adventu, & prædicatione

Sancti Jacobi, numero 41. Hæc autem Diſſertatio extat in illius ſtudioſiſſimi Authoris (qui licèt ſit octogenario maior, non ceſſat à ſcriptione utiliſſimorum operum) Hiſtoriâ Tripartitâ, tractactu 2. quam lègi ſemel, atque iterum juſſu Auguſtiſſimi Regis, antequam Typographo traderetur, ut in lucem ederet.

1422 Apud Nicolaum Antonium in Bibliothecâ veteri Hiſpanâ lib. 5. cap. 5. num. 241. lego extare in Bibliothecâ Monaſterii Sancti Æmiliani Cucullati (vulgò San Millan de la Cogolla) libellum *de Adventu Sanctorum Apoſtolorum Jacobi, Petri, & Pauli in Hiſpanias*, ſcriptum (ut exiſtimatur) à Sancto Braulione, quem cùm non viderim, allegare non audeo. Satis habens adduxiſſe pro noſtrâ ſententiâ verba Sancti Braulionis, quorum fit mentio in Officio novo, recitando in feſto Sancti Iſidori.

## §. III.

## *Sanctus Julianus Archiepiſcopus Toletanus.*

1423 SAnctum Braulionem Epiſcopum Cæſarauguſtanum excipit Sanctus Julianus Archiepiſcopus Toletanus, qui in Commentario ſuper Prophetam Nahum, hoc affert teſtimonium, quod extat in Maximâ Bibliothecâ Veterum Patrum editionis Aniſſonianæ, tom. 12. pag. 643. H. ubi de Apoſtolis loquens, ait:

*Iſti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per univerſum Mundum detulerunt. Petrus enim cùm Romæ, Andreas Achaiam, Joannes Aſiam, Philippus Galliam, Bartholomeus Parthiam, Simon Ægyptum, Jacobus Hiſpaniam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, Judas Thaddeus cùm retulit, Meſopotamiam, Jacobus Alphæi cùm retinuit, Hieroſolymam, quiſque ſuâ ſorte*

*sorte Christum spargit sine sorde, per Paulum verò toto dispergitur Orbe.*

1424 Obiit Sanctus Julianus non anno sexcentesimo nonagesimo primo, ut scripsit Natalis Alexander tom. 1. sæculo 1. Dissert. 15. Propos. 2. pag. 159. mihi, neque anno septingentesimo nonagesimo, ut alius scripsit Author, centum errans annos, sed anno sexcentesimo nonagesimo, ut scripsit illius successor in Toletano Episcopatu Felix. Sed hoc opus esse scriptum à recentiori manu, suspicatur leviſſimo fundamento Natalis Alexander, quia nempe in illo reperiuntur duo versus, quos ipse vocat leoninos, scilicet:

*Quisque suâ sorte Christum spargit sine sorde,*
*Per Paulum verò toto dispergitur Orbe.*

Leviſſimo, inquam, fundamento, quia primus, neque leoninus est, neque versus, cùm tertio loco habeat iambum vice spondæi, vel dactili. Secundo autem, licèt sit versus, non est leoninus. Fortasse Sanctus Julianus scripsit versum, primo loco dicens:

*Quisquis sorte suâ Christum spargit sine sorde.*

Sed librarii incuria corrupit, reponens *Quisque suâ sorte* &c. sed nunquam remanet versus leoninus, qui juxta Scaligerum lib. 2. Poetices cap. 29. est ille, cujus cauda respondet ventri, ut in illo:

*Vir precor uxori, frater succurre sorori.*

Et licèt fuissent versus leonini unus, vel alter, non ideo essent argumentum inferioris ætatis. Antiquior fuit Festus Avienus Sancto Juliano, imò & Sancto Hieronymo, & in descriptione terræ scripsit versum leoninum, nempe:

*Belligeratorum genitrix memoranda virorum.*

Utroque antiquior Ovidius, cujus est ille versus:

*Si Troiæ fatis aliquid restare putatis.*

Eodem

1425 Eodem tempore, quo vivebat in Hiſpaniâ Sanctus Julianus, vixit in Angliâ Venerabilis Beda, qui obiit quadraginta annis poſt ipſum, & celebris eſt leoninus verſus, hujus Patris Epitaphium, eo tempore ſculptum:

*Hâc ſunt in foſsâ Bedæ Venerabilis oſſa.*

Ergo ex verſibus leoninis (etiamſi reperirentur in eo Commentario in Nahum) non poterat inferri, illud eſſe opus cùjuſquam Sancto Juliano recentioris.

1426 Neque imminuit fidem illius Commentarii, quod ex unico Codice ſit deſcriptum; nam omnes libri ex ſingularibus ſuorum Authorum Codicibus ſunt deſcripti; & tamen omnibus creditur, niſi incredibilia dicant. Jamque Codex ille Sancti Juliani reperitur impreſſus in antiquis Lectionibus Caniſii, in Bibliothecâ Patrum, editâ à Severino Binio, & in Maximâ Bibliothecâ Patrum editionis Aniſſonianæ.

1427 Neque ad rem eſt, quod dicit Natalis Alexander, illum Commentarium ſolùm explicare quatuor, aut quinque verſus Prophetæ Nahum, niſi quod idipſum deſtruit argumentum, quo volunt abjudicare iſtum Commentarium Sancto Juliano, quia illius non meminit Felix illius ſucceſſor in Catalogo operum Sancti Epiſcopi, quia Felix non ſpopondit nobis Catalogum omnium operum Sancti Juliani tam perfectorum, quàm inceptorum, ut colligitur ex ejus verbis; ait enim:

*Summam librorum ejus, quos per eum Deus ad utilitatem Eccleſiæ ſuæ deprompſit, hinc lector addiſce.*

Commentarius autem in Nahum non dum erat depromptus, quia relictus fuit vix inceptus. Nahum enim Propheta tribus capitibus ſcripſit quadraginta ſeptem verſus, ex quibus Sanctus Julianus expoſuit tantum priores quatuor, neque eos totos. Unde nihil mirum, hoc fragmentum prætermiſſum fuiſſe à Felice.

Qui

1428 Qui versati sunt in re Bibliothecariâ norunt, plurimos Authorum libros fugere Scriptores Bibliothecarum, plures Authores ab iis prætermissos. Exemplo esse possunt Cassimirus Ouden, qui scripsit volumen in octavo, complens 720. paginas de Scriptoribus, vel scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino omissis; & Leonardus Nicodemus, qui scripsit volumen in folio 250. paginas implens, Additionum ad Bibliothecam Neapolitanam Nicolai Toppii, & longè spissiùs posset edere volumen, si vellet omnia, quæ ipsi addenda suggesserat clarissimus Antonius Magliabecchius, quo nullus in Orbe scientior fuit rei Bibliothecariæ, dignissimus ille Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarius, imò Bibliotheca Ambulans; nisi Nicodemus (ut mihi Florentiæ dixit idem Magliabecchius) nollet potiùs parcere sumptibus, quàm Rempublicam literariam ditare opulentissimâ Authorum, librorúmque à Toppio omissorum accessione. Si autem Bibliothecarum Authores, etiamsi diligentissimos fugiunt libri impressi, qui ubique prostant, quidni fugiant Manuscripta in scriniis latentia?

1429 Illud maximè mirandum est, fuisse, qui dixerit, illud Commentarium in Nahum, quod extat in Bibliothecâ Maximâ Patrum Anissonianâ tom. 12. à paginâ 630. non esse Sancti Juliani, quia Commentarium Sancti Juliani depromptum à Canisio ex Bibliothecâ Bavericâ, est mutilum, & vix ceptum, ut inquit Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Veteri Hispanâ, pag. 309. (debuit addere tom. 1. & potuisset adjicere Natalem Alexandrum loco à nobis citato) cùm videamus hoc Commentarium in Bibliothecâ Patrum, non modo ceptum, sed continuatum, nullâ sui parte mutilum, satis prolixum.

1430 Maximè, inquam, mirandum, fuisse, qui hoc dixerit, cùm sit tam longè à veritate alienum, ut constabit

tabit legenti illud Commentarium in citato tomo Bibliothecæ Patrum ; videbit enim , illud non progredi ultra quartum verſum capitis primi Nahum, imò neque totum abſolvere ; nam cùm ille verſus dicat :

> *Increpans mare , & exſiccans illud , & omnia flumina ad deſertum deducens. Infirmatus eſt Baſan , & Carmelus , & flos Libani elanguit.*

Commentarium ſolùm explicat primam partem , nihil dicens de ſecundâ: nihil tractans de infirmato Baſan, & Carmelo , nihil de flore Libani elanguente. Unde poſt illud fragmentum , hæc notatiuncula ponitur :

> *Hucuſque Manuſcriptus Bavaricus : proinde vel mutilus eſt Commentarius , vel certe morte præventus eſt viri Sancti labor : hactenus enim quatuor dumtaxat verſus , nec eos totos expoſuit.*

Quomodo ergo videmus in Bibliothecâ Patrum hoc Commentarium nullâ ſui parte mutilum ?

1431 Quod autem dixit Natalis Alexander , non huic Commentario maiorem adhibendam eſſe fidem, quàm Sacræ Scripturæ , veriſſimum dicit , ſed jam oſtendimus à numero 147. falſiſſimum eſſe , quod ſubdit , nempe ex Sacrâ Scripturâ colligi , Sanctum Jacobum nuſquam in Hiſpanias profectum eſſe ; id enim minimè colligi ex ullo Sacræ Scripturæ loco , abundè probavimus.

1432 Deinde , quod addit , non adhibendam eſſe maiorem fidem Sancto Juliano , quàm Innocentio I. Hormiſdæ , & Gregorio VII. non æquè certum eſt , imò contrarium eſt certius , nam in re ad Hiſtoriam Hiſpaniæ pertinente , potiùs eſt credendum Sancto Juliano Epiſcopo Hiſpano , cui neceſſe eſt fuiſſe res Hiſpaniæ , Patrumque ſuorum Traditiones , quàm Sancto Innocentio , Albano , vel Hormiſdæ Campano , vel denique Sancto Gregorio VII. Saonenſi ; & quod caput eſt , ferè quatuor ſæculis recen-

recentiori, quàm Sanctus Julianus. Præterquamquod jam ostendimus à num. 489. usque ad numerum 562. authoritatem trium eorum Maximorum Pontificum nihil obstare expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi.

1433 Illud minimè concedam Natali Alexandro, quod ille certum existimat, nempe tam errare potuisse Sanctum Julianum in Sancto Jacobo, quàm in Sancto Philippo Apostolo, quem in Galliis prædicasse Euangelium absque fundamento asserit. Nam in primis, non est tam pronum errare in rebus Patriæ nostræ, quàm in rebus ad exteras provincias spectantibus; & facilius est homini Hispano ignorare, quid actum sit in Galliis, quàm quod actum est in Hispaniâ.

1434 Imò in ipsum Natalem Alexandrum retorqueo, quod contra nos emisit telum, asseroque, credibilius esse Sanctum Julianum hominem Hispanum non dicturum falsa de rebus Hispanicis, qui vel de rebus Gallicis scribebat non falsa, sed ad minus probabilia; nam probabilitate non caret, Sanctum Philippum prædicavisse in Galliâ, Galloque Natali Alexandro oppono Gallum Petrum de Marcâ, Authorem longè illustriorem, qui tradit, Sanctum Philippum Apostolum prædicavisse in Galliâ; illiusque profero insignem locum, ex quo non tantum confirmatur expeditio Gallica Sancti Philippi, sed etiam eruuntur plura in confirmationem expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, quæ, si Critici animadvertissent, forsitan abstinuisset oppugnatione celeberrimæ sententiæ, quæ, ut diximus numero 31. sola oppugnari potest ignorantiâ Historiæ, vel neglectu Critices. Ait igitur illustrissimus Præsul in Epistolâ ad Henricum Valesium, jam citatâ numero 1414.

*Possumus quoque Philippi Apostoli operam Galliis vindicare, ipsisque Britannis, ex Isidoro Hispalensi libro de*

*Vitâ, & morte Sanctorum capite* 74. Philippus Gallis prædicat Chriſtum, barbaraſque gentes, vicinaſque tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad ſcientiæ lumen, Fideique portum deducit. *Additque hoc munere perfunctum Philippum in Phrygiam migraſſe, ubi Hierapoli occubuit. Sed quoniam hunc Apoſtolum Gallis quoque, tum Baronius, tum eo duce, alii ſubtrahere conantur, narrationem iſtam ad Galatas Aſiaticos traducendo; non pigebit viri eruditiſſimi, licèt è Novatorum Grege, Uſſerii Armachani verba hic tranſcribere è capite* 2. *de Antiquitatibus Eccleſiarum Britannicarum.* Quod autem de Philippi in Galliis Apoſtolatu habet Freculfus à Malmeshurienſi citatus, ex Iſidori libro de Patribus utriuſque Teſtamenti capite 74. ad verbum expreſſit. Apud utrumque enim legimus, *Philippum Gallis prædicaſſe Chriſtum, barbaraſque gentes, vicinaſque tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad ſcientiæ lucem, Fideique portum deduxiſſe.* Neque hîc mihi Baronii conjectura placet, Iſidori iſta à Gallis noſtris ad Galatas Aſiaticos traducentis; multòque minus nuperi operum Iſidori editoris Jacobi Breulii temeritas, *Galatis* pro *Gallis*, in ipſo textu (ſine ullâ veteris lectionis commemoratione) reponentis. Nam præterquamquod Iſidorus in hoc ipſo opere, capite 82. & in Officio Toletano (quod Gothicum, & Mozarabum vulgò appellatur) itemque Julianus Toletanus Archiepiſcopus, in Nahum Prophetam ſcribens, & Beda (vel quicumque Author fuit Collectaneorum, & Florum) Philippo *Galliam* aſſignant; idemque *Gallis prædicaviſſe Chriſtum*, legitur in libello de Feſtis Apoſtolorum, qui in Hieronymiano Martyrologio M. S. habetur; (ex quo plera-

pleraque omnia in librum ſuum de Patribus Novi Teſtamenti tranſcripſit Iſidorus) illa barbararum gentium Oceano conjunctarum mentio, Europeos Gallos, non Gallo-Græcos ab Iſidoro intellectos eſſe, ſatis evincit. *His ad jungendum putavi teſtimonium vetuſtiſſimi Codicis manuſcripti ex Bibliothecâ Sancti Germani Pariſienſis, in quo iſte tractatus Iſidori ante octingentos annos deſcriptus, una cum aliis ejuſdem Authoris libris continetur; ubi antiqua lectio diſertiſſimè præfert, Philippum Gallis prædicaſſe, quemadmodum capite* 82. *habetur, Galliam illi fuiſſe aſſignatam.*

Hæc Illuſtriſſimus, Sapientiſſimuſque Archiepiſcopus Petrus de Marcâ, qui proſequitur ea, quæ ex ipſo deſcripſimus ſupra num. 1414. cùm de Sancto Iſidoro ageremus.

1435 Hoc autem Petri de Marcâ luculentiſſimum teſtimonium non ſolùm in tuto collocat ea, quæ Sanctus Julianus dicit de Sancto Philippo in Galliâ prædicante, ſed etiam ea, quæ ait de Sancto Jacobo prædicante in Hiſpaniâ. Nec ſolùm vindicat Sanctum Julianum, ſed etiam Freculphum infra adducendum; & ut jam obſervavi citato numero 1414. vindicat Sanctum Iſidorum, de quo illic dixit: *Sua ex prioribus haurire potuit*; hic verò adducit Jacobum Uſſerium aſſerentem, Sanctum Iſidorum pleraque omnia, quæ ſcripſit de Patribus Novi Teſtamenti, tranſcripſiſſe ex libello de Feſtis Apoſtolorum, qui in Hieronymiano Martyrologio M. S. habetur. Unde objici non poteſt Sancto Iſidoro, ſcripſiſſe expeditionem Hiſpanicam, à nullo antea ſcriptam, cùm jam reperiretur in Martyrologio Sancti Hieronymi, in libello de Feſtis Apoſtolorum. Adducit denique Jacobum Uſſerium aſſerentem Sancto Iſidoro Officium Toletanum, quod dicitur Gothicum, ſeu Mozarabum, in quo etiam extat expeditio Hiſpanica S. Jacobi, ut infra videbimus Aſſertione 56. ſed redea-

mus ad S. Julianum, illiuſque Commentarium in Nahum.

1436 Denique, ſi velis dicere, ſtylum hujus Commentarii differre à ſtylo aliorum operum Sancti Juliani, non inde evinces, Sanctum Julianum non eſſe illius Authorem; nam argumentum à diſſimilitudine ſtyli eſt valdè fallax, ut norunt emunctæ naris homines. Alius eſt ſtylus Sancti Hieronymi in Commentariis, alius in tractatibus, & utrique ſunt Sancti Hieronymi. Alius eſt ſtylus Ciceronis in Epiſtolis ad Familiares, alius in Epiſtolis ad Atticum, & utræque ſunt Ciceronis. Et quod caput eſt (ut etiam hoc modo Sanctus Paulus faveat expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi à Sancto Juliano aſſertæ) alius eſt ſtylus Sancti Pauli in Epiſtolâ ad Hebræos, alius eſt in reliquis tredecim Epiſtolis; & tamen omnes quatuordecim ſunt Sancti Pauli, quidquid olim ſuſpicati ſint aliqui Catholici, & quidquid etiam num ogganniant Heterodoxi. Ergo licèt ſtylus Commentarii in Nahum ſit diverſus à ſtylo aliorum operum Sancti Juliani, non inde concluditur, illum ab alio Authore ſcriptum eſſe.

1437 Qui autem confert Sancti Juliani Commentarium erutum ab Henrico Caniſio ex Bibliothecâ Bavaricâ illis Juliani Petri operibus, quæ in lucem prodidit, ſeu quæ finxiſſe dicitur, Hieronymus Roman de la Higuera, palmarem injuriam irrogat Henrico Caniſio, viro integerrimo, nepotique digno tanto patruo, quantus fuit Magnus Petrus Caniſius, Societatis Jeſu; ſed pleraque, quæ dicuntur contra Sancti Juliani Commentarium in Nahum, dicuntur eâdem fide, quâ affirmatur, Julianum Petri, fabuloſum Authorem, prodiiſſe ex Bibliothecâ Bavaricâ. Legatur Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Veteri Hiſpanâ lib. 7. cap. 8. & 9. & patebit, unde fabuloſus Julianus Petri prodierit, & quàm immeritò illius libro conferatur Commentarius in Nahum, ut rejiciatur tamquam ſuppoſititius.

§. IV.

## §. IV.

## *Venerabilis Beda.*

1438 PRofligatis exceptionibus, quæ opponebantur testimonio Sancti Juliani, pergamus ad Venerabilem Bedam, qui in libro inscripto: *Excerptiones Patrum, Collectanea, Flores ex diversis, Quæstiones, & Parabolæ*, qui habetur tomo 3. operum Venerabilis Bedæ, columnâ 485. ait:

> *Apostoli Christi, Prædicatores Fidei, & Doctores Gentium, certis locis in Mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt. Petrus nanque Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Joannes Asiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Licaoniam, Simon Zelotes Ægyptum, Mathias Judæam, Jacobus frater Domini Jerosolymam. Paulo cum cæteris Apostolis nulla sors propria traditur; quia in omnibus Gentibus Magister, & Prædicator eligitur.*

1439 Neque dici potest, hunc librum indignum esse, qui Venerabili Bedæ adjudicetur, ut asserit Bellarminus de Scriptoribus, Possevinus in Apparatu, & alii, satisque esse cuique prudenti legenti, & intelligenti libri hujus nænias, & vetularum fabellas, ut indignissimum judicet ingenio, & eruditione Sapientissimi Bedæ.

1440 Non, inquam, id dici potest; quidquid dicat Bellarminus, quidquid Possevinus, quidquid alii; nam in illo opere noluit Venerabilis Beda relinquere fætum ingenii sui, sed excerpsit ex aliorum scriptis, ideo librum inscripsit Excerptiones. Ex aliis collegit, ideo vocavit Collectanea; & quæ tamquam apis, ex variis voluminum pratis delibavit, ideo dixit Flores; qui scribendi modus

fuit

fuit peculiaris Venerabili Bedæ, ut teſtatur Dupin, tomo 6. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ, cùm de Venerabili Bedâ pag. 89. mihi; ubi ait, Venerabilem Bedam habuiſſe multò plus lectionis, & eruditionis, quàm judicii, & Criticæs; illum collegiſſe indifferenter quidquid inveniebat, quin nimis electionis guſtum patefaceret. Unde dicendum videtur, inde potiùs probari poſſe, eum librum eſſe Venerabilis Bedæ, unde ipſi denegabatur. Excerpſit enim Venerabilis Beda, non habito eo rerum delectu, quem conſulit Hieremias Drexelius in Aurifodinâ Artium omnium part. 2. cap. 2. num. 2. ubi dicit excerpendum cum judicio, ſubjungens:

> *Hìc Rhodus, hìc ſaltus, hìc omnis excerptorum cardo vertitur. Quid tranſeas, quid excerpas, è quibus Authoribus, quo titulo præfixo, quo lemmate adſcripto, quâ claſſe quidvis recipias, noveris. Judicium huic rei aptum, hìc commonere, non autem dare poſſumus. Abſit judicium, & labor cæteroqui utiliſſimus non multum commodabit: judicio res fiat, & laborem fructus non leviter ſuperabit. Vitii eſt omnia, & obvia quæque excerpere, ſed longè maioris eſt vitii nihil excerpere. Malim, te in illam, quàm in iſtam culpam incidere.*

1441 Maluit etiam Venerabilis Beda incidere in culpam omnia, & obvia quæque excerpendi, ut notat citatus Dupin; ſed æmulatus eſt Authores illos, de quibus Aulus Gellius in Præfatione Noctium Atticarum ait:

> *Illi omnes, & eorum maximè Græci, multa, & varia lectitantes, in quas res cumque inciderent, albâ, ut dicitur lineâ, ſine curâ diſcriminis ſolam copiam ſectati converrebant: quibus in legendis ante animus ſenio, aut tædio languebit, quàm unum, alterum ve repereris, quod ſit, aut voluptati legere, aut cultui legiſſe, aut uſui meminiſſe.*

Unde cum eæ Excerptiones, eaque Collectanea optimè correſ-

correspondeant rationi excerpendi, quâ usus est Venerabilis Beda, non est cur illi adjudicentur res alienæ, quas collegit, neque est cur negetur, Venerabilem Bedam res illas collegisse. Quòd autem nunc nescimus, unde singula Venerabilis Beda excerpserit, provenit ex negligentiâ librariorum, qui opera Bedæ descripserunt; ipse enim *ne maiorum dicta furari* (verba sunt Sixti Senensis, in Bibliothecâ Sanctâ lib. 4. ubi de Venerabili Bedâ pag. 218. mihi) *& ea quasi sua propria componere videretur, nomina Doctorum per singula interponere decreverat, & quid à quo Authore dictum esset, nominatim ostendere: sed cùm id ei nimis operosum appareret, primas tantum nominum syllabas in marginibus è regione cujusque sententiæ apposuit, quæ postea librariorum vel insciti â, vel incuriâ ex omnibus exemplaribus periere.*

1442 Omnes autem Authores, qui ex aliis collecta describunt, illud suis lectoribus videntur taciti innuere, quod expressè postulavit A. Gellius in citatâ Præfatione:

> *Petimus, inquam, ut ea non docendi magis, quàm admonendi gratia scripta existiment; & quasi demonstratione vestigiorum contenti persequentur ea post, si libebit, vel libris repertis, vel Magistris. Quæ verò putaverint reprehendenda, his, si audebunt, succenseant, unde ea nos accepimus.*

1443 Licèt igitur plura reperiantur in illo Bedæ opere indigna, quæ à Bedâ docerentur, non ideo indigna sunt, quæ à Bedâ excerperentur, vel adnotarentur in aliis inventa; quot somnia describunt Authores gravissimi ex libris Gentilium, & Hebræorum? quot ex Maurorum, & Barbarorum monumentis? quot incredibilia legimus in libris peregrinationùm? quos Doctissimus Præsul Sluzius, frater Eminentissimi, & eruditissimi Joannis Gualterii Cardinalis Sluzii, vocare solebat Italico sermone *Romanzi de gl' erudititi*, (ut mihi retulit Clarissimus Vir Antonius Maglia-

Magliabecchius) hoc eſt, eruditorum fabulas, ex quibus omnibus, ſiquis quæpiam excerpſerit, ut ex iis deducantur ſimilitudines, aliaque documenta moralia, nullam merebit cenſuram. Idem igitur judicandum eſt de pluribus, quæ reperiuntur in Excerptionibus, & Collectaneis Venerabilis Bedæ.

1444 Incredibilia certè ſunt, quæ eo libro leguntur de Goballo, ave Indicâ; ſed ideo non excerpenda? Minimè. Legimus apud Paulum Venetum, lib. 3. cap. 4. eſſe Inſulam prope Inſulam Sancti Laurentii, in quâ reperiuntur quædam aves tantæ magnitudinis, ut nonnullæ alarum pennæ decem paſſuum menſuram exæquent, tamque immanium virium, ut unguibus attollant elephantem, ut è ſublimi dejectum ictu in fruſta concidant, devorentque. Res eſt planè incredibilis; ideo ne non adnotanda? Minimè.

1445 Alîus monſtroſioris avis (quam aſſerit fabuloſam) meminit Pater D. Raphael Bluteavius, noſtræ Academiæ Socius, noſtrique Clericorum Regularium Ordinis grande ornamentum, in ſuo nunquam ſatis laudato opere Dictionarii Luſitani, octo hucuſque voluminibus comprehenſi, quibus accedent pro Auctario nonum, & decimum, utrumque jam ſub prælo, tomo 7. verbo *Ruc*: ergo ne non excerpenda, quæ de hâc ave ſcribuntur, ſi ex illorum commemoratione quidpiam flecti poſſit in morum cultum, vel in orationis ornamentum? Minimè gentium. Quare igitur erit indignus Venerabili Bedâ liber, in quo ſimilia ſcribuntur?

1446 Accedit, quòd in iis Collectaneis ſunt etiam Parabolæ, ut conſtat ex libri titulo. Quid igitur, ſi dixerimus, plura, quæ ibi reperiuntur, non referri ut Hiſtorias, ſed ut Parabolas. Erit igitur indignus Venerabili Bedâ liber, in quo ſunt Parabolæ? cùm de Chriſto legamus Matthæi 13. 24.

*Hæc*

*Hæc omnia loquutus est Jesus in Parabolis ad turbas: & sine Parabolis non loquebatur eis.*

Quid si dixerimus, ea, quæ eo Bedæ libro leguntur de Goballo ave Indicâ, esse Parabolam? Fortassè satis fuit dixisse, Goballum esse avem in Indiâ, ut significaret, se existimare avem fabulosam, juxta illud Plinii lib. 37. cap. 13. *Exceptis Indiæ fabulosis*; de Indiâ enim *diversa, & incredibilia traduntur*, ut ait idem Plinius lib. 6. cap. 17. Quid si dixerimus, Bedam, sive Authorem, ex quo ille excerpsit Goballum, ideo eam fabulam induxisse, ut inde eliceret illam salutarem admonitionem:

*Et tu homo Goballus habens naturam decoram nimis, quæ generat sapientiam venustam; lapis autem in mari amor divitiarum est, qui seducit hominem* &c.

Sicut Horatius lib. 1. Serm. Sat. 1. inducit fabulam Tantali, ut avarum increpet, dicens:

*Tantalus à labris sitiens fugientia captat*
*Flumina. Quid rides mutato nomine de te*
*Fabula narratur* ——

1447 Neque abjudicandum censeo hunc librum Venerabili Bedæ, ex eo, quòd in ipso legantur nomina Angelorum, quæ non habentur in Scripturâ Canonicâ, licèt in Concilio Romano Zachariâ Pontifice Maximo, prohibitum sit usurpari alia nomina Angelorum, præter tria Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, ut observat Delrio lib. 1. Disquisitionum Magicar. cap. 4. quæst. 4. quia tempore Venerabilis Bedæ, qui, ut docet Cardinalis Baronius, obiit anno 734. non dum prodierat ea prohibitio: illud enim Concilium coactum fuit sub Papâ Zachariâ, qui in Sancti Petri Cathedram ascendit anno 741. quod satis est in defensionem Venerabilis Bedæ.

1448 Scio, Arnoldum de Wion in Ligno vitæ lib. 5. Ramo XII. cap. 101. à pag. 829. mihi, longiùs protra-

here ætatem Venerabilis Bedæ, aſſerereque ipſum obiiſſe 762. ſive 763. ſeptendecim, vel octodecim annis poſt illud Concilium Romanum, quod celebratum fuit anno 745. quæ, etiamſi concedamus, repugnante Cardinale Baronio, non manebit tamen Venerabilis Beda ſine juſtâ defenſione, cui ſubſerviunt plura, quæ de nominibus ſeptem Angelorum ſine crimine uſurpatis videri poſſunt apud Serarium in cap. 12. Tobiæ, quæſt. 10. Cornelium à Lapide in Apocalypſin cap. 1. verſ. 4. Ludovicum de Alcazar in Apocalypſin cap. 1. verſ. 4. Notatione 4. & præcipuè apud Doctiſſimum Joannem Ludovicum de Lacerdâ in libro de Excellentiâ Cœleſtium ſpirituum cap. 5. num. 4. ubi hæc Collectanea, de quibus agimus, tribuit Venerabili Bedæ, & cap. 15. num. 9.

1449 Duo tamen adnotare non prætermittam, unum eſt, Trithemium, quem loco citato arguit Alcazar de uſurpatis nominibus Angelorum, incognitis ab Eccleſiâ, egregiè defendi à Caramuele. Alterum, me anno 1710. vidiſſe in Eccleſiâ Patrum Capuccinorum prope Tuſculum, depictos ſeptem Angelos, circa quandam Deiparæ Imaginem tres à dextris, & tres à ſiniſtris, & ſeptimum inter utroſque, omneſque ſuis nominibus diſtinctos; nam tres, qui cernuntur à dextris, habent deſcripta nomina Michaelis, Raphaelis, & Jehudielis. Qui verò à ſiniſtris, nomina Gabrielis, Urielis, & Barachielis; qui verò in medio cernitur, ſed infra alios, habet adſcriptum nomen Sealtielis.

1450 Neque affirmari poteſt, eos, qui librum, de quo ſermo eſt, adjudicant Venerabili Bedæ, ſequutos eſſe malefidam Sixti Senenſis, & Pitſei Anglici ſententiam. Nam Sixtus Senenſis, cùm loquitur de Venerabili Bedâ, quod facit lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, nihil dicit de hoc libro Excerptionum Patrum, ſed tantum loquitur de Collectaneis Expoſitionum in Sacram Scripturam, & præcipuè in

in omnes Epistolas Sancti Pauli libris quatuordecim, quos ex omnibus operibus Divi Augustini eisdem sententiis, ac verbis in unum coacervatis collegit. Et subdit Sixtus Senensis:

> *Sunt, qui existimant, hæc Collectanea, quæ nunc sub titulo Bedæ satis confuso ordine, & parum accommodatâ expositione circunferuntur, non esse ea, quæ Beda ipse adunavit, sed quæ Bartholomæus quidam Urbinus Augustinianus, Author operis, quod* MILLELOQUIUM AUGUSTINI *dicitur, ut cumque consarcinavit.*

Excerptiones autem Patrum, Collectanea, Flores ex diversis, Quæstiones, & Parabolæ, non sunt Collectanea Expositionum Sacræ Scripturæ, de quibus loquitur Sixtus Senensis, cujus proinde immeritò accusatur sententia, tamquam malefida.

1451 Eodem (hoc est nullo) jure accusatur etiam mala fides Joannis Pitsei Anglici; nam ille edidit primum tomum de Rebus Anglicis anno 1619. in quo pag. 135. accenset quidem operibus Venerabilis Bedæ.

> *Excerptiones, Collectanea, Flores, Quæstiones, & Parabolas ex Patribus librum unum*: Dic mihi, quæso, quæ est mulier?

Sed pag. 138. ait:

> *Opera ejus pleraque variis in locis excusa circunferuntur octo ut plurimum tomis in folio.*

Ante Pitseum autem reperitur ille Excerptionum liber, adscriptus Venerabili Bedæ ad calcem tomi tertii operum Bedæ à columnâ 480. editionis Colonienſis anno 1612. Scio, alias esse operum Bedæ antiquiores editiones, sed illas non vidi, unde nescio, an in illis reperiatur hic liber; sed hæc anni 1612. cùm sit antiquior editione libri Joannis Pitsei, satis est ad demonstrandum, immeritò argui ipsius malam fidem.

1452 Fateor ex illâ Epiſtolâ diſcipuli Bedæ, quam affert Cardinalis Baronius tomo 9. ad annum Chriſti 731. num. 20. & quæ legitur in veſtibulo primi tomi operum Venerabilis Bedæ, citatæ editionis Colonienſis anni 1612. non probari illa Collectanea, de quibus loquimur, eſſe genuinum fætum Venerabilis Bedæ: ſicuti olim exiſtimavit probari Vir Doctiſſimus Joannes de Ferreras, in eruditiſſimâ Diſſertatione de Prædicatione Euangelii in Hiſpaniâ per Sanctum Apoſtolum Jacobum Zebedæum num. 22. quod judicium Vir Sapientiſſimus, & modeſtiſſimus anno 1723. revocavit, in Diſſertatione Apologeticâ de eâdem Prædicatione num. 93. licèt in primâ preſuaſione habuerit præſtantiſſimos duces Excellentiſſimum, inquam, Marchionem de Mondexar in Prædicatione Sancti Jacobi, cap. 26. fol. 145. verſ. & Doctiſſimum Carmelitanum Franciſcum de Jeſu Xodar, in Diſcurſibus de Prædicatione Apoſtoli Sancti Jacobi, Diſcurſu 2. pag. 63. & 64. Conſtanter tamen nego, illam Epiſtolam eſſe ſimilem Epiſtolæ Uriæ, falſum enim eſt, quod ſupponitur, illam Epiſtolam diſcipuli Venerabilis Bedæ quidquam nocere noſtræ ſententiæ; nam neque abjudicat Venerabili Bedæ librum, de quo agimus, neque detrahit fidem iis, quæ ſupra diximus de Sancto Iſidoro, aſſerente prædicationem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quod utrunque breviter, ac dilucidè demonſtro.

1453 Ea Epiſtola non loquitur de libro inſcripto *Excerptiones Patrum, Collectanea, Flores ex diverſis, Quæſtiones, & Parabolæ*; ſed de alio opere longè diverſo, ut mox conſtabit: ergo ſicuti non adjudicat, ita neque abjudicat Venerabili Bedæ librum, de quo differimus. Utriuſque operis diverſitatem innuit etiam Clariſſimus Ferreras, citato numero 93. eamque colligit ex titulorum diverſitate. Et jure meritò cenſet, hunc librum Excerptionum ex Patribus,

Digitized by Google

bus, non esse illum, qui dicitur scriptus à Venerabili Bedâ, paucis diebus ante mortem, hoc titulo: *Excerptiones ex libris Isidori.* Nam primus liber continet Excerptiones ex pluribus Patribus, ut ex titulo constat, & ex eodem libro ostendi potest. Postremus liber continet Excerptiones ex solo Sancto Isidoro, ut constat ex assertione discipuli Bedæ. Unde demonstratum est, eum secundum librum nihil officere libro Excerptionum ex Patribus.

1454 Eâdem claritate demonstrabitur, illum postremum Bedæ fætum nihil derogare authoritati libri Sancti Isidori, asserentis prædicationem Hispanicam Sancti Jacobi; neque ex illo inferri, fuisse quasdam falsitates in libris Sancti Isidori, quas Beda inde excerpsit, avulsit, & collegit, ne veras discipuli putarent, eas legendo. Neque inferri, si Beda ex libro Sancti Isidori de Ortu, & Obitu Patrum excerpsit prædicationem Sancti Jacobi in Hispaniâ, ut dicit Cardinalis Aguirrè, ipsum Bedam eam prædicationem falsam credidisse, & ut falsam esse crederent pueros suos, seu discipulos monuisse.

1455 Legatur Epistola, in quâ ante illa verba: *Et de libris Isidori. Excerptiones quasdam*, sic dixit discipulus ille Bedæ:

> *In istis autem diebus duo Opuscula memoriæ digna (exceptis Lectionibus, quas quotidie accepimus ab eo, & cantu Psalmorum) facere studuit, id est, à capite Euangelii Sancti Joannis, usque ad eum locum, in quo dicitur:* Sed hæc quid sunt inter tantos? *in nostram linguam ad utilitatem Ecclesiæ Dei convertit; & de libris Isidori Episcopi Excerptiones quasdam dicens:* nolo ut pueri mei mendacium legant, & in hoc post obitum meum, sine fructu laborent.

1456 Legatur Epistola, in quâ paulò post hæc verba Venerabilis Bedæ, subdit illius discipulus:

*Et*

*Et mane illuſceſcente, id eſt, quartâ feriâ, præcepit diligenter ſcribi, quæ cœperamus, & hoc fecimus uſque ad horam tertiam. A' tertiâ verò horâ ambulavimus cum Reliquiis Sanctorum, ut conſuetudo illius diei poſcebat, & unus ex nobis erat cum illo, qui dixit ei:* Adhuc capitulum unum de libro, quem dictaſti, deeſt, & videtur mihi difficile tibi eſſe te interrogare. *At ille inquit*: Facile eſt, accipe calamum, tempera, feſtinanterque ſcribe: *& ille fecit ita.*

1457 Et inferiùs proſequitur idem Bedæ diſcipulus: *Diem ultimum in lætitiâ uſque ad veſperum duxit. Et præfatus puer nomine Wilberch adhuc dixit*: Magiſter dilecte, reſtat adhuc una non deſcripta. *At ille*: Bene, *inquit*, conſummatum eſt, veritatem dixiſti.

1458 Quod colligitur ex tribus his clauſulis, eſt, Venerabilem Bedam poſtremis vitæ ſuæ diebus ſtuduiſſe facere duo Opuſculà memoriæ digna, ſed utrunque linguâ Anglicâ. Primum fuit translatio, ſeu verſio priorum quinque capitum, & novem priorum verſuum ſexti capitis Euangelii Sancti Joannis. Secundum verò tranſlatio quarundam Excerptionum de libris Sancti Iſidori Epiſcopi. Nam illud primæ clauſulæ *in noſtram linguam ad utilitatem Eccleſiæ Dei convertit*, tam reſpicit illa capita Euangelii Sancti Joannis, quàm *& de libris Sancti Iſidori Epiſcopi Excerptiones quaſdam*; quia illud *Excerptiones quaſdam*, eſt accuſativus caſus verbi activi *convertit.*

1459 Et hoc ſecundum Opuſculum fuiſſe verſionem libri ſcripti, cujus capita jam nota erant, librario ſcribenti, ab ipſoque numerata, conſtat ex illis ſecundæ clauſulæ verbis: *Adhuc capitulum unum de libro, quem dictaſti, deeſt*; nam ſi fuiſſet liber, qui de novo componebatur à Venerabili Bedâ, non poterat puer ille ſcribens, ſcire quid deeſſet. Ergo liber erat, cujus ultimum caput non dum erat

tranſ-

translatum. Quod clariùs cognoscitur ex verbis pueri, tertiâ clausulâ relatis: *Magister dilecte, restat adhuc una non descripta*; quibus exprimitur, quòd restabat adhuc una Excerptio, vel una pagina, vel una linea, non dum translata in Anglicanam linguam.

1460 Ratio autem, ob quam Venerabilis Beda voluit ea in linguam vernaculam transferre, expositа fuit ab ipso, dum dixit: *Nolo ut pueri mei mendacium legant, & in hoc post obitum meum sine fructu laborent.* Scilicet ne pueri, qui linguam Latinam ignorabant, legerent mendacia, quæ Anglicis libris scripta erant; & ne qui linguam Latinam non perfectè callebant, sine fructu laborarent in legendis illis capitulis Sancti Joannis, & illis Excerptionibus Sancti Isidori Latinè scriptis. Et ideo non dixit Beda: *Nolo ut discipuli mei*, sed *nolo ut pueri mei mendacium legant.* Constat enim, eo tempore multos mendacis scatentes libros Anglicè scriptos, omnium manibus versatos fuisse, ut libri Eremitæ Britanni, qui ut ait Pitseus ad annum 720.

> *Multa collegit, sed ita ut non rarò miscuerit*: Seria nugosis, pia pravis, Sacra profanis, *fabulosa denique veris; sic enim ex Vincentio in Historiali speculo colligi facilè potest. Scripsit opus quoddam de Josepho Arimathensi ad Walivanum quendam, quod inusitato titulo insignivit, in quo nugacis magis, quàm subtilis ingenii specimen dedisse mihi videtur: Opus enim sic vocat: Sanctum Graal librum unum. De Rege Arthuro, & rebus ejus gestis, librum unum de Mensâ Rotundâ, & strenuis Equitibus librum unum. Et alia pleraque nugis mixta.*

1461 Versabantur tunc temporis in manibus omnium libri Melchini Auclonii, qui commisit fabulosa veris, qui etiam scripsit de Regis Arthuri Mensâ Rotundâ. Ex quâ prodiere plura mendaciorum fercula. Hoc igitur erat mendacium, quod à pueris suis Beda nolebat legi, &

ideo

ideo linguâ vulgari illis apponebat ea capita Sancti Joannis, eaſque Excerptiones de Sancti Iſidori libris, quibus magnâ cum utilitate fruerentur.

1462 Unde immeritò dicitur, illum Bedæ diſcipulum ſcripſiſſe de Venerabili Magiſtro ſuo, quod de Sancti Iſidori libris collegerit, excerpſerit, avulſerit falſitates, ne veras diſcipuli putarent; nam in primis ibi non loquitur de quibuſcumque diſcipulis, ſed de pueris; neque proclive erat, eo tempore intruſa fuiſſe mendacia in libros Sancti Iſidori, qui tunc erat Author recens, utpote mortuus non ante centum annos. Præterea ſi Venerabilis Beda avulſiſſet ex aliquo libro mendacia ne legerentur, non diceretur feciſſe Opuſculum, neque excerpſiſſe, ſed deleviſſe, aliud enim eſt delere, aliud excerpere, & aliud excerptiones in maternam linguam convertere; hæc duo fecit Beda, non illud primum.

1463 Unde illa Epiſtola diſcipuli Venerabilis Bedæ, non eſt Epiſtola Uriæ, quæ noceat, ſed eſt Epiſtola commendatitia, quæ laudat Excerpſiones de libris Sancti Iſidori, dicit enim, eas translatas fuiſſe in linguam Anglicam in utilitatem Eccleſiæ Dei. Deſervitque Sancto Iſidoro ea Epiſtola eâdem ratione, quâ Corinthii Sancto Paulo, qui 2. Corinth. 3. 2. illis dixit: *Epiſtola noſtra vos eſtis.* Quem locum explicans A Lapide, ait:

> *Eſtis mihi inſtar Epiſtolæ commendatitiæ, ab omnibus lectæ, & intellectæ, quam pro meâ commendatione exhibeo, quibus volo.*

Eodem ſenſu exponit eundem locum Juſtinianus; eodem Eſtius, ſed maiori energiâ dicens:

> *Vos ipſi, inquit, eſtis Epiſtola noſtra, id eſt, noſtri commendatitia: Nec præter vos, aliam requiro.*

Non aliam requirit commendationem illis Excerptionibus S. Iſidorus, præter illam diſcipuli Bedæ Epiſtolam.

Argu-

Digitized by Google

1464 Argumentum autem efficacius ad probandum illas Excerptiones, & Collectanea, in quibus dicitur, Sanctum Jacobum forte accepisse Hispaniam, esse opus Venerabilis Bedæ, eruitur ex ipso loco, de quo disceptatur. Nam certum est, Venerabilem Bedam legisse librum Sancti Isidori de Ortu, & Obitu Patrum; certum etiam est, illum aliquid excerpsisse ex eo libro; utrumque enim fatetur Venerabilis Beda in Retractatione in caput primum Actuum Apostolorum. Deinde certum est, eam divisionem Apostolorum, quam legimus in Collectaneis, totidem fermè verbis referri in libro de Ortu, & Obitu Patrum, lecto à Venerabili Bedâ; quidni igitur dicamus, ea Collectanea scripta fuisse à Venerabili Bedâ, eximio imitatore Sancti Isidori, ut legenti utriusque opera patebit.

1465 Neque admirandum est, in iis Collectaneis dici, Sanctum Philippum prædicasse in Galliâ, cùm nihil vulgatius fuerit per ea tempora; legebatur enim in libro Sancti Isidori, legebatur in Officio Mozarabi, & præcipuè legebatur ab Anglis (cujus nationis erat Venerabilis Beda) in libris Gildæ, antiquissimi Historici Britanni, ex quo idem docet Polydorus Virgilius libro 2. Anglicanæ Historiæ, & ex hoc Pitseus tom. 1. Relationum Historicarum de rebus Anglicis, titulo de Antiquitate Ecclesiæ Britannicæ, pag. 12. Imò ex prædicatione Sancti Philippi in Galliâ per Angliam notissimâ, inferri potest, illud Opusculum esse Bedæ Doctoris Angli. Legatur iterum citata Epistola Petri de Marcâ ad Henricum Valesium in quâ probat, Sanctum Philippum prædicavisse in Galliâ, idque extare in libro Sancti Isidori de Ortu, & Obitu Patrum, sicuti & expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, idque in Codice tunc octingentis annis antiquiore, scribebat autem Doctissimus Præsul Petrus de Marcâ anno 1658. Unde Codex ille, quem citat, antiquior erat anno

858. & ducentis & quindecim annis antiquior electione Sancti Gregorii VII. Pontificis Maximi, cujus authoritatem nobis ſæpiùs objicit Neotericus Adverſarius expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, cùm tamen nihil ea Epiſtola Sancti Gregorii VII. nobis officiat, ut jam demonſtratum eſt Aſſertione 27.

1466 Illud poſtremò adjicio, nempe ea Collectanea ſive ſint ſcripta à Venerabili Bedâ, ſive ab alio, non tam contemnendæ authoritatis eſſe, quin ex ipſis tota Eccleſia acceperit nomina trium Magorum, qui adoravere Chriſtum in Præſepio recenſnatum; nullus enim Author antiquior Bedâ, illorum nomina aperuit. Primus fuit Venerabilis Beda ex Authoribus, qui nunc extant, qui illa ſcripſit, & quidem in hoc libro Excerptionum, & Collectaneorum, in quo ait, dici illis fuiſſe nomina Melchioris, Caſparis, & Balthaſaris, quibus nunc toto Orbe noſcuntur.

1467 Contra hæc omnia videtur obſtare, quod Venerabilis Beda in Martyrologio ad Idus Maii ſcribit:

> *Natale Sanctorum Confeſſorum Torquati, & Iſefontis, Secundi, Indalæcii, Cæcilii, Eſitii, Euphraſii, qui à Sanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, ad prædicandum verbum Dei ad Hiſpanias, tunc adhuc Gentili errore implicatas, directi ſunt.*

1468 Idem, quod Venerabilis Beda, dicunt Sanctus Ado Viennenſis, & Uſuardus eodem die. Si igitur, quando Sancti Apoſtoli miſerunt in Hiſpanias hos ſeptem Epiſcopos, adhuc Hiſpani, vel Hiſpaniæ erant Gentili errore implicati: ergo Sanctus Jacobus non prædicaverat in Hiſpaniâ, quia quando Sancti Apoſtoli erant Romæ, jam Sanctus Jacobus occiſus fuerat.

1469 Hoc argumentum, quod videtur noſtram ſententiam proſternere, illam maximè fulcit. Nam oſtendit potuiſſe

potuisse prædicare & Sanctum Jacobum, & Sanctum Paulum in Hispaniâ. Quia, ut jam animadverti à numero 542. si illi septem Episcopi prædicaverunt post Sanctum Paulum, quomodo adhuc Hispani erant Gentilium erroribus implicati? Si Sanctus Paulus prædicavit in Hispaniâ post illos septem Episcopos, quomodo non prædicavit in provinciis, in quibus jam prædicatus erat Christus? Solutio est, quia septem Episcopi prædicaverunt in locis, in quibus Sanctus Paulus Hispanos non converterat: ergo similiter Sanctus Paulus prædicavit in Hispaniâ in locis, in quibus Sanctus Jacobus non prædicaverat: ergo expeditione Hispanicâ Sancti Pauli confirmatur expeditio Hispanica Sancti Jacobi.

## §. V.

## *Martyrologium Blumani.*

1470 NOn solus Beda totum occupat sæculum octavum, ut existimavit Magnus Franciscus de Macedo in Diatribâ de Adventu Sancti Jacobi in Hispaniam pag. 221. nam anno 772. hoc est, 38. à morte Venerabilis Bedæ, scriptum est illud Exemplar Martyrologii Blumani, in Codice Monasterii Sancti Petri Wilemburgensis scripti, quod publicæ luci dedit Franciscus Maria Florentinius cum Martyrologio Lucensi, pag. 1055. ubi hæc leguntur:

> *Jacobus, qui interpretatur Supplantator, filius Zebedæi, frater Joannis. Hic ad Spaniam, & Occidentalia loca prædicat, & sub Herode gladio cæsus occubuit.*

Ad quæ verba subjungit Cardinalis de Aguirre tom. 1. Concilior. Hispaniæ, Dissertatione 9. Excursu 5. num. 53.

> *Vide quomodo adhuc in Germaniâ esset celebris jam ea Traditio, paulo post medium octavi sæculi.*

## §. VI.

## *Sanctus Beatus Præsbyter Libanienſis.*

1471 AD finem ſæculi octavi vixit in Hiſpaniâ Sanctus Beatus Præsbyter Libanienſis, Monachus, Abbaſque Benedictinus, ut ex Doctiſſimo Mabillonio ſcribit Nicolaus Antonius in Bibliothecæ Hiſpanæ Veteris libro *6.* cap. 2. n. 38. Sanctus hic Vir ſcripſit Commentaria ſuper Apocalypſin, quorum antiquiſſimi Codices Manuſcripti extant in pluribus Bibliothecis, ut videre eſt apud ipſum Nicolaum Antonium, loco citato, numero 41. cui addo Codicem illum, quem dicit, fuiſſe in Bibliothecâ Excellentiſſimi Comitis de Mondexar, nunc extare Matriti in Bibliothecâ Regiâ, ad quam aſportati fuerunt omnes libri illius Marchionis. Sanctus hic Beatus in his Commentariis ſuper Apocalyſin, lib. 2. ſcripſit de Apoſtolis:

> *Hi duodecim ſunt Chriſti diſcipuli, Prædicatores Fidei, & Doctores Gentium; qui dum omnes unum ſint, ſinguli autem eorum ad prædicandum in Mundum ſortes proprias acceperunt: Petrus Româ, Andreas Achaiâ, Thomas Indiâ, Jacobus Spaniâ, Joannes Aſiâ, Matthæus Macedoniâ, Philippus Galliâ, Bartholomæus Lycaoniâ, Simon Zelotes Ægypto, Jacobus frater Domini Jeruſalem. Paulo autem cum cæteris Apoſtolis nulla ſors traditur propria, quia in omnibus gentibus Magiſter, & Prædicator eligitur.*

1472 In Præfatione hujus operis aſſerit Author, ſe ſua collegiſſe ex libris Victorini, Iſidori, & Aprigii; cùm autem ea, quæ libro 2. dicit de duodecim Apoſtolis, noſque modo deſcripſimus, ſint eadem, quæ leguntur in libro de

de Ortu, & Obitu Patrum cap. 81. (nisi quod Sancti Mathias, & Judas prætermitantur in libro S. Beati, certè negligentiâ librarii, cùm Author dixerit *hi duodecim*) novum hinc insurgit argumentum ad probandum esse Sancti Isidori librum de Ortu, & Obitu Patrum, ut ego observavi, cùm hæc legerem apud Cardinalem de Aguirre, sed remissus ab ipso ad Dissertationem Marchionis de Mondexar, reperi cap. 22. pag. 131. ipsum ante omnes id animadvertisse.

1473 Neque elevat authoritatem S. Beati Præsbyteri Libanensis, de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi scribentis, quod etiam scripserit, Sanctum Philippum prædicasse in Galliâ, quia hoc non est tam apertè falsum, ut modo asseritur, cùm id scripserint alii acuratissimi Scriptores, ut supra vidimus, cùm de Sancto Isidoro, & de Sancto Juliano, ac proinde immeritò dicitur, S. Beatum, aliosque priscos Authores scribentes expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, sibi inexplorata scripsisse.

## §. VII.

## *Martyrologium Gelonense.*

1474 CIrca annum octingentesimum quartum, scriptum est illud Exemplar Martyrologii Gelonensis, quod Parisiis edidit Lucas D' Acherius Gallus tom. 13. Spicilegii, in quo hæc leguntur:

> *Jacobus, qui interpretatur Supplantator, filius Zebedæi, frater Joannis: hic Spaniæ, & in Occidentalia loca Prædicator, & sub Herode gladio cæsus occubuit.*

Ergo licèt negari possit, Eusebium Cæsareensem fuisse Authorem Martyrologii, cujus hæc sunt Exemplaria, tamen negari non potest, Gelonense scriptum fuisse initio

tio ſæculi noni; & Wiſemburgenſe, ſeu Blumanum ſcriptum fuiſſe ante finem ſæculi 8. nempe anno 772.

1475 Obſervandum eſt, omnia teſtimonia hucuſque relata, antiquiora eſſe anno ſexto decimo ſæculi noni, quo repertum eſt in Gallæciâ corpus Sancti Jacobi, ut ſcribit Cardinalis Baronius ad eum annum numero 52. Unde manifeſtè conſtat, Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi non duxiſſe ortum ex inventione illius Sacri corporis; quod inferiùs latiùs proſequemur, cùm de Traditione.

## §. VIII.

## *Freculphus Lexovienſis.*

1476 EOdem ſæculo nono floruit Freculphus, ex Monacho Fuldenſi Ordinis Sancti Benedicti, Epiſcopus Lexovienſis, qui tomo 2. Chronici, libro 2. cap. 4. ait:

> *Jacobus filius Zebedæi, frater Joannis, duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione Gentium ſcripſit, atque Hiſpaniæ, atque locorum Occidentalium Euangelium prædicavit; & in Occaſum Mundi lucem prædicationis infudit. Hic ab Herode Tetrarchâ gladio occiſus occubuit, ſepultus intra Marmaricam.*

Et infra ſubjungit:

> *Domini Diſcipuli, Prædicatores Fidei, & Doctores Gentium, qui dum omnes unum ſint, ſinguli tamen certis locis in Mundo ad prædicandum partes proprias acceperunt. Quod, ut breviter repetam, Petrus nanque Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus Hiſpaniam, Thomas Indiam, Joannes Aſiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Gallias, Bartholomæus Lycaoniam,*

*Simon*

Digitized by Google

*Simon Zelotes Ægyptum, Mathias Judæam, Jacobus frater Domini Hierusalem, Judas frater Jacobi Apostoli Mesopotamiam. Paulo autem cum cæteris Apostolis nulla sors propria traditur, quia in omnibus gentibus Magister, & Prædicator eligitur.*

1477 Circa quem Authorem, quem Possevinus in Apparatu Sacro vocat Historicum sui temporis non incelebrem, observandum est primò, ipsum Historiam suam collegisse ex variis Authoribus, ut testatur in Præfatiunculâ tomi secundi, ubi ait: *Ex diversis Authorum libris colligere curavi.*

1478 Observandum secundò, ea, quæ de Apostolorum prædicatione tradidit, videri ad verbum desumpta ex Sancto Isidoro, ut utriusque loca conferenti patebit. Nam ut alia prætermittam, Sancto Jacobo Zebedæi tribuit & prædicationem, & Epistolam ad Tribus duodecim; & sepulchrum intra Marmaricam, Sancto Philippo Apostolo tribuit prædicationem in Galliis.

1479 Observandum tertiò, & præcipuè id, quod dicit in Præfatione totius operis ad Elisacharum præceptorem; ubi ait:

*Porro nomina Authorum, ex quibus ea collegi, quæ in septem libris concluſi, id circo non ubique inserui (ut præmonuisti) quoniam in his, in quibus concordare videbantur, sensum eorum, quæ elegeram, compendiosè complexus sub brevitate dictare studui. Eorum autem nomina adnotare decrevi, sive nostrorum, sive Gentilium, sententiasque illorum assumpsi, ut in suis habentur libris, qui variando à cæteris exorbitare videntur.*

1480 Cùm autem ex libro Sancti Isidori de Ortu, & Obitu Patrum assumpserit prædicationem Sancti Jacobi, ut in ejus libro habetur; neque adnotaverit nomen Sancti Isidori, signum est, non visum fuisse Freculpho Sanctum Isido-

Digitized by Google

Iſidorum variando à cæteris exorbitare, ſed potiùs cum reliquis Authoribus concordare; quod non leve eſt noſtræ ſententiæ fulcimentum.

1481 Hoc opus Freculphi extat in Maximâ Bibliothecâ Patrum editionis Lugdunenſis anni 1677. apud Aniſſonios; ſed prima illius editio eſt Colonienſis, anno à Chriſto nato 1539. in folio, apud Melchiorem Noveſianum, qui in Epiſtolâ ad Lectorem de Freculpho ait:

> *Imitatus in hoc ſtudii genere, ut apparet, D. Auguſtinum in libro de Civitate Dei, ita feliciter, ut neque fide, neque commodiſſimo ſervato Hiſtoriæ ordine, neque perſpicuitate, quidquam ipſi concedat.*

1482 Extat hæc Freculphi prima editio in ſelectiſſimâ Bibliothecâ R. P. D. Joſephi Barboſæ, Clerici Regularis, eruditiſſimi Regalis Academiæ Socii, Regiæque Brigantinæ Domus Chronologi; eâque libentiùs uſus ſum, quia eſt antiquior, quàm controverſia de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, antiquior editionibus Chronicorum, quæ malè audiunt apud Criticos.

## §. IX.

## *Walafridus Strabo.*

1483 CIrca medium noni ſæculi vixit Walafridus Strabo, qui in Poemate, quod inſcribi poteſt de Templo Deiparæ, licèt in eo agat non ſolùm de Sancta Mariâ Virgine, ſed de tredecim Apoſtolis; & reperitur in Maximâ Bibliothecâ Patrum Aniſſonianâ tomo 15. à pag. 253. ſub titulo Sancti Jacobi fratris Joannis, ait:

> *Hic quoque Facobus cretus genitore vetuſto*
> *Delubrum Sancto defendit tegmine celſum,*

*Qui*

*Qui clamante pio ponti de margine Christo,*
*Linquebat proprium panda cum puppe parentem.*
*Primitus Hispanas convertit dogmate gentes,*
*Barbara Divinis convertens agmina dictis,*
*Qui priscos dudum ritus, & lurida fana,*
*Dæmonis horrendi decepti fraude tenebant.*

## §. X.

## *Sanctus Notkerus.*

1484 EXeunte sæculo nono, & ineunte decimo, vixit Sanctus Notkerus, cognomento Balbulus, utpote qui dicitur obiisse anno 912. qui cum Henbano condiscipulo suo in celeberrimo Monasterio Sancti Galli scripsit Martyrologium, quod evulgavit in Antiquarum Lectionum tomo 6. Henricus Canisius, in quo Martyrologio ad diem 25. Julii Sancto Jacobo sacram, hæc de ipso habet:

*Hujus Beati Apostoli Sacratissima ossa ad Hispanias translata, & in ultimis earum finibus, contra mare Britannicum condita, celeberrimâ illarum gentium veneratione coluntur; nec immeritò, quia ejus corporali præsentiâ, & doctrinâ, atque signorum efficaciâ, ibidem Populi ad Christi Fidem conversi referuntur, ad quorum Fidei confirmationem, etiam Beatissimus Paulus Apostolus se iturum est pollicitus.*

1485 Neque quidpiam detrahit de certitudine hujus Historiæ verbum illud *referuntur*, quin nominentur Authores, à quibus referuntur; nam per verbum *refertur*, & per verbum *fertur* explicatur Traditio; prioris fideijussorem habeo Sanctum Augustinum Sermone 15. de Sanctis, ubi loquens de solemnitate Cathedræ Sancti Petri, ait:

*Inſtitutio feſtivitatis hodiernæ à ſenioribus noſtris Cathedræ nomen accepit, ideo quòd primus Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatûs Cathedram ſuſcepiſſe* REFERATUR.

1486 Poſterioris teſtem adduco S. Maximum Epiſcopum, Homiliâ 1. de Epiphaniâ, ubi ait:

*In hâc, dilectiſſimi, celebritate, ſicut relatu* paternæ Traditionis *inſtruimur, multiplici nobis eſt feſtivitate lætandum.* FERUNT *enim* hodie *Chriſtum Dominum noſtrum, vel Stellâ duce à Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertiſſe, vel ſuſcepto à Joanne Baptiſmate conſecraſſe fluenta Jordanis, ſuumque ſimul purificaſſe Baptiſtam.*

1487 Cùm autem Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Maximus his in locis Traditionem explicaverint per verba *referatur*, & *ferunt*, quin exprimerent Authores, æquè dicendum eſt, Sanctum Notkerum per verbum *referuntur*, quo uſus eſt, quin nominaret Authores, à quibus referuntur, explicare Traditionem. Hæc verò placuit adnotare, ut præcluderem effugium Adverſariorum, qui verbum illud *referuntur* detorquere vellent ad imperiti vulgi rumores; nam ſi ex illis verbis, unum apud Sanctum Auguſtinum, & aliud apud Sanctum Maximum ſignificant Traditionem, non verò vulgi rumorem, cur apud Sanctum Notkerum ſignificabit imperiti vulgi rumorem, & non veram Traditionem? Obſervoque Sanctum Notkerum expreſſè dixiſſe *referuntur*, non verò *ut fertur*. Sed utroque modo æquè explicaret Traditionem, vel idoneos Authores, licèt illos non nominaret.

§. XI.

Digitized by

## §. XI.

## *Sisnandus Episcopus.*

1488 ANno Christi 914. vixit Sisnandus Episcopus, & Ecclesiæ Sancti Jacobi Sacerdos Apostolicus, qui condidit Monasterium Sancti Sebastiani ad radices montis Illicini, idque Kalendis Februarii ejusdem anni amplâ donatione ditavit, quæ extat in Appendice tomi 4. insignis Antonii Yepes fol. 438. in quâ loquens de illo monte, ait:

> *Quondam Illicinus dictus est, post adventum Sancti Jacobi, mons Sacer est appellatus, qui à septem Pontificibus discipulis Beati Jacobi, aspersus Sacramento salis, & aquæ, & ab omni spurcitiâ diaboli, & afflatu pestiferi draconis purgatus.*

1489 Et Kalendis Septembris ejusdem anni, hoc est, Æræ 952. aliam scripsit donationem eidem Monasterio (quæ eodem loco apud eundem Yepes reperitur, & est 14.) quâ dicit:

> *Domino Sancto, glorioſoque Dei Martyri, ac Triumphatori Sebastiano, cui Basilica fundata est ad radicem montis, qui ab antiquis vocatus est mons Sacer.*

1490 Cùm Sisnandus Episcopus Hispanus, & in Hispaniâ vivens anno 914. scripserit, Sanctum Jacobum venisse in Hispaniam, & post illius adventum inditum fuisse monti Illicino nomen *Mons Sacer*; perspicuum est, nullâ veritatis specie dici posse, ignotam fuisse Hispaniæ expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi anno 1074. quo Sanctus Gregorius VII. scripsit ad Reges eam Epistolam, de quâ loquuti sumus Assertione 27. & non nisi sine fundamento dici potest, eos Reges tunc ignoravisse, Sanctum

Jacobum veniſſe in Hiſpaniam. Quod ſi ignoraſſent, non inde inferri poteſt, omnes alios Hiſpanos idem ignoraviſſe. Multa enim ſciunt ſubditi, quæ Principes ignorant, etiamſi ſint peritiſſimi artis regnandi. Neque ſemper recordantur omnium, quæ in Regnis ſuis acciderunt, imò neque eorum omnium, quæ illis ipſis regnantibus evenere, cujus egregium exemplum habemus in Sacrâ Paginâ cap. 6. libri Eſther, ubi legitur, Regem Aſſuerum dixiſſe: *Quid pro hâc fide honoris, ac præmii Mardochæus conſequutus eſt?* Et tamen Mardochæus patefecerat inſidias Eunuchorum, ipſum Regem Aſſuerum jugulare cupientium. Et Rex ignorabat, nullo præmio donatum fuiſſe Mardochæum, cùm id Aulici perſpectum haberent.

## §. XII.

## *Calixtus Secundus.*

1491 UNdecimi ſæculi fine, & duodecimi initio, hoc eſt, anno 1119. evectus eſt ad Sedem Apoſtolicam Calixtus II. dicendus meritò Apoſtoli Sancti Jacobi Maioris Maximus Apoſtolus, quia ipſum altiori voce de editiſſimo ſolio Vaticano prædicavit, & plura in laudem Sancti Jacobi Scripſit, quorum meminit Poſſevinus in Apparatu Sacro, pag. 288. & Auguſtinus Oldoinus in Athenæo Romano, parte 1. pag. 5. Is igitur, præter alia loca, Sermone 1. in Vigiliam Divi Jacobi, ait:

> *Jacobus verò tonitruavit, Domino ei præcipiente, in omni Judæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ limitem Gallæciæ.*

1492 Et Sermone 3. de Sancto Jacobo loquens, ait: *In terram alienigenarum gentium pertranſivit, quoniam*

*ab*

Digitized by Google

*ab Hierosolymis usque ad Gallæciam nomen Dominicum divulgavit. Bona, & mala in hominibus tentavit: quia in Judaico, & Gentili Populo doctrinam Euangelicam inseruit.*

1493 Neque cum Cardinale Baronio, dubitante de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi ex levissimo, vel potiùs nullo fundamento, dubites, hæc scripta esse à Calixto II. quia iis non est usus Archiepiscopus Compostellanus contra Toletanum, quia etiam si illa disceptatio vera extitisset, argumentum ab authoritate negativâ nihil probat. Deinde certum est, illud Manuscriptum, quod tanti fecit Cardinalis Baronius, meram esse fabulam, ut multis probat Marchio de Mondexar, in Prædicatione Sancti Jacobi cap. 11. 12. & 13. à paginâ 44. usque ad paginam 90. & nos jam ostendimus parte secundâ hujus Dissertationis à numero 653. usque ad 709.

1494 Et ipse Cardinalis Baronius, mutato sapienter consilio, adjudicat Calixto II. quem citavimus, librum de miraculis Sancti Jacobi, ut videre est tomo 12. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Christi 1121. num. 4. ubi ait:

*Fuit planè Calixtus studiosissimus Sancti Jacobi Compostellani, & de ejus miraculis volumen confecit, quorum nonnulla recitat in suo Speculo Historiali Vincentius Bellovacensis.*

1495 Unde mirandum est, Dupin tomo 9. Bibliothecæ Authorum Ecclesiasticorum pag. 43. non tribuisse Calixto II. aliud opus, præter nonnullas Epistolas; quatuorque Orationes ipsius de Sancto Jacobo dixisse, indignas esse Calixto II. Cùm tamen Joannes Mariana, emunctissimæ naris vir, in Disputatione de adventu Sancti Jacobi Apostoli Maioris in Hispaniam, cap. 12. pag. 21. de eisdem Orationibus dicat:

*Potiùs*

*Potiùs Authoris gravitatem, & eruditionem, & elegantiam præſe ferunt.*

1496 Neque detrahit fidem his Calixti II. Orationibus, dici ipſas editas fuiſſe à Joanne Marianâ, homine Hiſpano, & qui pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi validè decertaverat. Nam in primis opus eſt, ut probetur, iſtas Orationes editas fuiſſe à Joanne Marianâ. Et certè non probabitur ex Philippo Alegambe, neque ex Nathanaele Soutuelo in Bibliothecis Societatis Jeſu, neque ex Nicolao Antonio, neque ex Andreâ Schoto in Bibliothecis Hiſpaniæ, neque ex Auguſtino Oldoino in Athenæo Romano, cùm de Calixto II.

1497 Deinde nullus Hiſtoriæ non ignarus, nullus Critices non negligens aſſeret, eas Orationes fuiſſe à Marianâ confictas, vel ab ipſo interpolatas, ſi meminerit, pluribus annis antequam ederentur, productas fuiſſe à ſcribentibus pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; nam primò editæ ſunt Coloniæ anno 1618. in Bibliothecâ Patrum tomo 15. & productæ ſunt ab Excellentiſſimo Caſtellæ Comiteſtabili, Diſcurſu 1. pag. 15. anno 1605. à Franciſco de Jeſu Xodar, Diſcurſu 2. num. 13. pag. 75. anno 1612. Eorundem Sermonum Calixti II. meminit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die 25. Julii, quas edidit Romæ anno 1586. triginta duobus annis, antequam ederentur illi Sermones. Unde conſtat, eas Orationes non fuiſſe à Joanne Marianâ confictas, neque Calixto II. ſuppoſitas.

1498 De libris Calixti II. plurimiſque Authoribus, & Breviariis ipſos allegantibus legatur doctiſſimus D. Michael Erçe Ximenes, in Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, parte 1. tract. 1. cap. 10. 11. 12. & 13.

1499 Extant hi libri plurimis in Bibliothecis, nempe in Bibliothecâ Collegii Balliolenſis in Oxoniâ; in Bibliothe-

bliothecâ Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ, ut ait Casimirus Oudin in Commentario de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis, tomo 2. col. 1007. & sequentibus, ubi latè de operibus Calixti II. Extant Romæ in Bibliothecâ Basilicæ Sancti Petri, ut scribit D. Michael Erce Ximenes, loco citato cap. 11. num. 12. fol. 24. col. 3. Extant pluribus aliis Bibliothecis, ut videre est apud Excellentissimum Marchionem de Mondexar, in Prædicatione Sancti Jacobi in Hispaniâ capite 15. pag. 95. & existimo etiam extare Matriti in Bibliothecâ Regiâ, eo ductus argumento, quod Clarissimus Vir, qui latere voluit sub nomine D. Andreæ Durana, Matriti scribens, allegat folia, & lineas libri Calixti II. scioque hunc Authorem sæpe se abdere in Regiam illam, locupletissimamque Bibliothecam. Alia argumenta silentio premo.

1500 Si tamen morosi Critici perstiterint in negando contra tot Authorum fidem, illa opera esse Calixti II. nihil detrahent certitudini Expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, quam asserunt tot Authores longè antiquiores illo Summo Pontifice, quos jam dedi. Calixtum autem adducere volui, cùm propter eximiam pietatem erga Sanctum Jacobum Maiorem, quâ hic Pontifex ab ineunte ætate, usque ad mortem semper flagravit; tum propter sanguinis propinquitatem, quæ interceſſit inter Calixtum II. Pontificem Maximum, & Comitem Henricum, Lusitani Imperii Conditorem, Alphonsi Primi Lusitanorum Regis Parentem, quæ tanta fuit, ut Henricus, & Calixtus communem habuerint Avum Rinaldum Comitem Burgundiæ, ut (licèt diversis viis incedentes) probant, in Genealogiâ Comitis Henrici à paginâ 50. Eduardus Ribeiro de Macedo, Regius Senator, & ad Gallorum Regem Prolegatus, Vir Doctissimus; & in Indice gloriæ Domûs Farnesiæ à pag. 668. Vir Clarissimus D. Ludovicus

cus Salazar & Caſtro, Commendator Zoritæ, Procurator Generalis Ordinis Calatravenſis, Chronologus Maximus Caſtellæ, & Indiarum, Catholicæ Maieſtati à Conſiliis, in Regio Militarium Ordinum Tribunali, & Præfectus Generalis Archivorum eorundem Ordinum, vir *in cujus ingenii dotibus, rectitudine, & eruditione reſident certiores notitiæ, claraque Hiſtoriarum comprehenſio*, ut ait Excellentiſſimus D. D. Didacus de Aſtorga & Ceſpedes, Archiepiſcopus Toletanus, in Epiſtolâ datâ Matrito die 19. Junii anno 1726. quæ præfixa eſt libro Hiſpanicè conſcripto, cui titulus: *Defenſa Chriſtiana Politica, y verdadera de la Primacia de las Eſpañas*; cujus Author ſe vocat Nicaſium Hiſpalenſem, & in ejuſdem operis parte 2. capite 2. num. 37. pag. 167. laudat D. Ludovicum de Salazar, ut unum è viris in Hiſpaniâ notioribus propter eam, quâ fulget, ſapientiam. Digniſſimus planè eſt D. Ludovicus de Salazar, qui effuſiùs laudetur à laudato viro; eſt enim Genealogicorum noſtri ſæculi Princeps, à plurimis, doctiſſimiſque ſcriptis voluminibus toto Orbe celeberrimus, & qui nunquam niſi ſummâ cum laude nominandus à probis viris; quemque ego pro modulo meo jam laudavi non ſemel in meo Catalogo Hiſtorico Maximorum Pontificum, & Cardinalium Luſitanorum &c. qui extat in 5. tomo Collectionis Actorum Regalis Academiæ Hiſtoriæ Luſitanæ.

## §. XIII.

## *Otho Friſingenſis.*

1501 EOdem duodecimo ſæculo ad medium properante obiit Otho Friſingenſis, Epiſcopus inſignis (teſte Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis) nobilitate, pietate, & doctrinâ, qui fuit S. Leopoldi V. Mar-

Digitized by Google

Marchionis Austriæ filius, Henrici IV. Imperatoris nepos, Henrici V. sororius, Conradi Regis frater uterinus, Friderici patruus, qui animam Deo redidit in Monasterio Morienundensi, cujus olim extiterat Abbas. Hic scripsit septem libros Chronicorum; libro autem tertio cap. 5. ait:

*Jacobus jam ab Herode decollatus fuerat, qui tamen prius, uti dicitur, Hispanis prædicaverat.*

## §. XIV.

## *Metellus Tegerseensis.*

1502 AD finem duodecimi sæculi, hoc est, circa annum 1160. vixit Metellus Tegerseensis, sive Tegersensis, antiquissimus Boicorum Poetarum, ut ait Casimirus Oudin in Supplemento de Scriptoribus, vel scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino omissis, ad annum 1060. pag. 334. mihi, & de ipso agit tomo 2. Commentarii de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis, columnâ 1446. Is conscripsit carmina Lyrica, quæ inscripsit Quirinalia, eo quod sint in laudem Sancti Quirini Martyris, quæ extant in Appendice tomi 1. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, pag. 37. & edita etiam sunt à Joanne Mabillonio, tomo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, pag. 663. in iis autem expeditiones Apostolorum innuens, ait:

*Lydica Regna quondam*
*Persida cum principibus, progenieque Regum*
*Se Fidei dederunt*
*Primitivis Ecclesiæ temporibus subacta.*
*Rebus Apostolorum*
*Strenuè gestis. Domini jura libens recepit*
*Cælica totus Orbis.*

*Indiæ de finibus, ortus dat, ubi diem Sol,*
*Quæ tenet arva Thomas.*
*Uq ſue SPANOS occidui ſideris ora clauſos,*
*Quos JACOBUS docebat.*

1503 Quanta autem ſit falſitas illius narrationis, cui Baronius nimiam adhibuit fidem, apertè oſtenditur ex tot teſtimoniis antiquioribus Concilio Generali XII. Lateranenſi IV. in quo illud Manuſcriptum aſſerit, negatum fuiſſe ab Archiepiſcopo Toletano, legi quidpiam de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.

## ASSERTIO L.

### *Probatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi ex monumentis à quarto Concilio Lateranenſi, uſque ad Concilium Tridentinum.*

1504 PLures Authores à Concilio Lateranenſi quarto, uſque ad Tridentinum ſcripſere, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ; non eſt animus referre omnes, præcipuos tamen recenſere hîc non prætermittam.

1505 Sit primus Vincentius Bellovacenſis, clariſſimum lumen Ordinis Prædicatorum, quem ingreſſus eſt ſub illius initia, ut teſtatur Quetif tomo 1. Scriptorum ejuſdem Ordinis, pag. 214. ac proinde, non longè poſt quartum Concilium Lateranenſe. Is in Speculo Hiſtoriali tomo 4. lib. 8. cap. 7. ait:

> *Jacobus ſpeciales diſcipulos habuiſſe legitur: tres Hieroſolymis, unum in Galliciâ, cum adhuc viveret Apoſtolus, elegiſſe dicitur.*

Hoc

1506 Hoc Vincentii loco primo verbum illud *legitur*, quo apertè dicitur, per ea tempora jam scriptam esse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, eamque lectam fuisse, unde immeritò asserit Cardinalis Baronius, eam scriptam non fuisse, quia Archiepiscopus Compostellanus nullum produxit Authorem in confictâ illâ disputatione cum Archiepiscopo Toletano.

1507 Scio, Vincentium carpi à Melchiore Cano, Critico ejusdem instituti, sed egregiè defenditur à Quetif, libro citato, paginâ 235. columnâ 2. & quoad expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, consonat Clarissimis Authoribus hucusque adductis, ipsique subscribunt innumeri, quorum non paucos afferemus Appendice tertiâ hujus Dissertationis.

1508 Eodem sæculo tertio decimo vixit Thomas Cantipratensis, ejusdem Ordinis, Episcopus Suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis, Beati Alberti Magni discipulus, & Sancti Thomæ Doctoris Angelici condiscipulus, qui in libro 2. de Apibus cap. 25. num. 2. pag. 243. ait:

> *Primò Cornelium, postea Romam obtulit Petrus, Maria Magdalena preciosum unguentum. Paulus ferè totum Mundum. Apostoli cæteri singulas Regiones: utpote Andreas Achaiam, Jacobus Maior Hispaniam, Joannes Asiam*, &c.

1509 Medio quarto decimo sæculo vixit Clemens VI. Pontifex Maximus, electus anno 1342. natione Gallus, professione Monachus Benedictinus, qui 15. Kalendas Novembris, anno septimo Pontificatûs sui scripsit Alphonso Castellæ, & Legionis Regi Epistolam, quam nobis exhibet Clarissimus Author Odoricus Raynaldus, Congregationis Oratorii, dignissimus Cardinalis Baronii successor in continuando egregio opere Annalium Ecclesiasti-

corum, tomo 16. paginâ 277. ad annum Chriſti 1348. num. 21. in quâ Epiſtolâ Sapientiſſimus Pontifex ait:

> *Nunquid Beatus Jacobus, per quem Hiſpaniis Euangelicæ veritatis lumen reſplenuit, & Sacri Baptiſmatis innotuit Sacramentum in Hiſpaniis ortus eſt?*

1510 Luculentiſſimum hoc tanti Pontificis teſtimonium, quod fugit alios diligentiſſimos expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi Aſſertores, & contra quod nihil excipi poteſt, mihi ſubminiſtravit eruditiſſimus Regalis Academiæ Socius, Virque acerrimi judicii Franciſcus Leitaõ Ferreira, quem non ſemel laudavi in meo Catalogo Hiſtorico Summorum Pontificum, & Cardinalium Luſitanorum, maximè pag. 14. ſed nunquam ſatis pro merito optimi Viri; qui ut Hiſtoriæ, & Critices ſcientiſſimus, expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi eſt Aſſertor egregius adverſus eos, qui vel Hiſtoriam ignorant, vel ipſam ignorare ſimulant, Criticenque omninò neglectui habent.

1511 Eodem quarto decimo ſæculo anno 1349. obiit Nicolaus de Lyra, Ordinis Minorum, Clariſſimus Sacrorum Voluminum Interpres, qui (ut ait Wandingus in Scriptoribus Ordinis Minorum) *ita vixit, ut ad iſta uſque tempora vix parem habuerit, ne dum ſuperiorem, vel ſanctitate vitæ, vel doctrinâ, & ſcriptis.* Tantus igitur Vir tom. 4. in Commentariis in caput 1. Abdiæ ad illa verba: *Et tranſmigratio Hieruſalem, quæ in Boſphoro eſt*, ſic ait:

> *In Hebræo* Sepharat, *id eſt, in Hiſpaniâ, ut dicit Rabbi Salomon, quod fuit impletum per Jacobum Apoſtolum, ob ejus diſcipulos, ibi Chriſti Fidem prædicantes, & colla Gentium ſubjugantes.*

1512 Sæculo quinto decimo expeditionem Hiſpanicam prædicavit ſui temporis Thaumaturgus, Ordinis Prædicatorum eximium decus Sanctus Vincentius Ferrerius, qui

qui obiit anno 1418. tomo 3. Sermone de Sancto Jacobo Maiore Apostolo.

1513 Eodem sæculo eandem expeditionem docuit Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, qui dicitur obiisse circa annum Domini 1440. de quo dictum est:

*Hic stupor est Mundi, qui scibile discutit omne.*

Alphonsus Tostatus, de quo Alphonsus Garcias Matamorus, in libro de Academiis, & doctis Viris Hispaniæ, ubi agit de Academiâ Salmanticensi, ait:

*Sed ex tam infinitâ Doctorum hominum multitudine, quantum hæc ætas habuit, nemo, citra controversiam, ad Alphonsi Tostado Episcopi Abulensis laudem aspiravit: cui si alio, quàm suo sæculo vivere contigisset, neque Hipponæ Augustinum, neque Stridoni Hieronymum, nec alium quempiam ex illis Proceribus Ecclesiæ antiquis invideremus. Excellentis vir ingenii fuit, & admirandæ memoriæ, Divinæ etiam sapientiæ, & antiquitatis peritissimus. Dignus fortasse, qui post quatuor Ecclesiæ Doctores cum Sancto Isidoro, & Thomâ, de quinto loco certaret.*

1514 Episcopus igitur Abulensis talis, & tantus Vir testatur expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, idque non uno, sed pluribus locis, non semel, sed sæpiùs; nam in Commentariis in priorem Prologum in Euangelium S. Matthæi quæst. 4. fol. 28. E. mihi ait:

*Provenit autem tunc Beato Matthæo Æthyopia quantum ad partem Nubianorum; & Beato Jacobo Hispania* &c.

& infra:

*Venerunt illis in sortem provinciæ illæ, in quibus prædicaverunt, de quibus patet in Historiis singulorum.*

& parte 3. ad cap. 10. S. Matthæi quæst. 33. fol. 229. K.

*Isti Jacobo assignata est in sorte prædicationis provincia Hispaniæ.*

&

& apertiùs parte 4. ad cap. 17. S. Matthæi, quæſt. 13. fol. 202. C. mihi ait:

> *Ille, qui occiſus eſt ab Herode Act. 12. ſcilicet:* Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio: *& ille eſt, qui venit prædicaturus in Hiſpaniam, ubi & ſepultus manet.*

1515 Anno 1459. in Cœlum abiit S. Antoninus, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Florentinus, Vir Sanctiſſimus, & Doctiſſimus, qui primâ parte Hiſtoriarum titulo 6. cap. 7. pag. 405. mihi, de Sancto Jacobo Maiore loquens, ait:

> *Hic igitur poſt Adventum Spiritûs Sancti ad Hiſpaniam acceſſit ad prædicandum.*

Non me latet Sanctum Antoninum etiam carpi à Melchiore Cano, ſicut ſupra dixi carpi Vincentium Bellovacenſem, idque eodem loco, hoc eſt, cap. 6. lib. 11. de locis Theologicis, pag. 378. mihi, ſed eadem, quibus probavi credendum eſſe Vincentio expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi narranti, evincunt credendum etiam eſſe Sancto Antonino ipſam ſcribenti.

1516 Anno Chriſti 1468. obiit Joannes Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, Præsbyter Cardinalis Sancti Xyſti, qui Commentario in cap. 20. Sancti Matthæi, & in Quæſtionibus Euangelicis, in feſto Sancti Jacobi aſſerit illius expeditionem Hiſpanicam.

1517 Anno 1471. abiit ad Superos Beatus Dionyſius Rickelius Carthuſianus, de quo ſcribit Morotius in Theatro Chronologico Sacri Carthuſienſis Ordinis, parte 4. §. 64. pag. 88. mihi:

> *Anno ab obitu, (qui incidit in ſæculi quarti decimi unum & ſeptuageſimum) centeſimo & trigeſimo ſeptimo, cùm per Henricum Cuyckium Epiſcopum Ruremondenſem ejus corpus elevaretur pollex, ac index manus dexteræ, integri, carno-*

Digitized by Google

*carnosi, & vividi apparuere, ac si ea die humati. Vivus in membris à naturâ ad scribendum efformatis, quid aliud indicat, quàm elucubrationibus sibi immortalitatem comparasse?*

1518 Is igitur Clarissimus Doctor tom. 2. Homiliarum Sermone 1. de Sancto Jacobo Apostolo, folio 270. verso, de ipso ait:

*Tertia laus ejus est instantia, quam habuit in prædicando. Nam primò prædicavit in Judæâ, atque Samariâ. Deinde in Hispaniam profectus, in quâ dum se parum proficere cerneret, rediit in Judæam. Et in isto possumus considerare quàm mirabilia, & terribilia sint judicia Dei. Propter quod dixit Propheta*: Venite, & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. *Ecce enim gloriosus iste Apostolus Christo tam familiaris, ejusque consobrinus, in Hispaniâ prædicans, non nisi novem homines ibi convertit: imò ait Joannes Beleth, unum dumtaxat, cùm tamen Apostoli alii in Regnis Gentilium, ad quæ profecti sunt, tot millia converterunt, & post mortem hujus Apostoli, per miracula circa ejus corpus exanime facta, tam multi in Hispaniâ sint conversi. Deinde per ejus discipulos innumerabiles ibi ad Fidem perducti sunt salutarem. Porro aliquid simile huic legitur in Actibus Apostolorum*: Vetati sunt, *inquit Lucas, Paulus, & Silas*, à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asiâ, & non permisit eos Spiritus Jesu, *& tamen postea, Deo inspirante, prædicaverunt in eâ.*

Hæc Dionysius Carthusianus.

1519 Hunc locum licèt longiusculum libentiùs excripsi, quia in eo non solùm scribitur à Sapientissimo Dionysio Rickelio Carthusiano expeditio Hispanica Sancti Jacobi, sed etiam pro ipsâ citatur Joannes Beleth, quem Neotericus Adversarius producit capite 1. suæ Dissertationis,

tionis, ut apertè tradentem *tertio decimo anno à Domini Aſcenſione Apoſtolos ad prædicationem Gentium è provinciis Judæorum diſceſſiſſe.* Cùm tamen Joannes Beleth non aſſerat eos duodecim annos de morâ Apoſtolorum Jeroſolymis, ſed eos tantum referat ex mente aliorum capite 139. & nihilominus capite 140. aſſerit, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, quod hîc teſtatur Dionyſius.

1520 Præterea iſto in loco teſtatur Dionyſius, Sanctum Jacobum fuiſſe Chriſti Domini conſobrinum; unde certum eſt, judicaſſe hunc Apoſtolum fuiſſe Chriſti conſanguineum, quod dixi numero 67.

1521 Deinde locus iſte Dionyſii ſimilis eſt illi Sancti Hieronymi, qui expenſus eſt ſupra à num. 1318. ubi conſideravi judicia Dei circa Uriam, & Jeremiam, producto exemplo Sancti Jacobi prius occiſi, & Petri, atque aliorum Apoſtolorum, qui manſerunt reſervati ad doctrinam Domini, hoc eſt, ad proſequendam doctrinam Domini diutiùs quàm Sanctus Jacobus; non enim dicit Sanctus Hieronymus, Apoſtolos reſervatos eſſe ad doctrinam Gentilium, ſed ad doctrinam Domini.

1522 Ulteriùs in loco iſto diluitur argumentum, quod opponebatur expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi ex modico fructu, cui reſponſum à nobis eſt à num. 359. Nam Joannes Beleth, & cum ipſo Dionyſius teſtantur eam expeditionem, cùm tamen aſſerant modicum fructum illius.

1523 Denique exemplo Sancti Pauli confirmatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, dum Dionyſius, narrato modico fructu illius, aſſerit quid ſimile legi in Actibus Apoſtolorum de Sancto Paulo.

1524 Anno 1483. ſcripſit opus infra citandum Jacobus Philippus Foreſtus, dictus à Patriâ Bergonenſis, Ordinis Sancti Auguſtini, quem ſummis laudibus effert Dona-

Digitized by Google

Donatus Calvus, ejusdem Ordinis, in libro Italicè conscripto, cui titulus: *Scena letteraria de gli Scrittori Bergamaschi*, à pag. 196. mihi, ubi inter alia ait, vocatum fuisse à Renato Choppino *Clarissimum Ecclesiæ lumen.* Is in Supplemento Chronicorum (quod eodem anno 1483. edidit, libro 8. ad annum Domini 43. de Sancto Jacobo Maiore loquens, ait:

> *Cùm universam prædicando peragrasset Hispaniam, in quâ novem tantum conquisierat discipulos, reversus in Judæam.*

& infra:

> *Cujus Sacratissima ossa ab Hierusalem ad Hispaniastper discipulos suos translata referunt, ubi vivens prædicationis officium exercuerat.*

1525 Sæculo sexto decimo, anno illius primo, vivebat Joannes Nauclerus, Præpositus Tubingensis Germanus, & Tubingensis Academiæ Cancellarius, qui volumine secundo suæ Geographiæ, Generatione 2. pag. 402. ait:

> *In illo autem tempore Beatus Jacobus Apostolus germanus Joannis Euangelistæ venit in Hispaniam.*

1526 Eodem sæculo, anno illius septimo, edidit Salutiis Joannes Ludovicus Vivaldus Pedemontanus, ortus Monte Regali, ex Ordine Prædicatorum, Episcopus Arbensis, librum inscriptum *Opus Regale*, & in eo tractatum de pugnâ partis sensitivæ, & intellectivæ, in quo fol. 35. verso ait:

> *Jacobus filius Zebedæ, frater Joannis, relicto patre, verum Patrem secutus est. Hic dicitur Jacobus Maior ad differentiam alterius triplici ratione. Primò, quia primus vocatus fuit à Christo. Secundò ratione familiaritatis, quia Christi ipsum ad secreta sua admittebat, ut patet in Transfiguratione Matth. 17. c. Tertiò ratione*

*paſſionis, quia primus inter Apoſtolos fuit ad Dei gloriam per martyrium tranſlatus, ut habetur Actuum 12. c. Poſtquam enim in Judæâ, & Samariâ prædicavit, totam Hiſpaniam, atque Occidentalia loca euangelizando perluſtravit, tandem reverſus in Judæam, ab Herode gladio cæſus eſt.*

Eodem ſæculo, & anno illius ſexto decimo obiit Baptiſta Mantuanus, Ordinis Carmelitarum, qui tomo 2. libr. 7. de Sacris diebus, de S. Jacobo hæc habet:

*Annua Maiori vigeſima quinta Jacobo*
*Sacra dies aperit: Chriſti matertera, Mater*
*Hujus erat, genitor verò Zebedæus in altum*
*Primus hic ex Chriſti ſociis migravit Olympum.*
*Ipſe ubi diſcedens, petiit ſua Regna Magiſter,*
*Longum iter ingreſſus eſt, noſtri maris omnia vidit*
*Littora, & Hiſperias, ubi Sol jam feſſus anhelis*
*Intrat equis magnum Oceanum, pervenit ad oras.*

1527 Anno trigeſimo primo ejuſdem ſæculi edidit plures tomos Homiliarum Joannes Eckius, natione Germanus, qui, ut ſcribit Poſſevinus in Apparatu Sacro, fuit *Catholicæ Fidei adverſus Lutherum, ac reliquos Hæreticos propugnator inſignis.* Is autem tomo 3. Homiliâ de Sancto Jacobo, pag. 275. de ipſo Apoſtolo ait:

*Poſt diviſionem Apoſtolorum in Hiſpaniam uſque profectus.*

1528 Anno ſequenti Clariſſimus Vir Federicus Nauſea, Patriâ Blanco-Campianus, poſtea Epiſcopus Viennenſis, & plurium voluminum Author, edidit Coloniæ apud Arnoldum Birekman, in folio Homilias ſuas, in quarum Centuriâ 3. Homiliâ 84. fol. 340. verſ. ait:

*Imperante quidem Claudio Imperatore Rom. miſit Rex Herodes Agrippa manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſiâ, & occidit gladio Joannis fratrem Jacobum, qui nuper*

Digitized by

*per ex Hispaniis, ubi verbum Domini prædicarat, in Judæam, & Samariam rediit, quæ ille in divisione Apostolorum sorte obvenerat. Meritò proinde illius Paulo monitore meminerimus, quia præcipuus ex eis, qui nobis Dei verbum loquuti sunt, fuerit.*

Sancto Paulo monente, laudavit Viennensis Episcopus Sanctum Jacobum, quem nos, Sancto Paulo confirmante, asserimus Hispaniæ Prædicatorem, & Apostolum.

1529 Anno sexto supra quadragesimum hujus sæculi obiit Christianus Massæus Belga, qui in Chronico suo ad annum Christi quartum supra quadragesimum, asserit expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi.

1530 Anno quinquagesimo sexto hujus sæculi edidit Claudius Guillaudus Gallus Commentarios in Sanctum Matthæum, in quibus ad caput decimum, asserit expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi.

1531 Hic est postremus Author ex iis, qui scripsere ante Concilium Tridentinum absolutum, qui producitur ab Assertoribus expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi. Alios, qui hunc præcessere, referam Appendice 3. hoc est, in Sylloge Authorum, qui expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi asseruere.

## ASSERTIO LI.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi asseritur ab Authoribus, qui scripsere ab exacto Concilio Tridentino, usque ad nostra tempora.*

1532 CUm hâc ætate, post exacta quindecim sæcula, cæperit oppugnari tam ab Hæreti-

cis, quàm à Politicis expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, effecit Dei Providentia, ut plures, fortioreſque pro ipſâ prodierint Defenſores.

1533 Oppugnarunt quidem Hæretici expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ut fortiùs contra cultum Sacrarum Imaginum, Templorumque extructionem decertarent, & etiam, ut Religioſis peregrinationibus detraherent. Contendere Centuriatores Magdeburgenſes, aliique Hæretici, nixi arundineo baculo, argumenti ab authoritate negatâ, nullâ productâ authoritate negante; & præcipuè, ut Traditiones convellerent; nam de Traditione expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi ait Doctor eximius Magnus Suarius, tomo 1. de Religione libro 2. cap. 9. num. 15.

> *Quis ergo audebit huic Traditioni contradicere, aut quomodo aliæ Eccleſiaſticæ Traditiones inconcuſſæ conſervari poterunt, ſi huic fides non adhibeatur?*

1534 Politici verò Galli plerique inceperunt negare expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ne concederent Galliæ præferendam eſſe Hiſpaniam ex eo titulo, quòd priùs doctrinæ Euangelicæ luce irradiata fuerit, quàm Gallia, ut in Concilio Tridentino aſſeruit Hiſpanus Legatus, ut refert Pater Fr. Jaymius Ferrer, Eremita Auguſtinianus, in Compendio Hiſtorico, edito Valentiæ anno 1699. in 8. ad annum 1545. pag. 481.

1535 Sed tam contra Hæreticos, quàm contra Politicos deſcenderunt in aciem Clariſſimi Authores, tam referentes, quàm probantes expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quos in duos manipulos diſtinguam.

§. I.

Digitized by

## §. I.

## *Authores post Concilium Tridentinum, asserentes expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi.*

1536 PRimus inter referentes, post Concilium Tridentinum, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, fuit Franciscus Maurolicus, qui summâ cum laude commemoratur à Clarissimo Antonio Mongitore, in Bibliothecâ Siculâ tom. 1. Absoluto Concilio Tridentino, edidit Martyrologium suum Franciscus Maurolicus, anno 1564. in hocque volumine ad diem 15. Maii ait:

> *Ipso die memoria novem discipulorum, ex quibus Torquatus Gadium, Chthesiphon Almeriæ, Secundus Abylæ, Indalecius Urcii, Cæcilius Heliberis, Hesychius Carthesiæ, Euphrasius Turris Juliæ Episcopi fuere. Quos Jacobus Apostolus Zebedæi filius, ex Hispaniâ rediens Hierosolymam, secum duxerat.*

1537 Eodem anno, quo Maurolicus suum edidit Martyrologium, cæpere alii strenui Milites Ecclesiæ sequi eos, qui priùs Hæreticos debellaverant, & eos, qui expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi asseruerant.

1538 Agmen ducat Vir Clarissimus, splendore sanguinis, sapientiæ præstantiâ, & morum probitate insignis Didacus de Paivâ & Andrade, Lusitanus, quem summis laudibus cumulant celeberrimi Authores, ut videre est apud Nicolaum Antonium in Bibliothecâ Hispanâ, in quo tamen illud corrigendum, quod vocat fratrem Augustini à Jesu, cùm dicere deberet Thomæ à Jesu, nempe illius Apostolici viri Eremitæ Augustiniani, qui in Mahometa-

hometanorum carceribus ſcripſit mirabile opus de Laboribus Jeſu, de quo ſcripſit Auguſtinus Maria Arpe (Auguſtinianus & ipſe Eremita) *Thomas laborum Jeſu Perpeſſor, & Scriptor, Conimbricæ ex illuſtri Andradorum familiâ natus.*

1539 Didacus igitur de Paiva & Andrade, Regis Luſitanorum Theologus in Concilio Tridentino, ejuſdemque Concilii validus Defenſor, non ſemel, ſed ter teſtatus eſt, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ; primò quidem in libris Orthodoxarum Explicationum, editis Venetiis anno 1564. in quarto, lib. 1. fol. 24. adverſus Martinum Kemnicium Hæreſiarcham ait:

> *Hæccine Kemnici, Euangelii, Chriſtique hoſtium munera eſſe exiſtimas? Hæc Febuſitarum officia? Niſi fortè Petrum ipſum Judæorum Apoſtolum, Paulum Gentium, Thomam Indorum, JACOBUM HISPANORUM, Joannem Aſianorum, cæteroſque Apoſtolos omnes conjuratos Chriſti hoſtes eſſe ducis.*

1540 Secundò in Defenſione Tridentinæ Fidei Catholicæ, editâ Ulyſſipone anno 1578. in quarto, lib. 3. fol. 233. verſ. ait:

> *Ut non potuerim in animum inducere, tres Jacobos in Chriſti diſcipulis numerare, Maximum illum ſcilicet Hiſpanorum Apoſtolum Joannis fratrem* &c.

1541 Tertiò denique in 2. parte Concionum, editâ anno 1567. in quarto, in Sermone de Sancto Jacobo, paginâ 437.

1542 Franciſcus Fevardentius, natione Gallus, profeſſione Franciſcanus, Doctor Pariſienſis, Vir Sapientiſſimus, qui (ut ait Wandingus in Scriptoribus Ordinis Minorum) *ad præcipuas Galliarum Urbes profectus, ubique dogmaticè contra exurgentes, & adoleſcentes hæreſes prædicavit, nullo loco non inſectatus acriter Calviniſtas*; & plurimorum voluminum

num Scriptor anno 1576. edidit opera Sancti Irenæi Scholiis illustrata, & ad caput 3. libri primi, quod Sanctus Pater tradit Iberos, & Celtas conversos ad Fidem, refert numero 4. paginâ mihi 54. *Beatum Jacobum Joannis Hispaniam, & sub Occasum Mundi partes luce prædicationis illustrasse.*

1543 Gilbertus Genebrardus, natione Gallus, professione Monachus Benedictinus, dignitate Archiepiscopus Aquensis, aliud adversus Novatores fulmen, Theologus Parisiensis, Hebraicarum literarum in Academiâ Parisiensi plures annos professor Regius, qui à Possevino in Apparatu Sacro paginâ 639. dictus est: *Vir nostri sæculi Doctissimus, & Hæreticorum expugnator acerrimus*, & qui obiit pridie Idus Martii anno 1597. Is in egregio opere Chronographiæ, lib. 3. pag. 365. ait:

> *Jacobus in Hispaniâ, Mathias in Palestinâ (præsertim scilicet) verba Dei intonuit.*

1544 Petrus Canisius, Societatis Jesu, natione Belga, qui dictus est à Stanislao Cardinali Hosio *Hæreticorum Malleus, & novus Augustæ Apostolus*; à Ferreolo Locrio *Celeberrimus Theologus virulentæ illius Hydræ (Blasphemorum in Deiparam) Hercules, qui nobili splendidus victoriâ, glorioſum cecinit classico triumphum.* Ab Alberto Miræo: *Sæculi sui Hieronymus.* A' Laurentio Beyerlinck: *Alter sui sæculi Augustinus, qui non secus, ac ille olim Donatistas, Manicheos, Pelagianos, nostri ævi Novatores Lutheranos, Calvinistas, Anabatistas oppugnavit.* Ut alia præclarissima elogia prætermittam, collecta à Philippo Alegambe in Bibliothecâ Scriptorum Societatis Jesu pag. 375. Petrus, inquam, Canisius lib. 5. de Mariâ Deiparâ cap. 21. quo oppugnat Novatores, apparitiones Sanctorum indignè convellentes, confutatque potissimè inter alios Philippum Melanchtonem Hæresiarcham, ait paginâ 756.

*Ego*

*Ego verò, quum antiquiſſimam omnium apparitionem inveſtigare pergo, nullam aliam potui reperire, niſi quæ ſub Cæſare Tiberio Auguſti proximo ſucceſſore, non homini vulgari, ſed Jacobo Apoſtolo facta celebratur, verèque mirabilis, apud Hiſpanos in Civitate Cæſarauguſtâ contigit, & longævâ maiorum Traditione confirmata, nobiſque velut per manus tradita multorum ſuffragiis corroboratur.*

Hæc maximus ille Novatorum terror Petrus Caniſius, qui virtutibus cumulatus, deceſſit anno 1597. die Sancto Thomæ Apoſtolo ſacrâ.

1545 Anno 1598. die 12. Octobris exceſſit è vivis Thomas Stapletonus Anglus, Novatorum & ipſe oppugnator acerrimus, qui (ut ait Aubertus Miræus de Scriptoribus ſæculi 16. cap. 76. pag. 68.) *Cùm ad ſeptem virorum, quos Prothonotarios Apoſtolicos nuncupant Collegium à Clemente VIII. miſſo viatico eſſet evocatus, Purpurâ haud dubiè mox ornandus; honeſtâ ad fectæ ætatis excuſatione uti maluit, quàm priſtino docendi munere defungi.* Poſtremum relinquens ſui ingenii fætum, opus de Magnitudine Eccleſiæ Romanæ, quod recuſum fuit Pariſiis, cum reliquis Stapletoni operibus, tomo 2. in hoc autem opere lib. 1. cap. 3. pag. 686. ait:

*Verum, & indubitatum eſt toto Orbe terrarum, veluti in provincias diſtributo, factâ primum in Judæâ, & Samariâ Divini Euangelii prædicatione juxta ordinem à Chriſto præſcriptum, Petrum in Italiâ, Paulum in Græciâ, Andream in Achaiâ, Joannem in Aſiâ, Philippum in Phrygiâ, Bartholomæum in Schythiâ, Thomam in utrâque Indiâ, tam Orientali, quam Occidentali, Matthæum in Æthyopiâ, Simonem in Perſiâ, Thadæum in Meſopotamiâ,* Jacobum in Hiſpaniâ, *hoc Chriſti Euangelium, cujus Caput eſt Roma, latiſſimè propagaſſe.*

Veram,

Digitized by Google

1546 Veram, & indubitatam esse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, scripsit & meritò Clarissimus Stapletonus, quia post mendaces Magdeburgenses illam negantes, & post lucifugas contra illam mussitantes, legerat virum maximum Cardinalem Baronium, qui utrosque spernens in Notis ad Martyrologium Romanum, die 25. Julii, & tomo 1. Annalium ad annum Christi 44. numero 1. asseruerat, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, licèt postea deceptus falso, & fallente Manuscripto Toletano, dubitaverit tomo 9. de illâ expeditione, ductus argumentis, quæ jam dissoluta sunt in hâc Dissertatione pluribus Assertionibus.

1547 Nihilominus post dubitationem Cardinalis Baronii, ipsam expeditionem sine ullo dubio asseruere plures gravissimi Authores. Cùm enim Baronius ediderit nonum Annalium tomum (quo dubitationem, vel potiùs subdubitationem suam significavit) anno, quo Henricus IV. Gallorum Rex (cui illum tomum Author dicavit) duxit uxorem Mariam Medicæam, hoc est, anno 1600. anno 1603. edidit Pererius Commentarium in Epistolam ad Romanos, ad cujus caput 15. Disputatione 2. num. 8. ait:

> *Ego optimis rationibus persuasus, de Jacobi adventu in Hispaniam nihil dubito.*

1548 Prætermitto nunc alios Authores, quos plenâ manu congeram infra in Sylloge Assertorum expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi; prætermittere tamen non debeo duos Magni Baronii Symmistas, duos nempe eruditissimos Patres ejusdem Congregationis Oratorii, atque in Scholâ Sancti Philippi Nerii Socios ejusdem Baronii, qui ab illius dubitatione recedentes asseruerunt, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, seu quia cognoverunt, Baronium abjecisse dubitationem, ex quo deprehendit,

ſe fuiſſe deceptum à Manuſcripto Toletano, ut faſſus eſt Didaco de Caſtillo, ut hic teſtatur in Prologo, ſeu quia ſatiùs habuere affirmationem Eccleſiæ in Breviario Romano, edito anno 1602. quàm dubitationem Baronii, expoſitam anno 1600. certè trahente non invitos optimos viros fortiſſimâ veritatis vi.

1549 Primus horum fuit Thomas Bozius, ſtrenuus & ipſe Novatorum oppugnator, de quo ſcribit Janus Nicius Erithræus in *Pinacothecâ Imaginum illuſtrium doctrinæ, vel ingenii laude virorum*, parte 1. pag. 93.

> *Thomas Bozius Eugubinus, Congregationis Oratorii, in ſcribendâ Hiſtoriâ non certis quibuſdam finibus ſe continuit, ut Baronius; ſed liberum, & apertum ſibi campum eſſe voluit, in quo poſſet excurrere. Etenim Baronius ab initio rerum Eccleſiaſticarum, res omnes ſingulorum annorum literis mandavit; Thomas verò longè maiora amplexus animo, omnium monimenta temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum in Hiſtoriam contulit, ut vel ex hoc uno exiſtimare de hominis ſapientiâ liceat.*

1550 Scripſit Bozius contra Novatores, & contra Politicos; unde meritò adſtruxit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quæ & à Novatoribus, & à Politicis oppugnari cæperat, ut ſupra dixi; ſcripſit *Annalium antiquitatem, ingens opus, in decem volumina diviſum*, ut ait eodem loco Erithræus.

1551 Scripſit egregium opus de Signis Eccleſiæ, in cujus tomo 1. lib. 4. pag. 118. ait:

> *Conſtans eſt fama, Jacobum fratrem Joannis in Hiſpaniâ primum Chriſti cultum docuiſſe, anno trigeſimo ſeptimo.*

1552 Secundus Author, alterum ſidus Philippini Cœli, eſt Auguſtinus Mannus, Magno Parente Sancto Philippo Nerio dignus filius, Baronii Socius; qui cùm eſſet

esset erga Augustissimam Virginem Mariam tenerrimè animatus, ut ait in illius vitâ Jacobus Riccius, Ordinis Prædicatorum, non poterat negare Sancto Jacobo eam expeditionem, quæ tam honorifica fuit Sanctissimæ Virgini, quam supra ostendimus Assertione 7. unde in libro inscripto *Selectæ Historiæ rerum memorabilium in Ecclesiâ Dei gestarum*, edito Romæ apud Bartholomæum Zanettum anno 1612. in quarto, capite 341. paginâ 491. ait:

> *Jacobus igitur post Jesu Christi ascensum in Cœlum in Judæâ, & Samariâ prædicans ejus Divinitatem plurimos convertit; citò autem, & inter cæteros Apostolos primus ad necem quæsitus est: audacter enim Christum prædicabat, & ceu tonitrui filius se ipsum, ut in nube non continens, secessit post dispersionem factam sub Stephano in Hispanias, obitâ Judæâ, Samariâque. In Hispanias eum perveniisse, ibique prædicasse, gravi multorum testimonio, ac Traditione confirmari potest, hodieque monumentum extat Virgini Matri constructum Cæsaraugustæ, Virginis ejusdem monitu ad Jacobum Jacobi jussu Templum.*

1553 Quo autem delectu, & quo judicio scripserit Pater Mannus, quantâque diligentiâ veritati litaverit, perspici potest ex illius Amonitione ad Lectorem, ubi ait:

> *Dedimus autem operam, ut quæcunque scribenda forent, eligeremus ex probatissimis Authoribus, & testibus fide dignis, quibus unusquisque fidem tutò adhibere posset, nisi velit esse incredulus, & tardus corde ad credendum.*

1554 Neque hoc contentus gravissimus simul, atque modestissimus Author, opus suum supposuit censuræ alterius summi viri, & Magni Baronii Socii, Sanctique Philippi discipuli, in Historiâ Ecclesiasticâ præstantissimi, ut ibidem testatur, dicens:

*Adhibuimus præterea cenſuram Antonii Gallonii, Sacerdotis Congregationis noſtræ, purgati judicii viri, qui provinciam perdifficilem agreſſus ſcribendi omnes Sanctorum vitas, quàm purgatiſſimas, dum eas ſub limâ expolit, & eorum, quia à nato Chriſto, uſque ad ducentos annos floruiſſent, jam perfeciſſet, in curſu magnificæ ſcriptionis ſuæ morte præreptus, ad recipiendum pro labore, & bonâ voluntate mercedem, ad loca Sanctorum, ut piè credimus, profectus eſt.*

1555 Quis, & quantus fuerit Antonius Gallonius, breviſſimo elogio expoſuit Clariſſimus Vir Equeſtris Ordinis Proſper Mandoſius, mihi olim Romæ ſacro amicitiæ fœdere conjunctus, qui in Bibliothecâ Romanâ tomo 1. Centuriâ 5. §. 77. ait:

*Antonius Gallonius, Præsbyter Congregationis Oratorii de Urbe, Vir in vario ſtudiorum genere egregius, ac virtutum ſplendore nobilitatus.*

Gallonii vitam ſcripſit Jacobus Riccius, libro de Sociis Sancti Philippi Nerii, pag. 128. ex quâ conſtat, ipſum adeo excelluiſſe in Hiſtoriâ, & Critice Eccleſiaſticâ, ut multa, & erudita exaraverit ſcripta pro Sacrorum Rituum Congregatione ad honorem plurium Sanctorum; diverſaque Sanctorum Officia, jubente eâdem Sacrâ Congregatione, compoſuerit; præter alia opera, quibus ſe probavit acerrimi judicii Criticum, præſertim in Apologetico pro Annalibus Cardinalis Baronii, & alio adverſus Conſtantinum Bellotum, Monachum Caſſinenſem.

1556 Cùm autem & Auguſtinus Mannus, & Antonius Gallonius fuerint eruditione, & virtutibus Clariſſimi, magnum accedit pondus ſententiæ affirmanti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex eo, quòd illam ſcripſerit Mannus, & quòd Manni librum probaverit Gallonius.

Duobus

1557 Duobus Sociis Baronii, & ſicut ipſe, Sancti Philippi Nerii filiis addo duos alios Eruditiſſimos Viros, ejuſdem Sancti Philippi Nerii filios, & Baronii Symmyſtas, qui Boſii, & Manni veſtigia ſequentes, à Baronii ſubdubitatione receſſerunt. Ii ſunt Reverendiſſimus Pater Joannes Col, & Reverendiſſimus Pater Antonius dos Reys, qui tantum contulere ad firmandam veram ſententiam de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ut in hâc controverſia *prora*, & *puppis* (ut eſt in veteri proverbio) dici poſſint; effecerunt enim, ut apertè perſpiceretur, expeditionem Hiſpanicam non fuiſſe negatam ab ullo probo viro, niſi vel ex ignorantiâ Hiſtoriæ, vel ex neglectu Criticæ, ut ab initio hujus operis profeſſus ſum in illius Prologo §. 2. numero 31. Nam Pater Joannes Col, Sacræ Theologiæ Lector, & Regalis Academiæ Socius, cui commiſſa eſt provincia ſcribendi monumenta Eccleſiæ Viſenſis, quam ſpartam egregiè ornare pergit, nobis ſuppeditavit (ut vidimus numero 1223.) Epiſcopos illos ex finibus ſive Gallæciæ, ſive Galliæ, certè Occidentales, qui Imperatori Theodoſio I. dixerunt, Sanctum Jacobum Maiorem fuiſſe illorum Prædicatorem. Cùm autem Theodoſius I. vixerit quarto ſæculo, evincitur contra Adverſarios Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, non incepiſſe à ſæculo nono, ex inventione Sacri corporis Apoſtoli Sancti Jacobi, neque à ſæculo octavo, quo obiit Venerabilis Beda, neque à ſæculo ſeptimo, quo abiit in Cœlum Sanctus Iſidorus, ſed jam percrebruiſſe quarto ſæculo, quo vixit Magnus Theodoſius, quæ, ſi ſcirent aliqui Scriptores, non vocaſſent recentem illam Traditionem; quo demonſtratur alterum ex iis, quæ ab hujus operis initio propoſuimus, nempe ex ignorantiâ Hiſtoriæ ortam eſſe negationem expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi.

Pater

1558 Pater verò Antonius dos Reys, Sacræ Theologiæ Lector, Bullæ Sanctæ Cruciatæ Conſultor, Congregationis Oratorii Chronologus, Regalis Academiæ Socius, cui prius ab ipſâ demandatum eſt ſcribere monumenta Eccleſiæ Lamecenſis, quo in opere egregiè deſudavit, abſolutiſſimo conſcripto Catalogo Præſulum illius antiquiſſimæ Eccleſiæ, & cui poſtea commiſſum eſt ab eâdem Regali Academiâ, conſcribere Latino ſermone (cujus elegantiâ, & candore maximè excellit) Hiſtoriam Eborenſis Eccleſiæ, qui noviſſimè decoratus eſt ſplendidiſſimo Regii Hiſtorici munere, ut univerſas res geſtas Luſitanorum ſcribat Latinè, quod nulli unquam Luſitano (quem ſciam) demandatum eſt, mihi ſubminiſtravit graviſſimum teſtimonium, quo maximè confirmatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi contra ſubdubitationem Cardinalis Baronii; nempe authoritatem Sanctiſſimi Domini noſtri BENEDICTI XIII. Pontificis Maximi, qui etiam cùm eſſet S. R. E. Cardinalis, ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, noluit ſubſcribere ſententiæ Cardinalis Baronii, ſed potiùs Sancto Pio V. ex eodem Ordine Prædicatorum Pontifici Maximo, qui illam expeditionem in Breviario Romano collocari juſſerat, ſeu quod negari non poteſt, approbaverat Romanum Breviarium, in quo illa collocata erat. Niſi mavis dicere, Eminentiſſimum Cardinalem Urſinum addictiſſimam Sancto Philippo Nerio, cujus beneficio mortem evaſerat, noluiſſe ſubſcribere Baronio in dubium revocanti ea, quæ ſcripſerat vivente Sancto Philippo Nerio, eoque approbante; nempe, Sanctum Jacobum prædicaviſſe in Hiſpaniâ, ut videre eſt in Notis ad Martyrologium Romanum die 25. Julii, & tomo primo Annalium ad annum Chriſti 44. Uſus enim eſt Sapientiſſimus Princeps Critices lapide lydio, ut diſtingueret veram Hiſtoriam à fabuloſâ Manuſcrip-

nuscripti Toletani, quo deceptus est Baronius; & distinxit Baronium à Baronio. Baronium à Sancto Philippo illustratum, à Baronio Sancti Philippi lumine destituto. Baronium innixum veræ Traditioni Ecclesiarum Hispaniæ, à Baronio ex manuscripto falso Codice, quem syncerum crediderat, decepto. Ex quo manifestè constat, ab iis solùm, qui Criticen neglexerunt, dubitari posse de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi; & simul ab authoritate Sapientissimi Cardinalis VINCENTII MARIÆ URSINI, nunc Sanctissimi Pontificis Domini nostri BENEDICTI XIII. calculo maximum accessisse pondus veræ sententiæ de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi; additumque fuisse illius Defensoribus in VINCENTIO invictissimum colophonem, ut videre est ex Epistolâ ad me datâ à Reverendissimo Patre Antonio dos Reys, quam subjicio:

ILLUSTRISSIME DOMINE.

*Scio, te, pro elaboratissimo opere, quod moliris, ut Hispaniarum Ecclesiis suum Jacobum asseras, indies adaugendo, Sanctissimi Patriarchæ Philippi Nerii filios undequaque perquirere, quos Baronio de prædicatione Jacobi in Hispaniâ subdubitanti, ex adverso opponas; gaudeoque vehementer laborem tuum sic feliciter Tibi cessisse, ut tandem inveneris Thomam Bozium, virum illum Baronio solâ dignitate minorem, gravitate, eruditione, solertiâ, judicio parem, ac ipsius non semel in excutiendo vetustatis pulvere, eruderandisque Antiquitatis monumentis adjutorem strenuissimum, Augustinum Manni. Fateor, hæc ut novi, à labore, quem Tui gratiâ susceperam, alios conquirendi, subitò destitisse: ea enim semper fuit apud Cæsarem Manni, & Bozii authoritas, ut nullus dubitem, quin si viveret, maioris faceret utriusque affirmationem; quàm adversantis Ximenii rationes, quæ illum à priori sententiâ tantùm non deturbarunt. Hi à Te in aciem deducti cum Baronio*

*ronio ſuo manus fortiter conſerent, quin &, Te duce, glorioſiſſimam victoriam reportabunt. Quòd ſi res eò deduci contingat, ut ad Triarios redire neceſſum ſit, ecce Tibi alium Bozio, ac Manni multò validiorem, multòque fortiorem, non militem, ſed Imperatorem ſiſto, Dominum noſtrum, verè Sanctiſſimum, BENEDICTUM XIII. nuper è Beneventanâ Cathedrâ ad Petri Solium, in quo utinam ultra Petri annos ſedeat, evectum. Hunc Tu inter Congregationis Authores, non quòd noſter ille ſit, ſed quòd nos illius uſquequaque fuimus, & ſumus, & erimus, annumera; eumque perquam fidenter Baronio committe, fiet enim, ut ſeveriſſimus ille veritatis amator, tanti maieſtate Authoris reverenter deterritus manus det, ſeſeque prius falſum, nunc ingenuè devictum profiteatur. Verba Sanctiſſimi Pontificis, tunc, cùm iſta ſcribebat, Cardinalis Urſini, è Diſſertatione, quam elaboravit pro Reliquiis Sancti Bartholomæi Apoſtoli Benevento, vindicandis, excerpta hæc ſunt ex articulo 7. ubi poſtquam dixerat, Baronium propugnaviſſe, Jacobum Apoſtolum antea Hieroſolymis capite minutum, quàm Euangelium prædicare in Hiſpaniâ, aut Eccleſiam ibi fundare poſſet, ſubdit:* Quamquam non iſtud à me obſervatum velim, quaſi Baronio ex parte ſubſcribam. *Quo ego teſtimonio, ſicut nullum inveniri poſſe grandius, nullum optari poſſe locupletius exiſtimo, ſic ſpero, ut Diſſertatio tua novum pondus, novum robur acquirat. Quod ſupereſt, illud Te maiorem in modum ſemel, iterumque rogo, ut eximium hoc opus, quantâ maximâ poſſis diligentiâ, ad finem urgeas; & quamlibet in eo edendo moram, quamlibet cunctationem Religioni habeas; id enim, ſi diutiùs premas, Jacobum novo hoc præconio, Te novâ gloriâ, Academiam noſtram famâ, laude, exiſtimatione, quas labor iſte tuus apud omnes, Sociis tuis adipiſcetur, Regnum Luſitanum, ac univerſas Hiſpanias ingenti gaudio haud ſine injuriâ fraudas. Vale. Ulyſſipone, è Congregatione Oratorii die* 14. *Februarii an.* 1725.

Illuſtriſſime Domine

Tibi Addictiſſimus ſervus, & cliens

Antonius dos Reys.

Cùm

1559 Cùm Sanctissimus, & Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIII. sit maximæ authoritatis inter asserentes expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, nefas esse duco hîc producere alios, licèt præstantissimos eandem expeditionem asserentes, quia comparati cum Summo Pastore, sunt è grege Scriptorum, collati verò Christianæ militiæ Imperatori, sunt gregarii milites. Sed ut datam fidem solvam, transeo ad recensendos eos, qui totis viribus pro hujus expeditionis veritate, scriptis voluminibus decertarunt.

## §. II.

## *Authores, qui pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi exertis viribus pugnavere.*

1560 PLures sunt Authores, qui contra Magdeburgenſium, aliorumque Hæreticorum mendacia per proximum sexquisæculum decertavere pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi; referam eos, qui me non latent, observato ordine Chronologico, editionum, vel vitæ uniuscujusque Scriptoris, hosque in duplicem manipulum partiar; in primo collocabo eos, qui scriptis in lucem editis, in aciem descendere; in secundo eos, quorum Dissertationes non dum Typographiæ beneficio perfruuntur.

1561 Primus, quem sciam, qui contra Hæreticos Magdeburgenses, licèt eos non nominaverit, & contra lucifugas propugnavit expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, fuit AMBROSIUS MORALES, Regius Historiographus, quem summis laudibus ornat Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ, ut supra Assertione 38. numero 749. adnotavi.

1562 Tantus igitur Author in Chronico Generali Hiſpaniæ tomo 1. edito Compluti anno Domini 1574. lib. 9. cap. 7. fol. 228. verſ. aſſerit, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, idque pluribus rationibus probat; & fol. 229. verſo ſolvit quatuor lucifugarum argumenta contra illam expeditionem; nempe I. à non prædicato Euangelio à Sancto Jacobo niſi in Judæâ, & Samariâ; II. à defectu temporis; III. à ferâ Apoſtolorum diviſione; & IV. à regreſſu in Judæam, quæ hâc Diſſertatione diluta reperiuntur Aſſertionibus . . .

1563 Secundus Author, qui contra non nominatos Magdeburgenſes, & contra lucifugas propugnavit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, fuit CÆSAR BARONIUS, tunc Congregationis Oratorii, poſtea totius Eccleſiæ Catholicæ ſplendidum lumen, & S. R. E. Cardinalis, atque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Pater, qui in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 25. Julii, editis Romæ anno 1586. & tomo 1. Annalium, edito Romæ anno 1588. doctè ſolvit lucifugarum argumenta aliquot, deducta ex morte Sancti Jacobi ante diviſionem Apoſtolorum, & à clauſo tunc temporis Gentibus oſtio Fidei, & denique ex Epiſtolâ Sancti Innocentii I. ad Decentium, & pro ipſâ expeditione Hiſpanicâ refert librum de vitâ, & morte Sanctorum, & Breviarium Toletanum inſtitutionis Sancti Iſidori, & Venerabilem Bedam in Collectaneis, & Turpinum in libro de rebus geſtis Caroli Magni Imperatoris, & Calixtum II. Pontificem Maximum, cujus dicit & meminiſſe Innocentium Papam Secundum.

1564 Tertius Author, qui propugnavit expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi, fuit BARTHOLOMÆUS LAURENTIUS, vulgò LORENTE, Regni Aragonii Chronologus, qui anno 1591. edidit Cæſarauguſtæ librum

brum inscriptum : *Indice de los Autores, que tratan de la venida de Santiago a España.* Librum non vidi, sed ex Francisco de Jesu Xodar, & Joanne Salazar infra citandis, scio, Bartholomæum septuaginta tantummodo produxisse Authores pro adventu Sancti Jacobi in Hispaniam.

1565 Quantus verò Author fuerit Bartholomæus Laurentius, & quanti illius liber fieri debeat, testantur Petrus Hieronymus Cenedo, & Nicolaus Antonius. Cenedo quidem in Collectaneis ad jus Canonicum, Collectaneo 43. ad Decretum in caput *Beatus* 22. quæst. 2. n. 9. pag. 64. ubi postquam egerat de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, subjungit :

> *Et de his omnibus, qui plenissimam cognitionem habere voluerit, perlegat Indicem, quem eruditissimus Sacræ Theologiæ Doctor, ac Dominus meus colendissimus Bartholomæus Laurentius, Canonicus, & Prior hujus almæ Ecclesiæ de Pilari, (cujus ingenium mihi semper visum est rerum difficultate excitari, non retardari) noviss ime elaboravit Authorum omnium, qui de adventu Divi Jacobi in Hispaniam, ejus prædicatione, discipulis, fundationeque Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Pilari aliquid literis commendarunt ; quorum testimonia eleganter admodum contexuit ; & juxta temporum seriem diligentissimè disp suit.*

1566 Nicolus verò Antonius in Bibliothecâ Scriptorum Hispaniæ, tom. 1. paginâ 154. de Bartholomæi Laurentii libro ait :

> *Quem Petrus Joannes Nunesius is, quem laudavimus in Prologo consilii sui de studio Philosophico, atque item alii omnes, qui adventum Divi Jacobi ad Hispanias pro debito asserere usquam conati sunt, præcipuè laudant.*

1567 In quibus Nicolai Antonii verbis observandum est, præter laudem illius libri, dici, eos, qui asserunt,

Sanctum Jacobum adveniſſe in Hiſpaniam, id *pro debito* facere, quo innuitur, nos omnes debere eum adventum aſſerere.

1568 Quartus Author, qui efficaciter probat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, eſt PETRUS HIERONYMUS CENEDO, qui in Collectaneis ad jus Canonicum, editis Cæſarauguſtæ apud Michaelem Ximenem Sanches, anno 1592. in folio, Collectaneo 43. ad Decretum in cap. *Beatus* 22. q.2. num.3. pag.62. ait:

> *Scimus evidenter, quòd ob ipſius Beatiſſimi Jacobi adventum, hæc Cæſarauguſtana Civitas toto terrarum Orbe inter omnes totius Mundi urbes, feliciſſima à Catholicis prædicatur; eo quòd ibidem Sanctiſſima Dei Genitrix Maria, adhuc vivens in humanis, ſuper columnâ jaſpidis Sancto Jacobo Apoſtolo Dei verbum, ac Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri Fidem Cæſarauguſtanis prædicanti, apparuerit.*

1569 Poſt hæc dicta, proſequitur Eruditiſſimus Cenedo, proferens inſtructam Authorum aciem decertantium pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; Diſſertationem numero 9. pag. 64. claudit hoc veluti Epiphonemate.

> *Quæ cùm ita ſint, nemo, ut opinior, eorum, qui ab heroicis, & priſcis illis ad hæc uſque noſtra ductam temporibus antiquitatis memoriam evoluerint, dubitare poterit, Divum Jacobum in Hiſpaniam perveniſſe, hocque Sacratiſſimum Virginis Mariæ de Pilari domicilium erexiſſe.*

1570 Quibus verbis apertè ſignificat Clariſſimus iſte Author ea, quæ in veſtibulo hujus Diſſertationis diximus num. 31. nempe, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non poſſe revocari in dubium, niſi ex Hiſtoriarum ignoratione, vel ex neglectu Critices.

Quin-

Digitized by Google

1571 Quintus Author, qui diligenter probavit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, non ſolùm contra Hæreticos, & lucifugas, ſed etiam contra Politicos, fuit JACOBUS VALDESIUS, magni nominis Scriptor, qui anno 1602. edidit Granatæ apud Ferdinandum Dias à Montoyâ, librum in folio, *de Dignitate Regum, Regnorumque*, in cujus capite 6. à folio 52. uſque ad folium 60. per ſexdecim paginas probat eam expeditionem, & ſolvit objectiones, quæ, ut ipſe ait num. 13. *ab invidis, & detractoribus* circumferri ſolent, nempe I. à diſperſione Apoſtolorum, factâ poſt martyrium Sancti Jacobi, quam diluimus Aſſertione 15. II. à ſilentio Sancti Lucæ in Actis Apoſtolorum, quam ſolvimus Aſſertione 39. à numero 777. III. à defectu temporis, quam rejecimus Aſſertione 16. IV. à regreſſu in Jeruſalem, cui reſpondimus Aſſertione 11. V. à Traditione Apollonii, quam latè exſufflavimus ab Aſſertione 17. per plures Aſſertiones; & poſt ſolutas objectiones, ſubjungit:

> *Jacobus ad Hiſpanos pervenit, omneſque hiſce argumentis difficultates ſublatas eſſe exiſtimo, ita ut abſque dubitatione maneat probata, ut opinior, ſententia, quod Beatus Jacobus adierit Hiſpanos.*

1572 Sextus Defenſor expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt DIDACUS de la MOTA, qui anno 1604. edidit Pinciæ in octavo librum de Adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, vernaculo Caſtellanorum ſermone. Quem, cùm non viderim, judicium de eo ferre non poſſum, illius tamen meminere, præter Nicolaum Antonium in Bibliothecâ Hiſpaniæ tom. 1. pag. 231. ferè omnes, qui poſt ipſum ſcripſere de Hiſpanâ Sancti Jacobi expeditione.

1573 Anno 1605. prodierunt in aciem pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi tres Viri robuſtiſſimi Chriſtophorus de Caſtro, Franciſcus Padilla, & Joannes Fernan-

Fernandes de Velaſco, Magnus Caſtellæ Comeſtabuli, quos hîc refero.

1574 Septimus enim Author, qui validè propugnavit expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi, fuit CHRISTOPHORUS DE CASTRO, Societatis Jeſu, qui cùm fuerit inſignis promotor gloriæ Auguſtiſſimæ Virginis Mariæ, totis viribus aſſeruit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ex quâ magnus gloriæ cumulus Dei Matri acceſſit. Hinc in Hiſtoriâ Deiparæ Virginis Mariæ, Latinè editâ compluti ex Officinâ Joannis Gratiani, anno 1605. in quarto, cap. 18. à numero 6. & à pag. 425. uſque ad paginam 448. pluribus probavit expeditionem illam, ſolvitque argumenta ſententiæ contrariæ.

1575 Octavus Author, qui egregiè probavit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, fuit FRANCISCUS DE PADILLA, qui in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Hiſpaniæ, pirte primâ, editâ Malacæ anno 1605. apud Claudium Bolan in fol. Centuriâ 1. à cap. 5. & fol. 11. verſ. validiſſimè propugnat ſententiam aſſerentem, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, uſque ad caput 11. incluſo eodem capite, hoc eſt, uſque ad folium 31. maximè cap. 8. in quo aperit cauſas adventûs Sancti Jacobi in Hiſpaniam, tempus, quo venit, diſcipulos, quos habuit, & fundationem Templi Cæſarauguſtani; & cap. 10. reſpondet argumentis Adverſariorum; nam I. diſſolvit ea, quæ afferuntur ex Manuſcripto Toletano, quodque hîc rejectum eſt Aſſertione 35. II. reſpondet argumentis ab authoritate negatâ, quæ diluimus à num. 772. ad 975. III. ſatisfacit argumento à defectu temporis, ut nos ſatisfecimus Aſſertione 16. IV. diſſolvit argumentum à regreſſu ad Jeruſalem, quod hîc dilutum remanet Aſſertione 11. V. diluit argumentum à ſerâ diviſione Apoſtolorum, cui hîc ſatisfactum eſt Aſſertione 15. VI. ſolvit argumentum

tum ab authoritate Sancti Innocentii I. quod solutum remanet Assertione 26. VII. refellit abjudicantes Sancto Isidoro Hispalensi librum de Ortu, & Obitu Patrum, quos nos explodendos ostendimus Assertione 49. & plurium testimonio, rationibusque probat, certam esse sententiam de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam.

1576 Nonus Author, & qui glorioſiſſimè decertavit pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, eſt JOANNES FERNANDES DE VELASCO, Magnus Caſtellæ Comeſtabuli, Ducatus Mediolanenſis ſemel, atque iterum Gubernator, Philippo III. Regi Catholico ab ſtatûs, bellique conſiliis ejuſdem Cubiculo Præfectus Maximus, Præſeſque Senatûs Italicarum Rerum; qui ad egregias animi, corporiſque dotes, Clariſſimæque, atque Excellentiſſimæ Domûs ornamenta, propriæ induſtriæ merito adjunxit literarum ſtudia, Hiſtoriæque Sacræ, & profanæ cognitionem, quarum amore incenſus, copioſiſſimam inſtruxit Matriti Bibliothecam, literatorumque fuit præſidium, & literarum decus, & munificentiſſimus Mecænas. Is igitur provinciam ſuſcepit ſe dignam; defenſionem ſcilicet expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, editâ Hiſpanicè brevi, ſed nervoſiſſimâ Apologiâ, ſub hoc titulo: *Dos Diſcurſos, en que ſe defiende la venida, y prædicacion del Apoſtol Santiago en Eſpaña.* Pinciæ apud Ludovicum Sanches 1605. in quarto, paginis non pluſquam nonaginta tribus.

1577 Circa quem libellum id mihi maximâ conſideratione dignum viſum eſt, quòd typis mandatus fuit communi juſſu totius Regni Caſtellæ, quod ad Comitia convenerat, unde perſpicitur, probatum fuiſſe calculo omnium Antiſtitum, omnium nobilium, atque omnium Populorum ampliſſimi illius Regni, unde olim dicenti mihi, me pluris facere, quàm totum opus, unam, & alteram

teram lineam in illius titulo exaratam, quibus dicitur illud *impreſſum eſſe juſſu Regni in Comitiis congregati.* Libentiſſimè annuebat Vir Clariſſimus Emmanuel à Cuniâ Sardinia, olim in Conimbricenſi Academiâ Regalis Collegii Divi Pauli Collega, in eâdemque Academiâ laudatiſſimus Juris Cæſarei Anteceſſor, noſtroque ſæculo Juriſconſultorum Coriphæus, Regi à conſiliis, & Regii Fiſci Procurator, & Regii Tribunalis Cruciatæ Deputatus, qui cum ægerrimè ferret (ut boni omnes) expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi in dubium revocari, mihi hortator aſſiduus fuit, ut hanc Diſſertationem (quam affectam legit) ad umbilicum perducerem. Illius tamen præpropera mors meo Opuſculo invidit ſapientiſſimum emendatorem, ſublato Doctiſſimo Viro, qui immortali memoriâ dignus, ſacris ritè communitus, editis non vulgaribus pietatis documentis, deſiit eſſe inter mortales die 22. menſis Novembris anno 1723. ſepultuſque fuit in Templo Patrum Congregationis Sancti Philippi Nerii, ut juſſerat ſupremis tabulis; extincto illi, non ſolùm Juriſprudentiæ, ſed omni genæ eruditionis lumini, Sapientum omnium lacrymæ parentarunt; amico, & ſocio optimè merenti, quo ſæpius uſus ſum conſultore, volui, ut extaret hoc, qualecunque grati animi, & memoris pectoris teſtimonium. Redeo ad Comitiſtabuli librum.

1578 Is latinitate donatus fuit à Clariſſimo Viro Erycio Puteano, inſcriptuſque *Vindiciæ Hiſpanicæ*, impreſſuſque Lovanii apud Gerardum Rivium, anno 1608. in quarto, paginis tantummodo *66.*

1579 Cùm is Author fuerit primus, qui contra Cardinalem Baronium pugnavit, non minus Opuſculi præſtantiâ, quàm nominis claritudine, facta eſt ejus lucubratio toto Orbe celeberrima, promeruitque omnium eruditorum laudem. In hoc enim volumine ſolvuntur dexterri-

dexterrimè argumenta Baronii; nixus enim Traditione, asserit expeditionem Hispanicam S. Jacobi, diluitque argumenta; I. à serâ Apostolorum divisione, quod confutatum est supra Assertione 15. II. à morâ omnium Apostolorum Jerosolymis, quod solvitur supra Assertione 25. III. à Traditione Apollonii, quam affatim rejeci ab Assertione 17. usque ad 25. IV. à clauso Gentibus ostio Fidei, quod elisum est Assertione 16. V. à defectu Judæorum in Hispaniâ, quod refellimus Assertione 16. & 46. n. 1116.

1580 Contra hos Comitistabuli libros, seu discursus scripsit, sed non edidit (quod sciam) nonnullas animadversiones Joannes Mariana, non ut oppugnaret expeditionem Hispanicam S. Jacobi, quam ipse Mariana egregiè propugnaverat, sed nescio quânam mente agitatus, aliquot Comitistabuli probationes voluit infringere, salvam relinquens Traditionem de adventu S. Jacobi in Hispaniam; sed adversus Marianam pro Comitestabuli prodiit in arenam validissimus pugil Petrus Mantuanus, edito iterum libro Hispanicè hoc titulo: *Advertencias a la Historia del P. Juan de Mariana*, Matriti anno 1613. (prima editio fuit Mediolani, anno 1611.) In eâ secundâ editione à paginâ 108. ad paginam 145. acriter revincit Marianæ Criticen, pluresque producit Bibliothecas, in quibus extant libri à Comitestabuli citati; novemque exerit animadversiones, quæ non tam pungunt Marianam, nostræ sententiæ Assertorem, quàm transfigunt ejusdem sententiæ Adversarios, præsertim à pag. 124. usque ad pag. 133. ubi totus est in asserendâ authoritate libri Calixti II. quem dicit editum fuisse tempore Archiepiscopi D. Gasparis de Zuñiga, & extare Manuscriptum in Bibliothecâ Compostellanâ, & in Bibliothecâ Regiâ Escurialensi.

1581 Decimus Author, qui sententiam asserentem expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi solidè probavit,

fuit Clariſſimus Vir MICHAEL MARTINES A' VILLAR, juris utriuſque Doctor, vir literis, & muneribus geſtis clarus, ex Locum tenente (ſic vocant) Juſtitiæ Aragonum, Balearium Inſularum Curiæ Senator, & apud Patres Summi, & Principis Aragoniæ conſilii Advocatus Fiſci, tandemque in eorumdem Patrum numerum adlectus, Regenſque, ut vocant, creatus; qui anno 1606. edidit in lucem Matriti, apud Ludovicum Sanches in quarto, Lucubrationem Latinam, conſtantem triginta ſeptem foliis præter Indicem, quæ inſcribitur: *Vota, & motiva ſententiæ latæ pro Priore, & Canonicis Angelicæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ Maioris de Pilari in Curiâ Illuſtriſſimi Domini Juſtitiæ Aragonum S. C. M. Domini Noſtri Regis Conſiliarii ſuper jure præcedendi Capitulares, eorumque Syndicos, & Procuratores Eccleſiarum (exceptos dumtaxat Capitulares Sedis Metropolitanæ) in Comitiis, & quibuslibet Congregationibus Aragonum. Ad veritatèm hujus Eccleſiæ fundatio juſſu Dei Genitricis à Divo Jacobo facta, collecta, & veterum Patrum teſtimoniis comprobata, accuratèque diſcuſſa.* Sub hoc largo titulo habet hanc brevem, ſed magni ponderis ſententiam:

*Veritas tandem vincit.* Proverb. 28.

& in fine Opuſculi hæc habet:

*Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Pſalm. 92.
*A' calumniis hominum libera nos Domine.*

Poſt hanc Lucubrationem legi ſimul compactum aliud Opuſculum ejuſdem argumenti, quod num ſit conſcriptum ab eodem Villar, ignoro; ſic autem ſine alio titulo incipit:

*Quod Sanctus Jacobus in Hiſpaniam venerit, ibique Euangelium prædicaverit, præter conſtantem, ac perpetuam Eccleſiarum Hiſpaniæ Traditionem, multi etiam externi Authores, & Breviaria, & Docti, piique homines Divini verbi, & Euangelii Concionatores unanimiter teſtantur.*

*tantur. Sed prius viros Sanctos commemoremus, qui hoc literis consignarunt. Deinde Breviaria, quæ in diversis Diœcesibus, ac Religionibus hoc passim in Officio Sancti Jacobi decantarunt, & tandem Historicos, & Concionatores, qui hoc ipsum variis in provinciis Catholico Populo prædicarunt.*

Moxque subtexitur amplissimus Catalogus testium adventûs Sancti Jacobi in Hispaniam, quibus hæc expeditio satis, superque probatur.

1582 Undecimus Author est D. DIDACUS DE CASTILLO, de quo hæc Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Scriptorum Hispaniæ: *D. Didacus de Castillo Salmantinus, Sacræ Theologiæ Doctor, in Palentinâ Ecclesiâ Prior, & Canonicus, Romam ivit una cum Excellentissimo D. Ferdinando Ruiz de Castro, Lemorum Comite, pari & ipse publicæ Legationis, qui Clementem Papam VIII. recens inauguratum, obsequium Regis sui deferens, solemni habitâ oratione alloqueretur. Quo munere functus, eidem Sanctissimo totius Ecclesiæ apici elaboratum à se OPUS de Sancti Jacobi ad Hispanos adventu Latinâ linguâ scriptum obtulit: quod quidem ANNUENTE IPSO CÆSARE CARDINALI BARONIO, ET ARGUMENTORUM PONDERI CEDENTE, Summum Pontificem probasse, indicio sunt Lectiones ipsæ Sancti Jacobi Apostoli, Romano Breviario insertæ, quod authoritate ejus postremò editum fuit. In Patriam rediens, eundem librum Hispanicè in gratiam popularium suorum vertit, & publicavit sub hoc titulo:* Defensa de la venida, y predicacion Euangelica de Santiago en España. *Cæsaraugustæ 1608. in quarto.*

2583 Istum Authorem undecimo loco produxi, respiciens annum, quo opus suum typis mandavit Hispanicè, si enim attendendum esset ad primam illius scriptionem Latinè, quam obtulit Pontifici Clementi VIII. cùm hoc factum fuerit anno 1600. ut constat ex Hispani volu-

minis titulo; collocandus eſſet octavo loco, quem dedimus Comitiſtabuli Caſtellæ, eâdem cauſâ, quòd prius edidit in lucem opus ſuum, anno ſcilicet 1605. Caſtillo verò anno 1608.

1584 Implet hæc Didaci de Caſtillo ſcriptio paginas omninò 350. dividitur in capita triginta duo; poſt primum, quod eſt veluti totius operis Proœmium, à ſecundo ad ſeptimum, agit de Traditione. Septimo probat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, fundatione ſacelli Cæſarauguſtani, dicti de Columnâ. Octavo eam probat ex Breviariis Eccleſiarum. Nono verbis Sancti Jacobi, apparentis Regi Ramiro. Decimo rem firmat authoritate Sancti Hieronymi. Undecimo profligat argumentum à ſilentio antiquiorum. A' duodecimo uſque ad decimumſeptimum adducit plurium librorum teſtimonia. Decimooctavo proponit argumenta Adverſariorum. Decimonono ſolvit argumenta, præſertim id, quod erutum eſt ex manuſcripto Toletano, quo deceptus eſt Cardinalis Baronius. Vigeſimo reſpondet aſſertæ Traditioni Apollonii. Vigeſimoprimo uſque ad trigeſimum ſolvit argumentum à ſerâ Apoſtolorum diviſione. Trigeſimo, & trigeſimoprimo ſolvit argumentum ab authoritate Innocentii I. & Sancti Gregorii VII. Trigeſimoſecundo ſatisfacit argumento deducto ex authoritate Sancti Ambroſii, vel potiùs Ambroſiaſtri. Poſt hæc probat authoritate Sancti Ildefonſi, Sancti Braulionis, & Sigeberti, librum de Ortu, & Obitu Patrum eſſe legitimum fœtum Sancti Iſidori.

1585 Anno 1609. certavere pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi duo Clariſſimi Viri, à ſcriptis voluminibus celeberrimi, uterque Societatis Jeſu, nempe Joannes Mariana, & Doctor eximius Franciſcus Suarius Granatenſis, ut ſtatim dicam.

Duo-

1586 Duodecimus Author est JOANNES MARIANA, Societatis Jesu, Vir acerrimi judicii, qui anno 1609. edidit Coloniæ Agrippinæ volumen in folio, complectens septem tractatus, quorum primus est *De Adventu Beati Jacobi Apostoli in Hispaniam.* Hunc dicavit Paulo V. Pontifici Maximo; implet hic tractatus, sive hæc Disputatio (utroque titulo usus est Author) paginas 32. dividitur in capita quatuordecim. Primis quatuor capitibus præmittit nonnulla sternentia viam ad decisionem controversiæ; capite 5. proponit argumenta contendentia, Sanctum Jacobum in Hispaniam non venisse, nempe I. ex Traditione Apollonii. II. ex Epistolâ Sancti Innocentii I. ad Decentium. III. ex Sancto Ambrosio, vel potiùs Ambrosiastro. IV. ex capite 15. Divi Pauli ad Romanos. V. ex silentio antiquiorum. Capite autem sexto solvit hæc quinque argumenta; deveniens verò ad Epistolam Sancti Innocentii, quæ videtur ex Apostolis soli Sancto Petro tribuere conversionem Hispaniæ, subjungit:

> *Verum quid de Paulo facias, quem ex ipsomet constat voluisse in Hispaniam proficisci? idque præstitisse, & ratio temporis monet* &c.

Quæ iterum hîc volui adnotare, (nam id jam feci alibi) ut sæpiùs moneam, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi ex Sancto Paulo Apostolo confirmari. A' capite 7. usque ad finem Disputationis, probat illam expeditionem antiquorum testimoniis, Breviariis Ecclesiarum, Recentioribus externis, Recentioribus Hispanis, & authoritate plurium Pontificum Romanorum.

1587 Tertius decimus Author probans expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, est Doctor Eximius, quem nominasse, laudasse est, MAGNUS, ET VENERABILIS PATER FRANCISCUS SUARES Granatensis, Societatis Jesu, Scholæ Mediæ Princeps, qui anno 1609.

1609. emiſit in lucem Moguntiæ primum volumen egregii operis de Virtute, & Statu Religionis, in quo libro 2. de diebus feſtis, capite 9. à numero 13. breviſſimè, ſed & validiſſimè propugnat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, & poſt ſoluta argumenta contraria, eam ſolidè probat, illamque addit numero 15. ſententiam dignam planè cedro, & quæ aureis literis exaretur:

*Quis ergo audebit huic Traditioni contradicere, aut quomodo aliæ Eccleſiaſticæ Traditiones inconcuſſæ conſervari poterunt, ſi huic fides non adhibeatur?*

1588 Quanti verò ponderis ſint hæc verba graviſſimi Viri, ſolus non agnoſcet, qui mentis oculos occluſerit, ne videat lumen veritatis. Quod Deus avertat abomni homine non ſolùm Chriſtiano, ſed etiam Ethnico.

1589 Quartus decimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt D. MAURUS DE CASTELLA' FERRER, qui inſtructus ſtudiis Rhetoricæ, Philoſophiæ, & Sacrorum in Theologicis Magiſtrum habuit Ludovicum Legionenſem, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Virum longè Clariſſimum. Anno 1610. in lucem emiſit egregium opus, octodecim omninò annis elaboratum, Hiſpano ſermone, quod inſcribitur: *Hiſtoria del Apoſtol de Jeſu Chriſto Santiago el Zebedeo.* Animus fuit Authori edere hujus operis tres partes, ſive tria volumina, ſed primum tantummodo lucem aſpexit Matriti apud Alphonſum Martines de Balboa, in folio, impletque paginas 971. Diviſum eſt in quatuor libros, in quorum primo, per tredecim capita, ab undecimo uſque ad vigeſimum tertium, ſtrenuè defendit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; capite 12. proponit Adverſariorum argumenta. I. à non prædicato Euangelio Gentilibus, vivente Sancto Jacobo. II. ab Epiſtolâ Sancti Innocentii I. III. à manuſcripto Toletano. IV. à loco Sancti Ambroſii,

sii, seu potiùs Ambrosiastri in Epistolam ad Romanos; & eodem capite 12. latissimè respondet primo argumento, adeo ut in hoc insumat paginas triginta sex. Capite 13. per quatuordecim paginas respondet argumento ducto ab Epistolâ Sancti Innocentii I. Capite 14. per duodecim paginas respondet manuscripto Toletano. Capite 15. respondet loco Sancti Ambrosii, seu potiùs Ambrosiastri. Capite 16. texit longum Catalogum Authorum asserentium expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi. Capite 17. docet, Sanctum Jacobum prædicasse Bracharæ. Capite 18. scribit, Sanctum Jacobum prædicasse Iriæ Flaviæ in Gallæciâ. Capite 19. probat prædicasse in urbe Lucensi. Capite 20. probat, Apostolum Jacobum prædicasse Hispali, Granatæ, Carthagenæ, Toleti, & Astorgæ. Capite 21. probat prædicasse in Castellâ, & Cantabriâ. Capite 22. probat prædicasse in nonnullis urbibus Aragoniæ. Capite 23. narrat apparitionem Beatissimæ Virginis ad ripam fluminis Iberi, fundationemque sacelli Cæsaraugustani à Columnâ nuncupati, à Sancto Jacobo Apostolo jussu Deiparæ constructi.

1590 Quintus decimus Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, fuit Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus D. SANCIUS DAVILA & TOLEDO, sanguine, literis, dignitatibus, & virtutibus Clarissimus. Sanguine, quia fuit ex Marchionibus de Velada, filius Sancii Davilæ, & Joannæ Henriques de Toledo. Literis, quia fuit Sacrorum Voluminum publicus Interpres in Salmaticensi Academiâ, & illius eruditio constat ex opere mox citando. Dignitatibus, quia quater extitit Rector Academiæ Salmaticensis, & succedentibus annis, quatuor obtinuit Pontificales Sedes, nempe Carthaginensem, Giennensem, Siguntinam, & Placentinam. Virtutibus denique, ob quas laudatus fuit à Sanctâ Teresiâ,

Epistolâ

Epiſtolâ 6. & ab Illuſtriſſimo D. Joanne Palafox de Mendoçâ, in Notis ad ipſam Epiſtolam, & denique ab Ægidio Gonzales de Avila, tomo 2. in Theatro Eccleſiaſtico Eccleſiæ Placentinæ, paginâ 510. Tantus igitur Præſul edidit egregium opus Hiſpanicè de veneratione Reliquiarum, Matriti apud Ludovicum Sanches, anno 1611. in folio, in quo lib. 3. cap. 8. à paginâ 281. probat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi plurimis teſtimoniis, & præſertim Traditione: ſed juvat transferre in Latinum ſermonem verba, quibus Doctiſſimus Epiſcopus aggreditur hujuſmodi probationem; ait igitur:

> *Oportet ſtatui, licèt obiter, tamquam primum principium, hanc Eccleſiam (Hiſpanam) habuiſſe primam inſtructionem in Fide, & fundationem à prædicatione Apoſtoli Sancti Jacobi ad illam venientis. Huic veritati, ut adeo certæ, tantus ſemper honos habitus eſt, ut aliis temporibus, illi futurus eſſet injurius, qui ipſam vellet probare. Sed tanta eſt noſtrorum temporum novitas, ut jam cogat non nihil dici in illius veritatis confirmationem, quomodocumque de illâ agatur. Itaque in obſequium veritatis adeo certæ ex ſe, & quæ adeo eſt è pietate noſtrâ, neceſſe eſt non nihil dici, licèt in tam brevi Diſſertatione.*

1591 Quibus verbis innuit Vir Sapientiſſimus, veritatem inconcuſſam expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi à ſolis iis oppugnari, qui novitatum cupidine ducti, non dubitant bellum inferre pietati; quibus ſemper reſiſti à Sapientioribus, & à veritatis cultoribus oportet.

1592 Sextus decimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ S. Jacobi, eſt FRANCISCUS JESU & XODAR, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Sacræ Theologiæ Magiſter, Regibus Catholicis Philippo III. & IV. in paucis carus, atque intimus, utriuſque Concionator; à Philippo IV. ad examen rerum graviſſimarum quan-

Digitized by Google

quandoque vocatus, quo etiam usus est Bernardus S.R.E. Cardinalis de Roxas & Sandoval Toletanus, & Quæsitor Maximus in conficiendo Indice librorum prohibitorum, & expurgandorum. Et qui Dignitatem Episcopalem sæpiùs sibi oblatam constantissimè fugit. Is enim scripsit Hispanicè eruditissimum opus inscriptum : *Cinco Discursos, con que se confirma la antigua Tradicion, que el Apostol SANTIAGO vino, y predicò en España*, Matriti ex Typographiâ Regiâ, anno 1612. in quarto, constat hoc opus paginis 192.

1593 In operis Prologo proponit quantum interfit hoc negotium, quæstionis statum, causasque cogentes de eâ scribi, expeditionemque Hispanicam Sancti Jacobi propugnari.

1594 Primo Discursu agit de Traditione, ex quâ eruitur præcipua probatio adventûs Sancti Jacobi in Hispaniam, à paginâ 9. usque ad 39.

1595 Secundo Discursu agit de testimonio hujus Traditionis, perhibito à Sanctis, & Authoribus antiquis per omnia præterita sæcula, à pag. 39. usque ad 79.

1596 Tertio Discursu ostendit, hanc Traditionem testatam esse ab Authoribus variarum Nationum, qui de eâ agunt tamquam universali, & certâ, à paginâ 79. usque ad 101.

1597 Quarto Discursu docet, quàm congruens sit ista Traditio tempori, ut sine ullo impedimento Sanctus Jacobus potuerit venire in Hispaniam, à pag. 101. usque ad 155.

1598 Quinto Discursu respondet insignioribus difficultatibus, quæ usque ad annum 1612. inventæ sunt contra Hispanorum Traditionem, à pag. 155. usque ad 192.

1599 Hoc Discursu capite 1. respondet Cardinali Baronio, & primò quidem illius argumento, deducto ex

manuſcripto Toletano. Secundò, argumento deducto ex Epiſtolâ Sancti Innocentii I. Tertiò, argumento deducto ex Epiſtolâ Sancti Gregorii VII.

1600 Capite 2. reſpondet aliis rationibus peculiaribus, quæ contra hanc Traditionem afferuntur, & primò quidem argumento à ſilentio, ſive ab authoritate negatâ. Secundò, ſolvit argumentum deductum ex Sancto Ambroſio, vel potiùs Ambroſiaſtro.

1601 Capite 3. confutat Joannem de Boſco, rejicitque rationes, quæ moverunt hunc Authorem ad negandam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, oſtenditque nullius fuiſſe ponderis.

1602 Decimus ſeptimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, fuit Pater Fr. JOANNES DE PUENTE, Ordinis Prædicatorum, Catholicorum Regum Chronologus, qui (ut ait Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Scriptorum Hiſpaniæ) *Hiſtoricen, & Sacras literas egregiè coluit, judicio uſus limato, & ſolido.* Is aggreſſus magnæ molis opus, quatuor tomis diſtinctum, abſolvit primum, cujus ſola prima pars lucem aſpexit, titulus eſt: *La conveniencia de las dos Monarchias Catholicas, la de la Igleſia Romana, y la del Imperio Eſpañol*, Matriti ex Typographiâ Regiâ, anno 1612. in folio, explet paginas 688. præter Indices.

1603 Primum hunc tomum partitus eſt Author in ſeptem libros. In primâ illius parte leguntur quatuor priores; tres poſteriores reſervavit ad ſecundam, ne primus operis tomus nimium excreſceret. Libro 2. à capite 14. uſque ad 25. hoc eſt, à paginâ 163. uſque ad paginam 259. per undecim capita complentia paginas 97. jecit fundamenta ſententiæ affirmantis expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſed pleniorem de eâ tractationem rejecit in quartum, & ſextum librum, ut jam promiſerat libro

libro 1. cap. 2. §. 1. pag. 8. ubi loquens de tractandis quinto libro, ait Hispanicè, quæ sic Latinè efferuntur:

> *Mox agetur de divisione provinciarum Orbis ab Apostolis factâ, explicato ordine hâc in re servato, & quâ ratione hoc negotium dispositum fuit; & quomodo Sancto Jacobo Hispania sorte obtigit. Mox agemus de illius adventu ad hoc Regnum, exponentes quo anno venerit, quibus in provinciis prædicaverit, quem fructum collegerit, quos discipulos habuerit.*

De tractandis autem sexto libro loquens, ait:

> *Confirmabitur hæc veritas* (expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi) *Traditione nostræ Nationis Catholicæ, testimonio Sanctorum, veris Historiis, respondendo argumentis, quibus veritati contradicunt invidentes nostræ gloriæ, nostrisque trophæis.*

1604 Sed magno Reipublicæ literariæ damno caremus tribus his postremis libris, hoc est, secundâ parte primi tomi. Causam exponit citatus Nicolaus Antonius, dicens:

> *Scio interces sisse partis secundæ publicationi, nescio quam Senatoris Regii, cui hæc cura injuncta fuit, pertinaciam, sive superstitionem haud permittendi in vulgus ire quidquid Author adversus suppositititium Scriptorem* Dextrum, *hujusque farinæ alios liberè, doctèque in eo volumine consignaverat. Quo ut librum multaret, morigerum se præbens, illius consilio, censuræque persuaderi nunquam voluit.*

1605 Hæc apposui, ut illi, qui ex ignorantiâ Historiarum, & neglectu Critices negant expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, ex hoc Doctissimi Joannis de Puente facto discant, eos, qui expeditionem illam fortiùs propugnant, non egere testimoniis Dextri, aliorumque hujus farinæ, cùm Puente illam defenderit omnium acer-

rimè, & nihilominus Dextrum, alioſque ſimiles rejecerit.

1606 Decimus octavus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ S. Jacobi, eſt FERDINANDUS OXEA, ex eodem Doctiſſimo Ordine Prædicatorum, Patriâ Aurienſis, virtutibus, & literis pollens, ut ait Alphonſus Fernandes Placentinus, ejuſdem Ordinis, in Concertatione Prædicatoriâ, pag. 358. qui edidit librum Hiſpanicè, cui titulus: *Hiſtoria del glorioſo Apoſtol Santiago, Patron de Eſpaña: de la venida a ella, y de las grandezas de ſu Igleſia, y Orden Militar*, Matriti apud Ludovicum Sanches, 1615. in octavo, conſtat foliis 365. Hoc in libro cap. 15. complexus eſt Diſſertationem, quam anno 1602. ſcripſerat de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, ſed non ediderat.

1607 Hoc capite proponit argumenta, quæ huic expeditioni opponi videntur, quorum primum eſt ex ſerâ diviſione Apoſtolorum, & ex Traditione Apollonii. Secundum ex clauſo Gentibus oſtio Fidei, vivente Sancto Jacobo. Tertium ex defectu Judæorum in Hiſpaniâ. Quartum ex Epiſtolis Sancti Innocentii I. & Sancti Gregorii VII. Quintum ex manuſcripto Toletano, & ſilentio Antiquiorum. Sextum ex aſſertâ ſuppoſitione libri Sancti Iſidori de Ortu, & Obitu Patrum. Deinde confirmat eandem expeditionem teſtimonio plurium Scriptorum, ex plurimis Breviariis, ex monumentis in Gallæciâ à Sancto Jacobo relictis, ex ſacello Cæſarauguſtano, & apparitione Sancti Jacobi factâ Regi Ramiro, ex Traditione. Denique ſolvit argumenta contraria.

1608 Decimus nonus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Venerabilis Pater Fr. DIDACUS MURILLUS, Ordinis Minorum, Prædicator Generalis, Lector Sacræ Theologiæ, & Pater perpetuus Provinciæ Aragoniæ, Author eruditi voluminis Hiſpanicè

nicè exarati, inſcriptique : *Fundacion milagroſa de la Capilla Angelica, y Apoſtolica de la Madre de Dios del Pilar, y excelencias de la Imperial Ciudad de Caragoça*, Barcinone apud Sebaſtianum Mativad, anno 1616. in folio; implet volumen paginas 737. præter Indices. Diviſum eſt opus in tractatus duos. In primo agit de re noſtrâ, diſtinguiturque in capita 33.

1609 In primo capite adducit fundamenta, quibus creditur verum eſſe, ſacellum Cæſarauguſtanum conſtructum fuiſſe à Sancto Jacobo; quo paginas ſeptem inſumit.

1610 In ſecundo agit de modo examinandi Traditiones, & oſtendit præſtantiam Traditionis Cæſarauguſtani ſacelli; uſque ad paginam 15.

1611 In tertio exponit aliquot circunſtantias, quæ corroborant illam Traditionem; uſque ad paginam 22.

1612 In quarto fert judicium de nonnullis Authoribus antiquis, agentibus de ſacello Cæſarauguſtano; uſque ad paginam 31.

1613 In quinto agit de Traditione Eccleſiarum Hiſpaniæ circa adventum Sancti Jacobi, efficaci argumento, ex authoritate ſcilicet Breviarii Romani; uſque ad paginam 40.

1614 In ſexto agit de tempore diviſionis Apoſtolorum, inquiritque, an Sanctus Jacobus habuerit tempus ad veniendum in Hiſpaniam; uſque ad paginam 48.

1615 In ſeptimo ſcribit, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, & perveniſſe Cæſarauguſtam prædicando Euangelium; uſque ad paginam 56.

1616 In octavo agit de fructu prædicationis Sancti Jacobi, & de apparitione Beatæ Virginis ad ripam fluminis Iberi prope muros Cæſarauguſtæ; uſque ad pag. 66.

1617 In nono agit de verbis Beatæ Virginis ad Beatum

tum Jacobum, & de deſignatione loci, quo conſtruendum erat ſacellum, & de Apoſtoli diligentiâ in eo edificando; uſque ad paginam 76.

1618 In decimo de regreſſu Apoſtoli in Jeruſalem poſt extructum ſacellum; uſque ad paginam 87.

1619 In undecimo ſatisfit nonnullis difficultatibus, contra præfatam Hiſtoriam fundati ſacelli; uſque ad paginam 96.

1620 In duodecimo reſpondetur aliis difficultatibus, deſcribiturque ſacellum; uſque ad paginam 104.

1621 Vigeſimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ S. Jacobi, eſt Venerabilis Pater GASPAR SANCTIUS, Societatis Jeſu, tam ſedulus veritatis cultor, ut de eo ſcribat Alegambe in Bibliothecâ Societatis illud ſingulare elogium: *Nunquam in omni vitâ mentitus eſt.* Is condidit Opuſculum inſcriptum: *Diſputatio de Prædicatione Sancti Jacobi Apoſtoli Zebedæi filii in Hiſpaniâ, in tres tractatus diſtributa*; extatque ad calcem Commentariorum ejuſdem Authoris in Actus Apoſtolorum, qui editi ſunt Lugduni apud Horatium Cardon, anno 1616. in quarto, impletque Diſputatio iſta paginas 92. Deinde ſequitur tractatus quartus de prædicatione Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli in Hiſpaniâ, quod ideo adnotavi, ut conſtet quantum à veritate aberrent, qui exiſtimant, prædicatione Sancti Pauli in Hiſpaniâ excludi prædicationem Sancti Jacobi in hâc provinciâ, cùm è contra ſententia aſſerens expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, magis confirmetur ex Sancto Paulo, ut hâc Diſſertatione oſtendimus.

1622 In primo Diſputationis tractatu agit capite 1. de linteo è Cœlo dimiſſo ante converſionem Cornelii. Capite 2. de Sancto Petro reprehenſo à quibuſdam propter admiſſionem Cornelii. Capite 3. inquirit, an Chriſtus, & Apoſto-

Apoſtoli, vivente Chriſto, cum Gentibus agere potuerint. Capite 4. ſtatuit ante Cornelii converſionem licuiſſe agi cum Gentibus doctrinæ gratiâ. Capite 5. docet, multos ex Gentibus converſos fuiſſe ante Cornelium. Capite *6.* diſſerit quando facta Apoſtolorum diviſio. Capite 7. quando conditum Apoſtolorum Symbolum. Capite 8. quid Cornelii converſio contulerit, & reſpondet ad duo loca Actorum. Capite *9.* docet, non longè ab Aſcenſione converſum eſſe Cornelium. Capite 10. quoto anno ab Aſcenſione converſus Cornelius. Capite 11. quando erecta Anthiochena Cathedra.

1623 In tractatu 2. capite 1. probatur Jacobi adventus ex Traditione antiquâ. Capite 2. probatur Sanctorum, & illuſtrium virorum teſtimoniis. Capite 3. quid ſenſerit Rodericus Toletanus de adventu Sancti Jacobi. Capite 4. de publicis, id eſt, de Pontificum, aut Divinorum Officiorum teſtimoniis. Capite 5. quomodo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ in Hiſpaniâ perierunt. Capite *6.* de teſtimonio Regis Ramiri. Capite 7. de teſtimonio laminarum Granatenſium, quæ tempore Sancti non erant prohibitæ. Capite 8. de Templo à Sancto Jacobo edificato Cæſarauguſtæ. Capite *9.* quomodo Clementis Breviarium adventum Sancti Jacobi confirmet. Capite 10. quid clauſula Breviarii reformati à Clemente incommodet Hiſpanicæ cauſæ. Capite 11. quid externi Scriptores de Jacobo ſenſerit.

1624 In tractatu 3. Adverſariorum objecta ſolvuntur. Capite 1. reſpondetur ad verba Sancti Innocentii I. qui illic per errorem Typographi dicitur tertius. Capite 2. ſolvitur objectio ex teſtimonio Sancti Gregorii VII. & oſtenditur ante ſeptem Epiſcoporum ingreſſum annuntiatam eſſe Fidem in Hiſpaniâ. Capite 3. de diſceptatione Toletani Archiepiſcopi cum Compoſtellano. Capite 4. ſolvi-

ſolvitur objectio ex capite 15. Epiſtolæ ad Romanos. Capite 5. an Jacobus paucos in Hiſpaniâ converterit. Capite 6. an ſeptem Epiſcopi à Sancto Petro ordinati, diſcipuli fuerint Sancti Jacobi. Capite 7. cur ex Hiſpaniâ Hieroſolymam redierit S. Jacobus. Capite 8. ſolvuntur quæ contra Ædem Cæſarauguſtanam objiciuntur. Capite 9. ſolvuntur quæ objiciuntur contra Hiſtoriam Calixti II. Capite 10. liber de Vitâ, & Obitu Patrum probatur eſſe Sancti Iſidori. Capite 11. de authoritate, ſeu antiquitate Officii Mozarabi, ſeu Gothici. Capite 12. quid Iſidorus ſenſerit de Authore Epiſtolæ Jacobi. Capite 13. cur Herodes, à quo Sanctus Jacobus occiſus eſt, Tetrarcha vocetur ab Iſidoro. Capite 14. in quo loco dicat Iſidorus ſepultum eſſe Jacobum. Capite 15. utrum Philippus prædicarit in Galliâ. Capite 16. an Simon Chananæus Sancto Jacobo Minori in Epiſcopatu Solymitano ſucceſſerit. Capite 17. quid Iſidorus ſenſerit de obitu, & ſepulturâ Beatæ Virginis. Capite 18. qui librum de Vitâ, atque Obitu Sanctorum Iſidori eſſe teſtentur. Capite 19. quid Joannes Boſcus de adventu Sancti Jacobi ſentiat, & quale cenſeri debeat ejus teſtimonium. Capite 20. de authoritate libri, quem Boſcus commendat. Capite 21. quod falſa quædam, neque conſtantis fidei Hiſtoria illa contineat. Capite 22. quod Hiſtoria illa abſurda, & fabuloſa contineat. Capite 23. quid manuſcriptus Codex de adventu Jacobi in Hiſpaniam ſentiat.

1625 Vigeſimus primus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt D. JOANNES DE SALAZAR, Archidiaconus Ubedæ in Eccleſiâ Gienenſi, cujus eſt opus Hiſpanicum inſcriptum: *De la venida de Santiago Zebedeo Apoſtol en Eſpaña Tratado Apologetico*, Venetiis apud Euangeliſtam Deuchin, anno 1617. in quarto, conſtans paginis 239.

Divi-

1626 Dividitur hoc Opuſculum in octodecim capita, & expoſitâ in Prologo occaſione ſcribendi, capite 1. agit de antiquitate Religionis Chriſtianæ in Hiſpaniâ. Capite 2. probat adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, ex Traditione Eccleſiarum. Capite 3. idem probat fundatione ſacelli Cæſarauguſtani. Capite 4. probat apparitionem Cæſarauguſtanam, ex antiquis picturis. Capite 5. confirmat adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, authoritate Sancti Iſidori. Capite 6. probat, eſſe Sancti Iſidori librum de Vitâ, & Obitu Patrum. Capite 7. oſtendit, Sanctum Iſidorum aliis locis extra illum librum affirmaſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Capite 8. adducit plures alios Scriptores, aſſerentes expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Capite 9. affert aliquot conjecturas evidentes, quibus amplius comprobatur adventus Sancti Jacobi in Hiſpaniam, ejuſque in eâdem provinciâ prædicatio. Capite 10. agitur de tempore, quo Sanctus Jacobus venit in Hiſpaniam; de diſcipulis, quos hinc ſecum adduxit; & diſcutitur utrum prædicaverit ſolis Judæis, an etiam Gentilibus; enodanturque aliæ difficultates. Capitibus 11. 12. & 13. reſpondetur argumento à morte Sancti Jacobi ante diviſionem Apoſtolorum. Capite 14. reſpondetur authoritati Sancti Innocentii I. Capitibus 15. & 16. evertuntur fundamenta Cardinalis Baronii. Capite 17. agit de translatione, & ſepulchro Sancti Jacobi in Hiſpaniâ. Capite 18. apponit Catalogum centum & decem Scriptorum, qui uſque ad hujus Authoris ætatem egerunt de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, de ejus diſcipulis, de ejus translatione, & de fundatione ſacelli Cæſarauguſtani, ex quibus ſeptuaginta collecti fuerant à ſupra laudato Bartholomæo Laurentio; poſteriores quadraginta adjuncti ſunt ab ipſo Joanne de Salazar.

1627 Vigeſimus ſecundus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, fuit Pater D. ANTONIUS CARACCIOLUS, noſtræ Congregationis Clericus Regularis, qui à Magno Franciſco Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, pag. 248. dictus eſt: *Acer hujus adventus vindex.* Quis, & quantus fuerit Caracciolus, alibi me dixiſſe memini, nempe Aſſertione. 25. numero 478. nunc de Clariſſimi Authoris Opuſculo, quod inſcribitur: *Biga illuſtrium controverſiarum, 1. de Sancti Jacobi Apoſtoli acceſſu ad Hiſpaniam; 2. de funere Sancti Martini à Sancto Ambroſio procurato*, Neapoli apud Tarquinium Longum, anno 1618. in octavo, paginis 205. & Coloniæ apud Joannem Kinckium, 1619. in quarto, paginis 76. quæ ſecunda editio, ut in libelli fronte legitur, longè emendatior eſt, & non nihil etiam auctior.

1628 In primo operis limine, hoc eſt, in ipſâ Epiſtolâ nuncupatoriâ, antequam accedat ad propugnandam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, innuit quid ipſum ad illam defendendam, quid Adverſarios ad illam oppugnandam impulerit, ait enim:

> *Eſt profectò valdè dolendum, querendumque in tam gravi vulnere antiquitatis. Veteres enim memorias, firmis licèt monumentis, literiſque commendatas, & jam dudum inſitas, atque infixas in ima viſcera, menteſque mortalium, nituntur tamen nonnulli Recentiores*, ſive falſâ prudentiæ ſpecie decepti, ſive titillante eos novitate permoti, *de repente convellere, ac radicitùs extirpare.*

1629 In progreſſu operis, præjactis nonnullis fundamentis, diluit primum argumentum erutum ex Traditione Apollonii. Secundum ex oſtio Fidei clauſo Gentibus, vivente Sancto Jacobo, & eodem tempore defectu Judæorum in Hiſpaniâ. Tertium ex Epiſtolâ Sancti Innocentii I. in cujus reſponſione num. 33. & ſequentibus dexterrimè retor-

Digitized by Google

retorquet in Adversarios verba existimati Ambrosii in Epistolam ad Romanos; & verba Sancti Hieronymi super caput 5. Amos. Quartum deductum ex manuscripto Toletano.

1630 Solutis Adversariorum argumentis, expeditionem Hispanicam probat Traditione, numero 41. A' numero 51. illam probat Patribus; ad finem numeri 80. ut excuset Baronium, ait:

> *Hieronymi, & Chrysostomi loca illa à me adducta, vel Baronius non legit, vel si obiter vidit, fortassis (quod festinantibus; aliudque vestigantibus accidit) non admodum considerate perpendit. Itaque cùm is pleraque non legerit, pleraque autem (sed immeritò) spuria existimaverit, rem, quam alioqui sibi visus est cum Actis Apostolorum difficilimè conciliari posse, abjicere maluit, quàm firmare. At bene est: Hujus facti VERITAS complusculis abhinc annis, hoc est, ab eo tempore, quo in dubium verti cœpit, & ipsa vires acquirere: atque indies, ut rite ominor magis, magisque acquiret.*

1631 Neque vanâ spe delusus est Sapientissimus Caracciolus, nam de expeditione hâc Apostolicâ Sancti Jacobi, ejusque Propugnatoribus dici potest, quod de Apostolis dixit Sanctus Augustinus Epistol. 137. ad Volusianum *persecutionibus crescunt.* Nam post contradictionem Cardinalis Baronii, multò clarior apparuit veritas illius expeditionis, pro illâ pugnantibus Scriptorum turmis; nam licèt ante Caracciolum viginti pro ipsâ certavissent Propugnatores, multò plures post hunc Authorem prodiere, qui de Adversariis triumpharunt, ex quibus eos proferam, quorum notitiam nanciscì potui in eâ librorum inopiâ, quâ laboro.

1632 Vigesimus tertius Propugnator expeditionis Hispanicæ S. Jacobi, est THOMAS MALUENDA,

Ordinis Prædicatorum, magni Vir nominis, cujus laudes delibo Aſſertione 28. numero 569. Is enim in egregio opere de Antichriſto lib.4. cap.5. à pag.202. hanc expeditionem efficaciter probat, ſiquidem relatis argumentis Cardinalis Baronii, illam confirmat primò Breviario Romano Clementis VIII. juſſu edito. Secundò, fundatione extantis ſacelli Cæſarauguſtani. Tertiò, teſtimonio Calixti Papæ II. Quartò, authoritate Sancti Hieronymi, & plurium gravium Scriptorum. Deinde ſolvit argumenta adverſantia, nempe primum ex Traditione Apollonii, quam teſtatur contemptam à Baronio tomo 1. ad annum Chriſti 39. num.22. & ad annum 44.num.13. Deinde ſecundum ex defectu Authorum veterum, cui opponit Traditionem. Tertium deductum ex Ambroſiaſtro. Quartum erutum ex verbis Sancti Pauli. Quintum ductum ex Sancto Innocentio I. Sancto Gregorio VII. & Sancto Hormiſdâ. Sextum ex manuſcripto Toletano.

1633 Vigeſimus quartus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt CORNELIUS CORNELII A' LAPIDE, natione Belga, Societatis Jeſu, Clariſſimus Sacrorum Voluminum Interpres, cui, (ut ait Alegambe) *veritatis amor præ vitâ fuit*; hanc in omni ſcriptione primam habuit, qui ſaltem ſeptendecim vicibus; novem in locis illam expeditionem teſtatus eſt, nempe in Jeremiæ cap. 26. verſ.23. In Abdiam verſ.20. In Zachariæ cap. 4. verſ. 10. In Sancti Matthæi cap. 10. verſ. 3. In Sancti Marci cap.3.verſ.17. In Chronotaxi in Acta Apoſtolorum ad annum Chriſti 37. & 44. In Acta Apoſtolorum cap.8.verſ.1. in cap.12. verſ.1. idque non ſemel, ſed ſaltem ſepties. In Apocalypſin cap.21. verſ.19.

1634 Vigeſimus quintus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt D. JOSEPHUS PELLICER DE OSSAU & TOVAR, Eques Jacobæus, Regis Catho-

Catholici Archichronologus, tot voluminum Scriptor, ut de ipsis integram confecerit Bibliothecam, quam edidit Valentiæ apud Hieronymum Villagrassum, anno 1671. in quarto, quæ paginas implet 386. In laudem hujus Authoris effusi sunt Scriptores plurimi, Archiepiscopi, Episcopi, aliisque Dignitatibus Ecclesiasticis insigniti viri, omnium ferè Ordinum Regulares, ut Benedictini, Cistertienses, Hieronymiani, Præmonstratenses, Basiliani, Dominicani, Franciscani, Augustiniani, Carmelitani, Mercenarii, Minimi, Jesuitæ, Clerici Regulares Minores, Milites Jacobæi, Calatravenses, Alcantarenses, Montesenses, Avizenses, Jesu Christi, Hierosolymitani.

1635 Deinde Magnates, & Consiliarii, Jurisconsulti, Medici, Chronologi, Historici, Polygraphi, & ex omni Scriptorum genere, quorum syllabus reperitur in citatâ Bibliothecâ folio 153. usque ad folium 164.

1636 Certavit celeberrimus iste Author pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, non semel, sed bis, editis diversis annis duabus pro ipsâ Dissertationibus Hispanicè; prima inscribitur: *Defensa de la venida a España de nuestro glorioso Apostol, y Patron Santiago*, Matriti, anno 1628. Secundæ verò titulus est: *Predicacion, y venida del glorioso Apostol nuestro Patron a España*, edita est anno 1637.

1637 Discrimen inter utranque Dissertationem exposuit Author in citatâ Bibliothecâ fol. 20. num. 33. & est quòd in primâ probatur expeditio Hispanica Sancti Jacobi, testimonio quinquaginta Scriptorum supra ducentos; in secundâ verò probatur eadem expeditio efficacissimè rationum momentis.

1638 Secundam Dissertationem non legi, sed tantum primam, quæ recusa est Matriti, anno 1630. extatque in ejusdem Josephi Pellicer Lectionibus solemnibus ad Panegyricum Ducis de Lermâ, à disertissimo Poetâ Ludo-

vico

vico de Gongorâ ſcriptum, à columnâ 646. hoc titulo: *Diſcurſo de la fundacion de N. S. del Pilar, y venida de Santiago a Eſpaña, contra el Cardenal Ceſar Baronio, y la Bibliotheca Floriacenſe.*

1639 Vigeſimus ſextus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt D. MICHAEL DE SALINAS VIÑUELA, qui Hiſpanicè edidit librum inſcriptum: *Eſpaña primogenita de Jeſu Chriſto, con deciſion de la venida, y predicacion de Santiago en ella año XXXVII. diſputada contra la nueva opinion del Eminentiſſimo Cardenal Baronio*, Matriti, 1640. in quarto.

1640 Hujus operis meminit D. Michael Erce Ximenes, in ſæpiùs laudato, & laudando opere de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, parte 1. tract. 1. capite 2. num. 15. fol. 4. columnâ 4.

1641 Vigeſimus ſeptimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt JOANNES BAPTISTA VALENZUELA VELASQUES, Epiſcopus Salmanticenſis, Vir à ſcriptis voluminibus celebris; ab hoc ſcriptum fuiſſe librum de adventu Sancti Jacobi, ait Magnus Macedo in Diatribâ ſæpiùs citatâ, paginâ 248. Hoc etiam opus non vidi; legi tamen ipſum Valenzuelam in *Defenſione Juſtitiæ, & juſtificationis Monitorii emiſſi, & promulgati per Paulum Papam V. adverſus Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetorum*, parte 2. num. 22. paginâ 36. ubi aſſerit, ſacellum Cæſarauguſtanum fundatum fuiſſe à Sancto Jacobo Maiore, in cujus confirmationem, productis nonnullis authoritatibus, ſubjungit:

*Et alii, quos prætermitto, ſpeciali loco tractaturus.*

1642 Fortaſsè liber iſte Valenzuelæ à Macedo citatus, eſt ille *Diſcurſus Angelicalis, & Apoſtolicus*, prælo jam ab Authore, cùm deceſſit, paratus, de quo loquitur Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Scriptorum Hiſpaniæ, cùm

cùm de Joanne Baptistâ Valenzuelâ, quem dicit obiisse 2. Februarii anno 1645. quâ de causâ nos ipsum hoc loco recensuimus.

1643 Vigesimus octavus Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est D. THOMAS DE MONROI, qui teste Nicolao Antonio, scripsit: *Diligencias en Roma para restituir en los Breviarios la affirmativa, que se havia quitado de la predicacion de Santiago el Mayor en España*, Salmanticæ, anno 1646. in quarto.

1644 Quisnam fuerit iste Thomas Monroi, se nescire professus est Nicolaus Antonius, nos tamen docet Michael Erze Ximenes loco supra citato, numero 16. fuisse natum in Hispaniâ in urbe Tauro; & Ecclesiæ Abulensis Canonicum, qui Romæ degebat tempore, quo Breviarium Romanum correctum est jussu Urbani VIII. & optimè novisse hujus negotii progressum ab initio usque ad finem.

1645 Hunc Monroi librum non legi, sed scio extare Matriti in Bibliothecâ Regiâ, cujus me certiorem fecit R. Pater D. Vincentius Paulus Sobrecasas, Clericus Regularis, Vir Doctissimus, nuncque Moderator nostri Barcinonensis Domicilii, Fundatorque nostræ Domûs Maioricensis, & qui plures habuit Conciones de Deiparâ in columnâ Cæsaraugustanâ cultâ, deque illius sacello à Divo Jacobo extructo.

1646 Vigesimus nonus Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est D. MICHAEL ERZE XIMENES, Juris utriusque Doctor, Canonicus Legionensis, & Regius Sacrificus, exiis, quos vocant novorum Regum Toleti, cujus eruditioni, studio, & solicitudini debemus, repositam fuisse ab Urbano VIII. in Breviario Romano expeditionem illam, universæque Ecclesiæ propositam, ut prius erat in Breviario Sancti Pii V. ut videre est in

Pro-

Prologo libri, quo iſte Author collegit, quidquid ad ſuam uſque ætatem detectum eſt ad confirmandam ejuſmodi expeditionem, libro Hiſpanicè conſcripto, cui titulus eſt: *Prueva evidente de la predicacion del Apoſtol Santiago el Mayor en los Reynos de Eſpaña. Doctrina, que aviendo ſatisfecho al Santiſſimo Padre Urbano VIII. la puſo affirmativamente en el Breviario Romano, por eſtudio, y diligencia de Don Miguel de Erze Ximenes* &c. Matriti, apud Alphonſum de Paredes, anno 1648. in folio: implet paginas 580.

1647 Vel ex hoc titulo conſtat decipi eos, qui exiſtimant, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi reſtitutam fuiſſe Breviario Romano ad preces Philippi IV. Regis Catholici, cùm id factum non fuerit niſi diligentiâ ſolius Michaelis Erze, favente Deo, qui illi mentem indidit pro maximâ hâc Patriæ, imò totius Eccleſiæ, gloriâ laborandi; quouſque negotium ad optatum finem perduceret.

1648 Diviſum eſt præclariſſimum hoc opus in partes duas; quælibet earum in ſeptem tractatus. Prima pars, quâ ſolâ agitur de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, tractatu primo confirmat expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi teſtimonio Summorum Pontificum per capita 26.

2. Teſtimonio Conciliorum per capita 7.
3. Teſtimonio Breviariorum per capita 12.
4. Teſtimonio Sanctorum per capita 12.
5. Teſtimonio Regum per capita 3.
6. Teſtimonio Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum per capita 8.
7. Reſpondet omnibus Adverſariorum argumentis per capita 19.

1649 De hoc opere, illiuſque Authore extat judicium Franciſci à Sancto Auguſtino Macedo, lectu digniſſimum in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi, pag. 248. & 249. ubi ſic ait:

*Michael*

*Michael Erze Ximenes, utriusque Juris Doctor, Regius Toleti Capellanus, qui tomum integrum in duas sectum partes de adventu, & prædicatione Apostoli Jacobi in Hispaniâ edidit linguâ suâ vernaculâ, quem ego cùm jam Opusculum hoc meum pene confeciſſem, intentâ curâ legi, & hominis ſum eruditionem admiratus. Liber eſt accuratè ſcriptus, & dignus ingenio Hiſpanico: & qui ab aliquo in Latinam linguam transferatur, ut publici juris ubique ſit.*

1650 Trigeſimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt MICHAEL ANGELUS LUALDUS, de quo agit amicus noſter Illuſtriſſimus Proſper Mandoſius, nobilis Romanus, Eques Sancti Stephani, in Bibliothecâ Romanâ, Centuriâ 3. num. 38. pag. 170. ubi ait:

*Michael Angelus Lualdus, Canonicus Sancti Marci de Urbe, Vir in Theologicis, & Hiſtoricis ſtudiis præclarè verſatus, aliarumque diſciplinarum genere excultus: nomen ſuum cum gloriâ tranſmiſit ad poſteros.*

& infra:

*A' ſtudiis nunquam feriatus eruditus Lualdus.*

Lualdus igitur edidit opus Italicum, cui titulus: *L' Origine della Chriſtiana Religione nelle Occidente*, tomo 1. Romæ apud Franciſcum Monetam, 1650. in quarto; complet hic primus tomus paginas 441. In hoc tomo à capite 14. & paginâ 20. agit de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi: & hoc capite illam pluribus teſtimoniis confirmat. Capite 15. agit de monumentis Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, inter ipſaque de ſacello Cæſarauguſtano. Capite 16. exactiùs proſequitur ipſam expeditionem, de ipſâ, aliiſque ad ipſam ſpectantibus, agit uſque ad caput 20.

1651 Trigeſimus primus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt JOANNES BAPTISTA

LEZANA, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, de quo Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpaniæ ita ait:

> *In hoc certè homine ſapientia, & pietas, doctrinæ excellentia, & modeſtiæ, & prudentiæ dotes ſic æqualiter, maximèque floruerunt, ut neutra harum virtutum alteri concedente, ad formandum omnes veluti datâ operâ virum undique clariſſimum conſpiraverint.*

& inferiùs:

> *Nullus, qui Lezanæ meminit, abſque præcipuæ laudis conſignatione meminit.*

Deinde producit pluſquam quindecim Scriptores, qui Lezanam editis monumentis laudarunt.

1652 Tantus igitur Vir duplici Commentario propugnavit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quorum unus inſcribitur *Columna immobilis*; alter *Turris Davidica*. Utraque Diſſertatio excuſſa eſt eodem loco, & eodem anno, nempe Bracciani apud Jacobum Phæum, anno 1655. in quarto, & utraque inſerta eſt volumini *Conſultorum* ejuſdem Lezanæ, edito Lugduni anno 1656. in quo prima reperitur à paginâ 473. uſque ad paginam 515. Secunda verò à paginâ 515. uſque ad paginam 548. Deinde reperiuntur ibidem duæ celebres deciſiones Sacræ Rotæ Romanæ, pro fundatione ſacelli Cæſarauguſtani, à Sancto Jacobo erecti.

1653 In primâ Diſſertatione probat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi multiplici Authorum teſtimonio, & ex revelatione quâdam, quam inferiùs producemus; ſolvitque optimè argumenta deducta ex Epiſtolis Summorum Pontificum Sancti Innocentii I. & Sancti Gregorii VII. illud à numero 45. hoc à numero 53.

1654 In ſecundâ Diſſertatione num. 194. adſtruit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ut & num. 209. & 212. & præcipuè à numero 414. uſque ad finem.

Trige-

1655 Trigesimus secundus Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est Reverendissimus Pater HIERONYMUS PARDUS, Clericorum Regularium Minorum in Hispaniâ Provincialis, Sancti Officii Censor, qui addidit secundam partem operi Hispanico Antonii Calderon, designati Archiepiscopi Granatensis, cui titulus: *Excelencias del glorioso Apostol Santiago*, Matriti apud Gregorium Rodrigues, 1657. in folio.

1656 In hujus operis parte 2. libro 3. capite 5. refellit Impugnatores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi. Ad hujus capitis finem texit longum Catalogum 470. Authorum hanc expeditionem testantium; quem nos infra dabimus longè auctiorem. Deinde usque ad caput 14. per paginas 106. agit de spectantibus ad ipsam expeditionem, ut sunt discipuli ipsius Apostoli, ejus itinera, & sacellum Cæsaraugustanum, omnia eruditissimè pertractans.

1657 Trigesimus tertius Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est Clarissimus Vir FRANCISCUS A' SANCTO AUGUSTINO MACEDO, Lusitanus, Ordinis Minorum, toto Orbe celeberrimus, cujus insigne Elogium texuit Illustrissimus, & Reverendissimus D. D. Thomas Rocaberti, ex-Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Valentinus, & in Regnis Hispaniæ Regi Catholico subjectis Quæsitor Generalis, in Bibliothecâ Pontificiâ tom. 12. paginâ 112. in eo tamen loco dicitur, Franciscum Macedo fuisse Conventualem, cùm tamen fuerit ex Observantibus. Macedo ille, qui Lusitaniam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Italiam, Europam, totumque Orbem rapuit in sui admirationem; & cujus magnitudo, vel ab hostium ore egregias extorsit laudes; ut videre est apud Danielem Georgium Morhofium, in Polyhistore tom. 1. lib. 1. cap. 22. à num. 37. ubi Macedo accensetur Heroibus literariis, &

tamquam ſui ævi miraculum exhibetur. Ibi etiam reperiuntur laudes in eum collatæ à Gregorio Leti, in Italiâ Regnante parte 3. & 4. à quo Macedo dictus eſt *ingenium maximè tranſcendens, monſtruoſum, & citra ullam dubitationem unus ex maximis viris eruditis tunc viventibus* : quo loco præterea ipſe pluribus cumulatur Elogiis illic legendis.

1658 Scripſit igitur Macedo, plurimorum voluminum Author, librum, cui titulus : *Diatriba de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam*, Romæ apud Philippum Mariam Mancinum, anno 1662. in quarto, implet paginas 255. præter tres Indices.

1659 Dividitur Opuſculum in capita 21. Capite 1. reddit rationem ſuſcepti operis; 2. quærit quid Baronius ſenſerit de adventu Sancti Jacobi; 3. proponit rationes dubitandi quinque; 4. adducit ſextam; 5. affirmat illum adventum; 6. illum probat ex translatione corporis Sancti Jacobi; 7. ex Apoſtoli erga Hiſpaniam patrocinio; 8. ex conſervatâ Fide Chriſtianâ apud Hiſpanos; 9. ex Actis Concilii Rhemenſis; 10. 11. 12. 13. ſolvit argumenta propoſita. Capite 14. probat eum adventum ex Summis Pontificibus; 15. probat ex Conciliis; 16. probat ex Breviariis; 17. 18. 19. 20. refellit manuſcriptum Toletanum. Capite 21. ſolvit objectionem ex capite 15. Epiſtolæ ad Romanos. Ad finem libri additur : *Catalogus Authorum, qui Sancti Jacobi in Hiſpaniam adventum, & in eâ prædicationem affirmarunt, omnes ordine temporis in ſæcula conjecti, ac diſtincti.*

1660 Trigeſimus quartus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt R. Pater PHILIPPUS DE LA GANDARA, ex Sacro Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini, Regius Chronologus Regnorum Legionis, & Gallæciæ, qui opus Hiſpanicè ſcripſit, cui titulus : *Palmas, y Triunfos Eccleſiaſticos de Galicia*, editum Matriti apud Julianum de Paredes, anno 1670. in folio. In hoc

Digitized by Google

hoc enim opere parte 1. lib. 1. capite 4. à paginâ 15. adſtruit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, idemque proſequitur per novem capita, uſque ad paginam 59.

1661 Trigeſimus quintus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Pater Fr. GREGORIUS DE QUINTANILLA, Filius Patriarcharum Principis Magni Patris Benedicti, in Salmanticenſi Academiâ Sacræ Paginæ, & linguæ Sanctæ primarius Anteceſſor, qui edidit opus omni genere eruditionis refertiſſimum, cui titulus: *Tabernaculum Fœderis quadruplici commentario illuſtre*; tomus prior Salmantitæ apud Lucam Peres, anno 1674. in folio, paginis 769.

1662 In hoc enim opere lib. 3. Annotatione 1. Allegoricâ §. 4. paginâ 530. numero 222. & ſequentibus, probat, Templum Cæſarauguſtanum fundatum eſſe à Sancto Jacobo Maiore; idque ex antiquiſſimâ Hiſpaniæ Traditione; ex antiquiſſimo Officio in eodem Templo recitari ſolito, & ex pluribus Authoribus, de quibus ait numero 223.

> *Cui accedunt tot Hiſtoriographi Hiſpani, ut eorum authoritas nec ab invidiſſimo dente poſſit corrodi, nec ab ſciolis inimicis quandantenus poſſit elevari.*

1663 Trigeſimus ſextus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Doctor D. JOSEPHUS FELIX DE AMADA, Canonicus Metropolitanæ Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, & antea ex Capitulo Regulari Sancti Templi *del Pilar*, qui edidit librum Hiſpanicè, cui titulus: *Compendio de los milagros de nueſtra Señora del Pilar de Zaragoza*, Cæſarauguſtæ apud Hæredes Auguſtini Verges, anno 1680. in quarto, paginis 352. Opus iſtud dividitur in duas partes; ſecunda narrat ſexaginta miracula, à Deo facta intercedente Beatâ Virgine, in Cæſarauguſtano Templo cultâ: incipitque à paginâ 149. Prima verò tota

eſt

eſt in aſſerendâ fundatione illius Templi, operâ Sancti Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniâ viventis, & prædicantis; unde tota eſt in propugnandâ expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; ut ſunt omnia opera, quæ probant, Sanctum Apoſtolum fundaſſe illud Templum, ſeu ſacellum in honorem Dei, titulo Sanctiſſimæ Virginis ad ripam fluminis Iberi, prope mœnia Cæſarauguſtana.

1664 Id autem probat ex Traditione; antiquis monumentis; ex Miſsâ in eo ſacello cantari ſolitâ; ex quâdam privatâ revelatione, & aliâ Venerabilis Matris Mariæ de Jeſu; aliiſque argumentis.

1665 Omnes hi Authores, ultimo excepto, pugnarunt contra Cardinalem Baronium, & ſatis, ſuperque diluerunt illius argumenta. Complacuit pugnam contra veritatem renovare Natali Alexandro homini Gallo, qui licèt fuerit ex Sanctiſſimo Ordine Prædicatorum, de Eccleſiâ Romanâ optimè merito, plura ſcripſit in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quæ Eccleſiæ Romanæ diſplicuerunt; ſed

*Quas meruit pœnas, jam dedit illud opus.*

Prohibiti nam ſunt, & igni damnati à Sede Apoſtolicâ libri plures ejuſdem Hiſtoriæ; notato à Cenſoribus Romanis, inter alia, eo loco, quo Gallus ille negabat expeditionem Hiſpanicam, ut jam diximus Aſſertione 9. num. 148. & Aſſertione 46. numero 1102. ubi per errorem ſcribitur Aſſertio 68. quæ non eſt niſi 9. Et licèt hic Author ferè nihil dicat, quod antea non dixerit Baronius, non fatetur per quem profecerit, quod expectandum erat ab homine ingenuo.

1666 Præiverat Natali Alexandro Chriſtianus Lupus, Vir eruditiſſimus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, in oppugnandâ expeditione Hiſpanicâ S. Jacobi, iis fundamentis, quæ everſa oſtendimus Aſſertione 46. Contra hos duos Recentiores ſtrinxit calamum, quem hîc ſubjicimus. Tri-

1667 Trigesimus septimus Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est Excellentissimus Dominus D. GASPAR DE MENDOÇA ET SEGOVIA, Eques Ordinis Alcantarensis, Marchio de Mondexar, Vallis hermosæ, & Agropoli, Comes de Tendilla, duplici titulo inter Magnates Hispaniæ spectabilis, arcis Granatensis, quæ *Alhambra* dicitur, Præfectus, urbisque Granatensis Dux Generalis, eruditione non minus, quàm sanguinis splendore clarus, cujus opera plurimi fiunt ab omnibus veritatis amatoribus. Is Hispano sermone conscripsit præstantissimum Opusculum, cui titulus: *Predicacion de Santiago en España, acreditada contra las dudas de Pedro Christiano Lupo; y en desvanecimiento de los argumentos del Padre Natal Alexandro*, Cæsaraugustæ apud Dominicum de la Puyada, anno 1682. in quarto, paginis 318.

1668 Dividitur hoc opus in 30. capita; 1. ostenditur, expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi Traditionem notam esse in Hispaniâ à temporibus Apostolorum; 2. ostendit quando ista expeditio cæpit in dubium revocari; 3. pandit quid parturierit negatio Baronii, & quo in statu nunc sit illius sententia; 4. proponit, & solvit dubia Christiani Lupi; 5. producit causas, cur Natalis Alexander opponi voluerit expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi; 6. respondet primo Natalis Alexandri argumento, à morte Sancti Jacobi ante divisionem Apostolorum; 7. probat, Sanctum Jacobum non permansisse Jerosolymis usque ad mortem, neque ex Sancto Lucâ constare, ipsum illâ in Urbe passum; 8. probat priùs divisos fuisse Apostolos, quam Sanctus Jacobus occideretur; 9. solvit secundum Natalis Alexandri argumentum, quod eruit ex manuscripto Toletano; 10. demonstrat illud Manuscriptum non esse fide dignum; 11. 12. & 13. elevat authoritatem illius Manuscripti, detectis ejus erroribus,

ribus, per paginas omninò centum. Cap. 14. dilutum oſtendit illud ſecundum argumentum; 15. refellit tertium argumentum, quo dicitur, libros Calixti, & aliorum eſſe ſuppoſititios; 16. & 17. ſolvit quartum argumentum erutum ex Epiſtolâ S. Gregorii VII. Cap. 18. oſtendit, Epiſtolam Sancti Innocentii I. non officere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi. Cap. 19. & 20. defendit librum Sancti Iſidori *de Vitâ, & Obitu Patrum.* Cap. 21. diſcutit aliquot teſtimonia Sancto Iſidoro antiquiora; 22. diſtinguit Commentarios Apocalypſis Sancti Apringii, & Sancti Beati; 23. 24. & 25. agit de teſtimonio Officii Mozarabici. Cap. 26. agit de teſtimoniis Bedæ, & Turpini, à Natali Alexandro contemptis. Cap. 27. agit de teſtimoniis Calixti II. & Sancti Juliani Archiepiſcopi Toletani, à Natali Alexandro contemptis. Cap. 28. agit de Authoribus à Natali Alexandro admiſſis, ſed contemptis, tamquam Recentioribus. Cap. 29. explicat locum Sancti Hieronymi in cap. 34. Iſaiæ. Cap. 30. Opuſculum claudit, aperitque ſtatum, quo remanſit expeditio Hiſpanica, confutatis illius Adverſariis.

1669 Trigeſimus octavus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, & qui graviſſimum addidit pondus ſententiæ illam affirmanti, eſt Eminentiſſimus JOSEPHUS SAENZ, S. R. E. Cardinalis de Aguirre, qui tomo 1. Conciliorum Hiſpaniæ, edito Romæ apud Joannem Jacobum Komarek, anno 1693. in folio, Diſſertatione 9. ſolidiſſimè fundat, & validiſſimè defendit ſententiam affirmantem contra Natalem Alexandrum, quem num. 16. ait ejus eſſe conditionis, ut omnia ejus opera publico Sacræ Congregationis Sancti Officii fuerint prohibita, antequam ipſe Eminentiſſimus Aguirre inter ipſius Cardinales Inquiſitores Generales numeraretur.

Confir-

Digitized by Google

1670 Confirmat igitur Doctissimus Cardinalis expeditionem Hispanicam ex Sancto Justino, Sancto Irenæo, & Tertulliano; excursu verò 3. perpendit quædam loca Sancti Hieronymi, Sancti Apringi, Venantii Fortunati, Calixti II. & Anastasii Sinaitæ: excursu 4. illam confirmat ex Sancto Isidoro, cui asserit librum *de Ortu, & Obitu Patrum*, ex Missali, & Breviario Hispanico, ex Sancto Juliano, & ex antiquissimo Manuscripto Regii Monasterii Sancti Æmiliani. Excursu 5. illam probat ex testimoniis Patrum, & Scriptorum 8. 9. 10. & 11. sæculi, & Sanctum Jacobum non solùm prædicasse in Hispaniâ, sed etiam in Angliâ, Germaniâ, & Galliâ. Excursu 6. confirmat continuationem ejusdem Traditionis testimoniis gravium Scriptorum, præsertim Calixti II. Excursu 7. illam confirmat apparitione Cæsaraugustanâ, fundationeque illius sacelli, à Sancto Jacobo constructi. Excursu 8. solvit argumenta Adversariorum; docetque expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi optimè cohærere cum expeditione Hispanicâ Sancti Pauli. Excursu 9. respondet Epistolis Sancti Innocentii I. & S. Gregorii VII.

1671 Trigesimus nonus Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est Reverendissimus Pater JOANNES PERES LOPES, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, ex Provinciâ Aragoniæ, sui Ordinis Procurator Generalis in Romanâ Curiâ, & Clarissimus Theologus, ut illius probant volumina, qui Eminentissimo Cardinali Laurææ, anno 1693. obtulit nervosissimam scriptiunculam pro apparitione Virginis Mariæ, Sanctum Jacobum alloquentis ad ripam fluminis Iberi prope Cæsaraugustam; quæ sic incipit:

*Eminentissime, & Reverendissime Domine. Apparitionem Virginis Columnatæ, uti firmam Traditionem à Maioribus receptam, ac hucusque ab Scriptoribus, Chronologicis,*

*gicis, Breviariis, Religionibus, Conciliis, Pontificibus, Catholicis Principibus, Univerſitatibus roboratam, ac communitam, qui cæterarum Traditionum fundamenta non evertat neſcio, quo medio valeat infirmare.*

1672 Deinde pluribus probat, Beatam Virginem apparuiſſe S. Jacobo ad Cæſarauguſtam, veramque extare de hâc apparitione Traditionem. Reperitur hæc Diſſertatiuncula typis edita in libro P. Arbiol, cui titulus *Eſpaña Feliz*, edito Cæſarauguſtæ 1718. in quarto, à pag. 231.

1673 Quadrageſimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Pater D. BARTHOLOMÆUS FERRO, Clericus Regularis Comaclenſis, qui in noſtrum Ordinem admiſſus, Regulare dixit Sacramentum Romæ in Domo S. Silveſtri (quæ totius Congregationis Caput) die 8. Octobris, anno 1650. & poſt plures adminiſtratas Ordinis Præfecturas, Conſultorem egit Præpoſiti Generalis anno 1705. in ſequenti verò anno die 15. Junii vitâ functus eſt ſeptuagenario maior, in eâdem Sancti Silveſtri domo, quâ olim ſe Religioni addixerat, relictis Italicè ſuæ eruditionis monumentis (præter alia minutiora) duplici volumine Hiſtoriarum noſtri Ordinis Miſſionum, quæ editæ ſunt Romæ annis 1704. & 1705. in folio. Hiſtoria urbis Comaclenſis, quam edidit Ferrariæ ſub nomine Joannis Franciſci Ferri, anno 1701. in quarto, quibus omnibus præmiſerat duo alia volumina in folio, ſub hoc titulo: *Luce Euangelica eſpoſta all' incredulità de Novatori*, Venetiis, anno 1698. In hujus Lucis Euangelicæ volumine 1. Decade 5. Diſcurſu 1. paginâ 681. inquirit, utrum Sanctus Jacobus Maior ante Apoſtolorum diviſionem perrexerit in Hiſpaniam? & licèt non ſemel proteſtetur, ſe nolle quæſtionem decidere, certè ſtat pro parte affirmante; nam poſtquam momenta affirmantium expoſuit, loquens de illorum aſſerto, ait:

*Et*

*Et havendo per atteſtato non ſolo li Breviari, Menologi, e Martyrologi d' ogni Chieſa, ma infinite antiche memorie, Croniche, Bolle Pontificie, e privilegi Reali, che l' hanno confermato, e tenuto per indubitato, più toſto pare atto d' infedeltà il dubitarne, che curioſo penſiero il diſputarne.*

1674 Deinde loquens de Lualdo, quem ſupra diximus, trigeſimum eſſe Propugnatorem expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ait:

*Lualdi acerrimo difenſore di queſta verità.*

1675 Deinde referens Natalem Alexandrum ſub nomine *cujuſdam nimiùm Critici noſtri temporis*, illius profert argumenta contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſingulorumque addit ſolutiones; poſteaque loquens de Chronologiâ Dextri, ſubdit:

*Ma ſia come ſi vogli laſciandoſi alli ſuoi difenſori l' impugnatione de i Bolandi; non è queſta ſola che facci credenza all' andata di S. Giacomo nelle Spagne, ma eſſendovi più di cento cinquanta Autori, che l' hanno affermata, tante Bolle, e lettere Pontificie, autorità de Concili, di Santi Padri viſioni, e miracoli, che l' hanno comprovata, non vi reſta quaſi che dubitare di ſua andata. Certo è che non ſi può dire come coſa infallibile, ma ſe la congeturale viene appoggiata da tante autorità fà più che opinione probabile.*

1676 Quæ omnia oſtendunt, Patrem Ferro re propugnare expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi, idque validiſſimè, licèt verbis aſſerat, ſe nolle quæſtionem decidere. Quod cur dixerit, fateor me ignorare; ſuſpicor tamen, id eveniſſe vel ex obſervantiâ erga Cardinalem Baronium, vel ex timore ſtyli ferrei Natalis Alexandri.

1677 Quadrageſimus primus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Clariſſimus Vir Do-

ctor D. JOANNES DE FERRERAS, quem ambiunt Epiſcopales infulæ, quas reſpuit, & quem ſupra laudavi in hujus operis veſtibulo, numero 11. qui hucuſque edidit quindecim volumina Hiſtoriæ Hiſpaniæ Chronologicè ſcriptæ, in quorum ſecundo, edito Matriti apud Franciſcum de Villa-Diego, anno 1702. in quarto, ad annum Chriſti 37. à pag. 70. firmiſſimè aſſeverat, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, productis validiſſimis probationibus.

1678 Deinde anno 1711. edidit aureum Opuſculum, quod inſcribitur: *Diſſertatio de prædicatione Euangelii in Hiſpaniâ per Sanctum Apoſtolum Jacobum Zebedæum*, in quarto, paginis tantùm 15. In quo mirabili brevitate, & mirabiliore efficacitate probat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi contra Sebaſtianum Tillemont, cujus opera magno Dei Eccleſiæ ſuæ proſpicientis beneficio, prohibita jam ſunt à Sede Apoſtolicâ, ut audivi à viro fide digniſſimo.

1679 Probat Ferreras illam expeditionem primò ex Sanctis Matthæo, Marco, & Lucâ, rejicitque Traditionem relatam ab Euſebio lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 17. non quidem Thraſeæ, ſed vel Apollonii, vel Apollinarii; nam ex hoc Apollonio, qui ſcripſit contra Cataphrygas, fecerunt Apollinarem nonnulla volumina, ut ſcribit Eraſmus in Scholiis ad Sancti Hieronymi Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum, §. *Apollonius Vir diſertiſſimus.* Fortaſsè confuderunt Apollonium cum Apollinario, tum ob nominum ſimilitudinem, tum quia tam Apollonius, quàm Apollinarius ſcripſit contra Cataphrygas. Secundò ex Traditione Hiſpaniæ. Tertiò ex Sancto Hieronymo, Sancto Iſidoro, Sancto Juliano, Venerabili Bedâ, Sancto Beato Præsbytero Libanienſi.

1680 Deinde rejicit argumenta Adverſariorum. Primum

mum deductum ex prædicatione Sancti Pauli in Hiſpaniâ. Secundum ex Epiſtolâ Sancti Innocentii I. Tertium ex Epiſtolâ Sancti Gregorii VII. Quartum ex morte Sancti Jacobi, præcedente diſperſionem Apoſtolorum. Quintum ex manuſcripto Toletano.

1681 Poſt hoc Opuſculum, quod meritò dixi aureum, ſcripſit Ferreras aliud, quod potiori jure dixeris adamantinum, tam inexpugnabilis illi vis ineſt! inſcribitur hoc: *Diſſertatio Apologetica de prædicatione Sancti Apoſtoli Jacobi Zebedæi in Hiſpaniâ*, in quarto, paginis 48. Dividitur hoc præſtantiſſimum Opuſculum in octo paragraphos. In 1. proponit ſtatum controverſiæ, & numero 2. ait:

> *Mittimus controverſiam hanc antea legitimè agitatam coram Sanctiſſimo Chriſti Vicario Romano Pontifice, qui ejus examen demandavit RR. Cardinal. Baronio, Bellarmino, & Sylvio Antoniano, actâque juridicâ formâ, pro nobis latam ſententiam, perindeque ſtandum pro eâ.*

1682 Et veriſſimè ait; nam tunc magnas acquiſivit vires ſententia aſſerens expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; ut animadvertit Sapientiſſimus Maluenda à nobis citatus ſupra numero 1632.

§. 2. Statuit, poſſibile fuiſſe Sancto Jacobo prædicare in Hiſpaniâ, quod non negavit Natalis Alexander; negat tamen Neotericus Adverſarius.

§. 3. Proponit Traditionem Apollonio, & Thraſeæ Martyribus tributam.

§. 4. Elidit Adverſariorum ſolutiones, idque eruditiſſimè.

§. 5. Oſtendit apertam falſitatem Traditionis Thraſeæ.

§. 6. Deijcit argumenta contraria, deducta ex prædicatione Sancti Pauli in Hiſpaniâ; & ex Epiſtolâ Sancti Innocentii I.

§. 7.

§. 7. Adducit fundamenta veræ ſententiæ, ſolvitque argumenta, quibus tentatur ea fundamenta evertere.

§. 8. Profert Patres pro ſententiâ affirmante expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Et numero 93. optimè diſtinguit Collectanea Bedæ, ab excerptis, de quibus loquitur Bedæ diſcipulus; ſed illud mihi minus placet, quod Venerabili Bedæ Collectanea abjudicet, quidquid dicant alii, ut jam ſupra dixi Aſſertione 49. à num. 1439.

1683 Certè hæc duo Clariſſimi Ferreras Opuſcula ſummam merentur laudem, & expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi in tuto collocaverunt; nam nihil in illis non ſolidum, nihil quod vel moroſiores Critici poſſint jure reprehendere; & ſummâ brevitate veritatem docent eos, qui ex ignorantiâ Hiſtoriæ, & neglectu Critices, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi in dubium revocarunt. Et legi poſſunt etiam ab occupatiſſimis, cùm verò ſint Latinè conſcripta, pervadere poſſunt ad totius Orbis eruditos; optandumque eſſet, ut ſæpiùs recuderentur.

1684 Quadrageſimus ſecundus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Reverendiſſimus Pater Fr. ANTONIUS ARBIOL, Regularis Obſervantiæ Sancti Franciſci, ex Provinciâ Aragoniæ, Lector bis (ut vocant) Jubilatus, Cenſor Sancti Officii, Examinator Synodalis Archiepiſcopatûs Cæſarauguſtani, Inſpector Apoſtolicus Religioſorum utriuſque ſexus degentium in Inſulis Fortunatis, Pater triplicis Provinciæ, Canarienſis ſcilicet, Valentinæ, & Burgenſis, olimque Miniſter Provincialis Aragonenſis, deſignatus Epiſcopus Civitatenſis. Nam quiſquis pugnat pro Apoſtolico ſacello Cæſarauguſtano, pugnat pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi. Pater autem Arbiol, plurimorum voluminum

num Author, scripsit & librum Hispanicè, cui titulus: *España feliz por la milagrosa venida de la Reyna de los Angeles Maria Santissima, viviendo aun en carne mortal, a la dichosa Ciudad de Zaragoza*, Cæsarauguſtæ apud Petrum Carreras, anno 1718. in quarto, paginis 555.

1685 In hoc libro in duas partes divisо, in primâ proponit, quæ circa Cæsarauguſtani sacelli constructionem scripsit Venerabilis Mater Maria de Jesu de Agredâ. In secundâ parte, Reflexione 1. agit de prudenti credibilitate hujus Historiæ. Reflexione 13. adducit singularem eventum in confirmationem sententiæ asserentis, illud sacellum constructum fuisse à Sancto Jacobo Apostolo. Reflexione 15. idem probat Traditione. Reflexione 19. idem probat ex privatâ quâdam revelatione. Reflexione 21. idem confirmat authoritate Maximorum Pontificum Calixti II. & III. Reflexione 22. idem stabilit Bullis aliquot Maximorum Pontificum, præcipuèque PAULI IV. unius ex primis nostræ Congregationis Conditoribus. Reflexione 23. idem probat ex Officiis Ecclesiasticis. Reflexione 24. idem probat Decisionibus Sacræ Rotæ Romanæ. Reflexione 25. idem roborat privilegiis Regum. Reflexione 26. idem firmat testimonio Authorum. Reflexione 39. postquam incredulitatem distinxit in quinque classes, nempe in naturalem, malignam, contentiosam, irrisoriam, & furiosam, pacificè alloquitur Criticos, seu (ut meliùs dicam) Pseudocriticos dubitantes de sacello Cæsarauguſtano, condito à Sancto Jacobo; eisque suadet ut vestigent, quâ ex illius quinque incredulitatis specie laborent; eisque ponit ante oculos omnia simul fundamenta, quæ certam reddunt illam Historiam de fundato sacello Cæsarauguſtano à Sancto Jacobo.

1686 Quadragesimus tertius Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est Vir ille Doctissimus, &

& Religioſiſſimus, qui proprio celato nomine dici voluit PAULUS DE OSSERA, Pupillus Dominæ Noſtræ, Hiſpanicèque edidit Opuſculum, cui titulus eſt: *Baſa de la Tradicion de Nueſtra Señora del Pilar de Zaragoza*, Matriti, anno 1720. in quarto, paginis 56. In hoc Opuſculo §. 2. probat, Traditionem fundationis Cæſarauguſtani ſacelli de Columnâ eſſe moraliter evidentem, & certam; §. 3. & 4. diluit aliquot argumenta; §. 5. probat, Traditionem Cæſarauguſtanam eſſe tutam, & veram.

1687 Quadrageſimus quartus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt R. Pater D. HIERONYMUS CONTADOR DE ARGOTE, Clericus Regularis, Regalis Academiæ Socius, qui anno 1722. edidit Luſitanè opus inſcriptum: *Diſſertaçaõ da vinda de Santiago a Heſpanha, provada, e ſuſtentada com a Doutrina do Maximo Doutor S. Jeronymo.* Extat tomo 2. Collectionis Actorum Academiæ Regiæ, impletque paginas 52.

1688 Probat igitur primò expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex Sancto Hieronymo in cap. 34. Iſaiæ, ſolvitque plura argumenta, quæ contra fieri poterant. Illam probat 2. authoritate Sancti Hieronymi in caput 42. Iſaiæ; occupat, ſolvitque Adverſariorum argumenta contra hunc locum. Deinde ſolvit Argumenta adverſariorum, & primum quidem à ſilentio Antiquiorum, ſeu ab authoritate negatâ. Secundum ex falſâ Traditione Apollonii, & Clementis Alexandrini teſtimonio. Tertium ex Epiſtolâ Innocentii I. ad Decentium. Quartum ex cap. 15. Epiſtolæ ad Romanos. Quintum ex manuſcripto Toletano. Omnia hæc argumenta ſolidis, & eruditis reſponſionibus ſoluta ſunt, ita ut nihil ampliùs dici poſſe videatur.

1689 Quadrageſimus quintus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt, qui ſe prodens virum Doctiſ-

Doctissimum, ignorari voluit nomen, & professionem suam, dicique JOSEPHUS DE VILLA NUEVA, Infantulus Virginis à Columnâ; cujus nomine jam anno 1720. prodierat alia scriptiuncula pro Traditione Cæsarauguſtanâ. Hic anno 1723. edidit brevem lucubrationem pro adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, impreſſam Cæsarauguſtæ die 10. Junii, & Matriti die 21. ejuſdem menſis, eodemque anno 1723. in quarto, paginis 16.

1690 Hic Author ex ſolâ Traditione rem conficit. Solvit argumentum à Traditione Thraſeæ adſcriptâ; docetque Traditionem non indigere Authoribus æqualibus rei traditæ.

1691 Deinde quinque ſtatuit principia neceſſaria, ad intelligendam materiam Traditionum.

1692 I. Eſt neceſſe eſſe admitti Traditiones, propter ſocietatem humanam, cùm ſine illis rectè vivi non poſſit.

1693 II. In Traditionibus diverſos eſſe authoritatis gradus, ſcilicet alias eſſe infallibiles, alias certas, alias probabiles, alias dubias, alias falſas.

1694 III. In rebus ſpectantibus ad Fidem æqualis authoritatis eſſe Traditiones, atque Sacras Scripturas, quia utrarumque eſt Author Deus; in rebus verò humanis magis credendum eſſe Traditioni, quàm Scriptoribus.

1695 IV. Eccleſiam ad examinandas Scripturas, & ſtabilienda dogmata, ſemper fundamenta jeciſſe in Traditionibus.

1696 V. Cavendum eſſe à negandâ fide Traditionibus piis, atque ab illis confundendis cum recentibus quibuſdam ſcriptis ſuppoſititiis, quin prius demonſtretur talium piarum Traditionum falſitas.

1697 Poſtremò illud graviſſimè, & veriſſimè addit, nempe Hæreticos, ut nos deturbarent de Traditionibus, Catholicis, introduxiſſe Criticen contra Traditiones humanas,

manas, & curare ut illorum Aphoriſmi in Hiſpaniâ ſtabiliantur.

1698 Quadrageſimus ſextus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Vir ille eruditus, quem ſupra laudavi numero 12. qui ut lateret, dici voluit D. AUGUSTINUS DE LA ROCA, cujus quidem nomen non ignoro, ſed eo invito non prodam. Hic anno 1720. edidit Hiſpanicè breviſſimam ſcriptionem, quâ efficaciſſimè probat expeditionem illam ex authoritate Traditionis, & ex Breviario Romano juſſu Urbani VIII. edito. Diſtinguitque factum expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi ab Hiſtoriâ Sancti Marcellini, & aliis, quæ in Breviario reperiri dicuntur; quorum non eſt certiſſima, & indubitata fides.

1699 Quadrageſimus ſeptimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt eruditiſſimus Vir, cujus cum laude memini ſupra num. 13. qui dici voluit D. ANDREAS DURANA, à quo editum eſt Hiſpanicè Opuſculum inſcriptum: *Defenſa de la venida, y predicacion de Santiago el Mayor en Eſpaña*, in quarto, pag. 160. ſine loco, neque anno impreſſionis; ſed ſuſpicor, impreſſum fuiſſe Matriti, & ſcio typis mandatum anno 1723.

1700 Hoc in Opuſculo oſtendit Author vaſtam eruditionem, & mirabile acumen ingenii, excellentem artis Criticæ peritiam, judiciumque valdè maturum. Quia cùm ſemper ſit creditum difficilius defendere, quàm accuſare: *Nam tanto eſt accuſare, quàm defendere, quanto facere, quàm ſanare vulnera facilius*; ut ait Quintilianus lib. 5. cap. 13. Author defendit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi tantâ dexteritate, ut nulli alii ex Defenſoribus cedat, in repellendis Adverſariorum telis; quæ non alio retundit ordine, quàm ipſo, quo contorta ſunt.

1701 Paginâ 16. rejicit doctiſſimè Traditionem Apollo-

Apollonii. Paginâ 22. eam confert cum Traditione de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam. A' paginâ 27. adducit fundamenta, quibus firmatur authoritas Traditionis Hiſpaniæ. Pag. 33. reſpondet argumento deducto ex Benedicto Pererio. Pag. 34. ſtabilit fundationem ſacelli Cæſarauguſtani. Paginâ 51. probat, Apoſtolorum diviſionem factam fuiſſe multò ante martyrium Sancti Jacobi. Pag. 53. ſuſpicatur, Clementis Alexandrini librum corruptum fuiſſe ab aliquo Montaniſtâ. A' paginâ 61. probat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex Traditione, quam confirmat Officio Mozarabico, refellitque illa, quæ adverſus id Officium opponuntur. Paginâ 70. probat authoritate Sancti Iſidori, quam defendit contra Adverſariorum objectiones. Paginâ 78. oſtendit, prædicationem Sancti Pauli in Hiſpaniâ non excludere prædicationem Sancti Pauli in eâdem Provinciâ. Paginâ 85. probat authoritate Sancti Juliani, eamque defendit contra Adverſariorum objectiones. Paginâ 90. probat authoritate Venerabilis Bedæ, eamque defendit contra Adverſariorum objectiones. Paginâ 97. probat ex Calixto II. eumque defendit. Paginâ 109. reſpondet argumentis erutis ex Sancto Auguſtino, Sancto Joanne Chryſoſtomo. Paginâ 112. reſpondet argumento deducto ex Epiſtolâ Sancti Innocentii I.

1702 Quadrageſimus octavus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Reverendiſſimus Pater Fr. HIACYNTHUS DE ARANAZ, ex Ordine Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Regis Catholici Concionator, Epiſcopus Arboreenſis deſignatus, Author ab eruditione, eloquentiâ, & ſcriptis voluminibus notiſſimus.

1703 Ut hic Author produceretur tamquam validiſſimus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ſatis eſſet, ipſum ſcripſiſſe cenſuram libri Patris

Arbiol inſcripti: *Eſpaña Feliz*, in quâ Doctiſſimus Cenſor per 22. paginas agit de ſacello, quod Cæſarauguſtæ extruxit Sanctus Jacobus, idque multis probat, ſed maximè Traditione. Nihilominus novus adeſt titulus, quo Clariſſimus Aranaz annumeretur præſtantiſſimis Defenſoribus expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, nempe egregium volumen eloquentiſſimè, diſertiſſimè, & quod caput eſt, eruditiſſimè Hiſpano ſermone exaratum, quod totum eſt in hâc ſententiâ docendâ, probandâ, illuſtrandâ, quod edidit ſub hâc inſcriptione: *El Cetro de la Fé Orthodoxa, Maria Santiſſima en ſu Templo Angelico, y Apoſtolico del Pilar*, Cæſarauguſtæ apud Hæredes Emmanuelis Roman, anno 1723. in folio, paginis 608.

1704 Totum quantum eſt hoc volumen, ut dixi, impenditur extollendæ Hiſpanicæ expeditioni Sancti Jacobi, dum totum dicatur ſtabiliendæ, & exornandæ ſententiæ de ſacello Cæſarauguſtano, à Divo Jacobo Apoſtolo conſtructo; ſed præcipuè Statione 3. cujus capite 2. à pag. 408. latè agit de Traditione, ejuſque viribus; ubi meritò caſtigat Joannem Launoium. Capite 3. agit de Hiſtoriâ antiquâ fundationis ſacelli Cæſarauguſtani. Capite 4. de conſenſu Fidelium, illam extructionem Divi Jacobi atteſtante. Capite 5. demonſtrat, illam Marianam domum ſeptem metaphoricis columnis adornari, non tantum ſtabiliri; quarum prima eſt Oraculum Summorum Pontificum; ſecunda Deciſiones Sacræ Rotæ; tertia Diplomata Regia; quarta miraculorum copia; quinta Piæ Revelationes; ſexta Pia Populorum commotio; ſeptima longiſſima Scriptorum ſeries, ex omnibus totius Orbis provinciis, præſertium Eccleſiarum Hiſpaniæ, & omnium Religioſorum Ordinum.

1705 Capite 6. exponit hanc ſeptimam columnam, producto ampliſſimo Scriptorum Catalogo pro fundatione

ne ſacelli Cæſarauguſtani, à Sancto Jacobo erecti. Capite 7. proſequitur idem argumentum. Capite 8. enumerat pro hâc ſententiâ Scriptores exteros. Cap. 9. probat, illam Traditionem eſſe extra omnem diſputationis aleam apud prudentes. Capite 10. innuit rationes dubitandi, quæ objici poſſent, ſi de hâc re diſputari liceret.

1706 Paginâ 518. affert *Digreſſionem*, quam vocat *Opportunam*, circa Criticen obſervatam à Sanctis Patribus, in tractandis rebus Beatæ Virginis Mariæ.

1707 Capite 11. docet quinam ſint Authores fide digniores, & quænam Critice præferenda ſit ad cognitionem veritatis. Capite 12. revocat in examen in ſcholâ veritatis, damnatque novam Criticen, quæ oppugnaverit Traditionem Cæſarauguſtanam, vel de illâ dubitaverit. Capite 13. oſtendit, Traditionem eſſe potiorem ſcriptis.

1708 Certè hoc Doctiſſimi Aranaz volumen eſt ampliſſimum Armamentarium, refertiſſimumque omni armorum genere adverſus hoſtes expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, oppugnatoreſque gloriæ Sanctiſſimæ Virginis.

1709 Quadrageſimus nonus Propugnator expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eſt Reverendiſſimus Pater Fr. AUGUSTINUS A' SANCTA MARIA, olim Vicarius Generalis Congregationis Eremitarum Auguſtinianorum Nudipedum in Luſitaniâ; qui jam emiſit in lucem volumina viginti tria; octoque alia habet parata prælo, quibus omnibus Vir Religioſiſſimus eruditionem, & pietatem ſpirat, aſſiduèque legendo, ſcribendoque jam octogenario maior, non dum caligantibus oculis, ut & de Moyſe ait Sacra Pagina; & ſine ſpecillorum auxilio, caracteres ſcribit pulcherrimos, & typis ſimillimos, ut de noſtro Sancto Andreâ Avellino teſtatum reliquit noſtri Ordinis Hiſtoriographus, diſertiſſimus Joſephus Silos.

Edidit

1710 Edidit hic Author Luſitano ſermone librum inſcriptum : *Hiſtoria Tripartita*, Ulyſſipone Occidentali apud Antonium Pedroſo Galraõ, anno 1724. in quarto, paginis 609.

1711 Hiſtoriam Tripartitam vocat, non exemplo Caſſiodori, qui vocavit Hiſtoriam Tripartitam, quam confecerat ex tribus Authoribus, nempe ex Socrate, Theodoreto, & Sozomino, ut ſcripſit Voſſius libro 2. de Hiſtoricis Latinis, cap. 19. pag. 225. ſed ad inſtar Michaelis Glycæ, qui vocavit Hiſtoriam Quadripartitam, ſeu Annales Quadripartitos, opus quod quatuor partibus diſtinxerat propter quatuor diverſa argumenta, ut videre eſt apud Voſſium lib. 2. de Hiſtoricis Latinis, cap. 27. paginâ 231. Hinc Pater Fr. Auguſtinus à Sanctâ Mariâ dixit Hiſtoriam Tripartitam, eam, quâ proſequutus eſt tria diſtincta argumenta, & in tres tractatus diviſit. In primo agit de Sanctis tribus Martyribus Ulyſſiponenſibus Veriſſimo, Maximâ, & Juliâ, quorum corpora ſepulta ſunt in Regali Cœnobio (quod hâc de cauſâ vocant *Sanctorum*) Virginum Militaris Ordinis Sancti Jacobi.

1712 In ſecundo agit de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, & de illius Militari Ordine.

1713 In tertio de fundatione ejuſdem Regii Parthenonis Sanctorum Martyrum, cujus Sacrarum Virginum texit Hiſtoriam.

1714 In veſtibulo ſecundi tractatûs extat Diſſertatio eruditiſſima de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, in plures paginas viginti ſupra centum. In hâc veram ſententiam firmat omnibus fundamentis, iiſque inconcuſſis, quibus illa probari ſolet. Additque teſtimonium ex novo Officio Sancti Iſidori, approbati à Clemente XI. & Innocentio XIII. nihil ſine Authore dicit; plurimis locis Sanctorum Patrum, & maximè Magni Parentis Auguſtini appoſi-

appositissimè utitur. Solvit dexterrimè omnia Adversariorum argumenta. Digna planè est hæc Dissertatio, quæ sæpiùs recudatur, ut omnes brevissimè legant quidquid sciri opus est in hâc controversiâ; ne ii, qui spissiora volumina legere non possunt, Pseudocriticorum fallaciis decipiantur.

1715 Quinquagesimus Propugnator expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, est Reverendissimus Pater Fr. LUDOVICUS URQUIOLA, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, Provinciæ Aragoniæ Definitor, ut vocant; qui Hispano sermone edidit opus inscriptum: *Sagrada Columna de España*, Cæsaraugustæ apud Hæredes Didaci de Larumbe, anno 1724. in quarto, pag. 416.

1716 Admirabile est opus istud, evincitque evidenter expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi; demonstrat enim, ab ipso constructum esse sacellum Cæsaraugustanum, dictum à Columnâ, vulgò *del Pilar*, quod non potuit Apostolus ædificare Cæsaraugustæ ad ripam fluminis Iberi, nisi veniisset in Hispaniam. Neque negari potest ejus adventus in Hispaniam, nisi consequenter negetur, ab ipso ædificatum esse sacellum à Columnâ dictum.

1717 Dividitur opus in quatuor libros. In primo demonstratur, Beatam Virginem allocutam fuisse Divum Jacobum, dum hic ad Cæsaraugustam, Iberumque flumen in Hispaniâ moraretur; quatenus id docet Traditio moraliter certa.

1718 In secundo demonstratur eadem alloquutio, ex Traditione toto Orbe receptâ.

1719 In tertio demonstratur eadem alloquutio, quatenus revelata est.

1720 In quarto demonstratur eadem alloquutio, quatenus miraculo confirmata.

1721 Ad hæc quatuor capita reduxit Doctissimus Author

Author omnia genera probationum, quibus nititur vera ſententia de Divo Jacobo ad Hiſpaniam veniente, in eâque illud Virgineum ſacellum fundante. Et ſub eiſdem capitibus ſolvit, & diluit omne genus argumentorum, quæ ab Adverſariis contra utramque veritatem intorqueri ſolent.

1722 Præter hos quinquaginta Authores, quos ſcio typis mandaſſe opera, quibus egregiè propugnatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, alii erunt, & fortaſsè plures, qui me latent, qui etiam in lucem editis voluminibus, pro illâ veritate decertent. Sed fateor ignorantiam meam; hos tantum mihi noſcere licuit.

1723 Illud tamen addiderim, me non ignorare alios referri, qui pro hâc veritate pugnavere operibus, quæ, cùm eſſent luce digniſſima, etiam num in tenebris deliteſcunt; cùm ea non legerim, non poſſum de iis judicium ferre, neque exponere quibus argumentis rem conficiant: ea tamen referam ordine temporum, quibus eorum Authores vixerunt.

1724 Primus eſt S. BRAULIO, Epiſcopus Cæſaraugustanus, Sancto Iſidoro æqualis, & qui ſubſcripſit ſexto Concilio Toletano, cujus opus creditum eſt eſſe libellus *De adventu Sanctorum Apoſtolorum Jacobi, Petri, & Pauli in Hiſpanias*, cujus meminit Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpanâ tom. 1. lib. 5. cap. 5. num. 241: paginâ 279. ubi dicit, hunc libellum extare in Codice, qui aſſervatur in Monaſterio Sancti Æmiliani Cucullati, vulgò *S. Millan de la Cogolla*: Codici autem titulus eſt *Vitæ Patrum.*

1725 Ego tamen, ut verum fatear, non adducor ut credam, illud opus eſſe Sancti Braulionis, in cujus ætate n illus dubitaverat de illorum Apoſtolorum in Hiſpaniam adventu; unde videtur, Sanctum Bralionem non habuiſſe occaſio-

occasionem ad tractandum de illo, libello peculiari, ut factum est postquam Hæretici cæperunt bella inferre Traditionibus Ecclesiasticis sæculo sexto decimo; & postquam secta dubitantium de certioribus quibusvis, ab orco erupit.

1726 Secundus est HIERONYMUS BLANCAS, Cæsaraugustanus, cujus summam in evolvendis veterum rerum documentis fidem, iisque solerti, ac defæcato examine dijudicandis, maturitatem laudat Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Scriptorum Hispaniæ. Is scripsit Hispanicè *Tratado de la venida de Santiago a España.* Obiit Hieronymus die 2. Decembris anno 1590.

1727 Tertius est P. DIDACUS ALVARES, Societatis Jesu, qui anno 1614. jam scripserat librum: *De la venida de Santiago a España*, quem ineditum eo anno citat Bernardus Aldrete, lib. 2. Antiquitatum Hispaniæ cap. 14. paginâ 284. ubi opus ab eruditione laudat.

1728 Quartus est PETRUS DE VALENCIA, Vir summæ eruditionis, atque pietatis, deque re literariâ optimè meritus, ut testatur Joannes Antonius Velasques, in Præfatione in Commentaria in Epistolam ad Philippenses, qui scripsit Hispanicè: *Discurso contra el Cardenal Baronio sobre la venida de Santiago a España.* Obiit Author Matriti, anno 1620.

1729 Quintus est Illustrissimus, & Reverendissimus D. D. JOANNES BELTRAN LADRON DE GUEVARA, ex designato Episcopo Pactensi, Archiepiscopus Salernitanus, deinde Pacensis Præsul, postremò Archiepiscopus Compostellanus, vir doctrinâ juris, & omnimodâ eruditione Clarissimus, qui scripsit: *De adventu Sancti Jacobi in Hispaniam*, ut Author est Franciscus Bivarius. Refertur etiam illustrissimi hic Authoris liber à Carolo Visch in Bibliothecâ Cistertiensi, paginâ 114. &

à Vincentio Placcio, libro de Pſeudonymis, paginâ 227. col. 2. ex eodem Viſchio.

1730 Sextus eſt Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. PETRUS DE CASTRO ET QUIÑONES, ex Archiepiſcopo Granatenſi, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, qui ſcripſit: *Diſcurſo de la venida de Santiago a Eſpaña;* extabat Codex iſte M. S. in tomo 12. Miſcellaneorum in Bibliothecâ Comitis Valliſumbroſæ, citatur ab Excellentiſſimo Marchione Agropolitano, poſtea de Mondexar, Diſſertatione 4. cap. 5. num. 29. pag. 378. De Authore agit Ægidius Gonzales de Avilâ in Theatro Eccleſiaſtico, tomo 2. à paginâ 101. cùm de Præſulibus Hiſpalenſibus. Obiit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus anno 1623.

1731 Septimus eſt Pater D. GABRIEL LOTHERIUS, noſtræ Congregationis Clericus Regularis, Neapolitanus, de quo Franciſcus Bolvitus noſter in Syllexi Scriptorum Clericorum Religionis Clericorum Regularium, & Joſephus Silos, noſtri Ordinis Hiſtoriographus, tomo 3. Hiſtoriarum Clericorum Regularium in Catalogo Scriptorum, ubi ait:

> *Gabriel Lotherius Neapolitanus, quâ Sacrâ, quâ profanâ eruditione cum paucis excultos, priſci præſertim ævi ſcientiſſimus; vitâ functus, Neapoli in Sanctorum Apoſtolorum domo anno hujus ſæculi* (decimi ſeptimi) *quinto ſupra vigeſimum die Decembris nonâ, octogenarius, & omnium, qui tum in ordine ſuperſtites profeſſione ſenior . . . cum ſtudiorum contentione eximiam conjunxit pietatem, ac virtutum cultum.*

Scripta extat in tabulario Sanctorum Apoſtolorum ab illius calamo: *Diatriba Hiſtorica M. S. de Beati Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam acceſſu.*

1732 Octavus eſt ANONYMUS, à quo ante annum 1638. quo edidit Joannes Franciſcus Andreas de Uſtar-

Ustarroz, Defensionem Patriæ Sancti Laurentii, scriptæ est: *Disputatio de adventu Divi Jacobi in Hispaniam, & Ecclesiæ Cæsaraugustanæ fundatione.*

1734 Nonus est BALTHASAR PORREÑO, Conchensis, Vir eruditus, qui Hispanicè scripsit: *Tratado de la venida de Santiago a España.*

1735 Decimus est D. THOMAS TAMAIUS DE VARGAS, Matritensis, Regius Archichronographus Castellæ, & Indiarum, Vir eruditissimus, qui, ut Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Scriptorum Hispaniæ Author est, scripsit: *Tratado de la venida de Santiago a España.* Obiit Vir doctissimus die 2. Septembris 1641. ætatis 54.

1736 Undecimus est BERNARDUS ALPHONSUS, Monachus Cisterciensis, Patriâ Superatensis, vulgò *de Sobrado*, à quo, teste Carolo Visch in Bibliothecâ Cistercienſi, scriptus Hispanicè: *Tomus de peregrinatione, & prædicatione Sancti Jacobi in Hispaniâ.* Vivebat Bernardus anno 1649.

1737 Duodecimus est D. GUTERIUS MARQUEZ DE CAREAGA, Almeriensis, eruditus Jurisconsultus, qui Hispanicè plura edidit, plura manuscripta reliquit, & inter hæc, opus, cui titulus: *La Verdad Sagrada de España; Santiago vino a ella, predicò a su gente; está sepultado en ella.* Decessit Author ineunte anno 1652.

1738 Tertius decimus est ANONYMUS ille Hispanus, qui scripsit Disputationem: *De adventu Divi Jacobi in Hispaniam, & Ecclesiæ Cæsaraugustanæ fundatione;* quæ erat in Bibliothecâ D. Francisci de Urreâ, Regni Aragoniæ Historiographi, ut refert Joannes Franciscus Andreas de Ustarroz in *Defensione Patriæ Sancti Laurentii*, fol. 131. & ex ipso D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Scriptorum Hispaniæ tomo 2. pag. 273. columnâ 1.

1739 Quartus decimus est quidam Granatensis, di-

ctus DOCTOR VIANA, qui brevem, ſed doctam ſcripſit Diſſertationem pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, in quâ multa dicit ſingularia; ſe tamen prodit literis Sacris, prophaniſque inſtructiſſimum, & artis Criticæ peritiſſimum.

1740 Quintus decimus eſt Reverendiſſimus Pater Fr. DANIEL A' REGIBUS, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Algarbiorum, Sacræ Theologiæ Lector, ut vocant, Jubilatus, Sancti Officii Cenſor, Vir Doctiſſimus, qui tamquam Oraculum à plurimis conſuli ſolet ad ſolvendas difficillimas quæſtiones, aſſuetus omnes facillimè, & eruditiſſimè enodare, in quo illud maximè mirandum, nempe hominem oculis captum dictare Diſſertationes eruditiſſimas, & pangere elegantia Carmina Latinè, ut ſuperiori anno admirata eſt Eborenſis Academia in ſolemniis Sanctiſſimi Viri Andreæ de Comitibus, Ordinis Minorum Beatorum albo recens adſcripti.

1741 Præſtat Sapientiſſimus cæcus, quod de Euſebio cæco ſcribit Caſſiodorus (libro Lectionum Divinarum cap. 5.)

> *Hic tantos Authores, tantos libros in memoriæ ſuæ Bibliothecâ condiderat, ut legentes probabiliter admoneret, in quâ parte Codicis, quod prædixerat, invenirent. Diſciplinas omnes, & animo retinebat, & expoſitione planiſſimâ lucidabat.*

Unde cum Danielem cæcum Tranſtaganum memoro, libet excribere ea, quæ memorato alio doctiſſimo cæco Tranſtagano Emmanuele à Valle de Mourâ ſcripſit Theophilus Rainaudus tomo 9. in Agiologio Exotico, paginâ 269. col. 1.

> *Erit quod gratulemur Luſitaniæ, quod adeo bene oculatos cæcos ediderit.*

Luce

Digitized by Google

Luce veritatis ductus Clariſſimus cæcus in defenſionem piæ Traditionis de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, cui ſententiæ Author, quem oppugnat, dixerat, (nullo jure) ineſſe cæcam pietatem dictavit eruditiſſimum Opuſculum Luſitano ſermone inſcriptum: *Pregaçaõ Euangelico-Hiſpanica do Apoſtolo Santiago Mayor revendicada*, anno 1724. Cui poſtea adjecit nobilem Appendicem, hoc titulo: *Auctarios à Pregaçaõ Euangelico-Hiſpanica do Apoſtolo Santiago Mayor, já revendicada.*

1742 Scopus hujus libri luce digniſſimi, eſt palam facere conficta eſſe, & falſa omnia ea, quæ contra expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi opponuntur; & è contra vera eſſe ſingula, quæ pro ipſâ afferri ſolent. Omnia pertractat Author doctiſſimè, & ſubtiliſſimè, ut Sapientiſſimus diſcipulus ſubtiliſſimi Magiſtri, fortiſſimi Virginis Mariæ gloriæ Aſſertoris, cujus primum, & Maximum Prædicatorem fuiſſe Sanctum Jacobum Maiorem in Hiſpaniâ, ſcribunt Authores non ignobiles. Et ſane quemadmodum detrahit gloriæ Auguſtiſſimæ Virginis, qui negat, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, nam ſimul arcet ab Hiſpaniâ Dei Matrem, ipſique aufert eum honorem, quem conſecuta eſt obſequio Sancti Jacobi, ſacellum Deo dicanti ſub titulo Virginis, quod nomen habuit, habetque à Columnâ, ita Magnæ Matris gloriæ conſulit, qui toto niſu, totiſque viribus pugnat pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ex quâ Beatiſſimæ Virginis incepit cultus in Cæſarauguſtano ſacello juxta Iberum flumen, ubi Sanctiſſima Dei Genitrix ſupra columnam quaſi platanus exaltata eſt juxta aquam, ut prænunciatum multò ante fuerat cap. 24. Eccleſiaſtici, ubi etiam ex perſonâ Matris Dei dicitur: *Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in Columnâ.*

1743 Ex dictis manifeſtè evincitur, multo ante decimum

cimum ſæculum ſcriptam fuiſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; & ſimul Scriptores, qui poſt decimum ſæculum prioribus ſubſcripſere, id non feciſſe ſine aliquo examine, aut indagatione. Nam nihil ab Adverſariis adducitur, quod ſi conſideraſſent Scriptores decimi ſæculi, eos poſſet deterrere ab aſſerendâ illâ expeditione. Nullus Sacræ Paginæ locus, nulla Traditio, nullum antiquioris Scriptoris teſtimonium, nullum factum certum, & indubitatum, cui neceſſariò repugnaſſet illa expeditio, inveniri poterat ab illis Scriptoribus, ſi accuratiſſimo uſi fuiſſent examine; ſi diligentiſſimâ indagatione omnia perſcrutarentur: ergo dici non poteſt, illos ſcripſiſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſine examine, & indagatione, cùm jam viderimus tot Authores, qui licèt ſummam, imò nimiam adhibuerint diligentiam in undique conquirendis argumentis, quibus illam expeditionem oppugnarent, nihilominus nullum invenere, cui totâ ſecundâ parte hujus operis non ſit abundè ſatisfactum.

1744 Dicant igitur nobis Adverſarii, quodnam eſt illud, quod Authores decimi ſæculi, adhibito diligenti examine, & ſolerti indagatione reperiſſent in illâ Traditione, ſeu mavis, famâ, quo conſiderato nunquam ſcripſiſſent, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam? & fatebimur, illos ſine examine dictaſſe, ſine indagatione ſcripſiſſe.

1745 Confirmemus hoc authoritate Sancti Pauli 1. ad Corinthios capite 2.

> *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram. Quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit; ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

1746 Loquutus eſt Sanctus Paulus myſterium, quod

ſi

si cognovissent Principes hujus sæculi, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Edisserant nobis Adversarii quidpiam, tam repugnans expeditioni Hispanicæ Sancti Jacobi, ut si illud propositum fuisset Scriptoribus decimi sæculi, nunquam illi eam scripsissent; & dabimus eos ideo scripsisse, quia rem examini non subjecere. Illud certum est, jam elapsos esse plusquam centum annos, in quibus post solicitam indagationem plusquam sexaginta Authores versarunt hanc quæstionem, appenderuntque in Criticâ librâ, veriùsque momenta, & omnibus optimè consideratis subscripsere famæ (si ita quis velit) expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi. Unde certum est, idem facturos fuisse Authores cujuscumque sæculi post diligens examen, unde asseri non potest, ullos ita scripsisse, quia examine, & indagatione abstinuerunt; cùm nihil unquam inventum sit, quod illi expeditioni repugnet, ut latissimè demonstratum est totâ secundâ parte per 39. Assertiones, & parte 3. aliquot Assertionibus.

## SECTIO II.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi asseritur à Traditione.*

1747 TRaditio definitur: *Transmissio alicujus veritatis non scriptæ successivâ annorum serie de aure in aurem, vivâ voce à maioribus in posteros.*

1748 Communis divisio Traditionis est in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Sed ut divisio juxta regulas Logicæ exhauriat omne divisum, addimus Piam, Vulgarem, seu Popularem, & Familiarem.

1749 Traditio Divina est transmissio alicujus veritatis, quam Deus homini patefecit.

Tradi-

1750 Traditio Apoſtolica eſt tranſmiſſio alicujus, veritatis, quam Apoſtoli ſuos diſcipulos docuere.

1751 Traditio Eccleſiaſtica eſt tranſmiſſio alicujus ritûs, quem Paſtores Eccleſiæ inſtituerunt.

1752 Traditio Pia eſt tranſmiſſio alicujus veritatis, pietatem foventis expreſsè, vel tacitè ab Eccleſiâ approbatæ.

1753 Traditio Popularis, ſeu Vulgaris eſt tranſmiſſio alicujus veritatis, populi conſenſu receptæ.

1754 Traditio Familiaris eſt tranſmiſſio alicujus veritatis à parentibus in filios, intra domeſticos parietes.

1755 Licèt Traditio Familiaris ſit poſtrema ſpecies Traditionis, tamen non eſt contemnenda. Dicit enim Sacra Scriptura Deuteronomii 32. verſu 7.

*Interroga patrem tuum: & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.*

& Pſalm. 431.

*Deus auribus noſtris audivimus, & patres noſtri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus eſt in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

1756 Effectus cujuslibet ex his ſex ſpeciebus Traditionum, eſt aſſenſus firmus veritati traditæ, maioris, vel minoris præſtantiæ Traditionis proportione ſervatâ, & juxta uniuſcujuſque Traditionis exigentiam. Ita ut ſi Traditio ſit ex genere earum, quæ exigunt fidem ſupernaturalem, aſſenſus ſit fidei ſupernaturalis; ſi verò ſit ex iis, quibus ſola debetur fides naturalis, ſit tantummodo aſſenſus naturalis, & ex fide humanâ.

1757 Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ſciri ex Traditione, docent omnes illius Propugnatores, non tamen conveniunt omnes in ſpecie, ad quam revocanda eſt hujuſmodi Traditio, licèt ad unum omnes aſſerant, Traditionem eſſe inconcuſſam, Sanctum Jacobum Zebedæi

dæi in Hiſpaniam Euangelii lucem intuliſſe. Ideo operæprætium me facturum eſſe exiſtimavi, ediſſerere cujuſnam ſpeciei ſit iſta Hiſpano-Jacobæa Traditio; quod ſequentibus Aſſertionibus præſtabo.

## ASSERTIO LII.

### *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi aſſeritur à Traditione non ſolùm Familiari, & Populari, ſed etiam Piâ.*

1758 SUpra ſuppoſuimus eſſe Traditiones Familiares, quæ à patribus derivantur in filios, & ab his in nepotes; & licèt hæc Traditio ſit omnium infirmior, potentior eſt omni tyrannorum vi. Hi enim poſſunt deſtruere omnia antiquitatis monumenta, vetare tamen non poſſunt, ut quis filio in aurem inſtillet ea, quæ à parente accepit. Exemplo ſit Herodes, qui (ut legimus apud Euſebium lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 7.) *priſcas illas Iſraelitarum familias nihil ad ſe pertinere intelligens, ignobilitatis ſuæ conſcientiâ ſtimulatus, omnia illa veterum monumenta concremavit: ratus ſe tum demum nobilem viſum iri, cùm nemo eſſet, qui ex publicis monumentis originem generis ſui, vel ad Patriarchas, vel ad Proſelytos, vel ad permixtos Iſraelitis peregrinos, qui Georæ dicuntur, poſſe referre. Pauci tamen antiquitatis ſtudioſi privatos ſtirpis ſuæ commentarios, VEL QUOD NOMINA IPSA MEMORITER CALERENT, vel ex archivis deſcriptos penes ſe habentes, in primis gloriabuntur, quod avitæ nobilitatis memoriam conſervaſſent.* Perſeveravit Traditio genealogiarum, etiam invito Herode; in quem dici poteſt illud Cornelii Taciti lib. 4. Annalium cap. 35. n. 5. *quo magis ſocordiam eorum irridere libet,*

*qui præſenti potentiâ credunt extingui poſſe, etiam ſequentis ævi memoriam.*

1759 Neque Traditio Familiaris eſt tam exiguæ authoritatis, quin Deus mandaverit ei credi, ut ſignificant illa citata verba Deuteronomii: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit*; & meritò; nam certum eſt contra pietatem eſſe filios non credere parentibus tradentibus ea, quæ nullo pacto repugnant.

1760 Traditione Familiari conſtare nobis de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, teſtatus eſt Excellentiſſimus Caſtellæ Comeſtabuli in operis inſcripti: *Hiſpaniarum Vindiciæ Tutelares*, Epiſtolâ nuncupatoriâ, Regno Caſtellæ Comitiis curiatis, ubi ait:

> *Quod à maioribus accepimus, D. Tutelarem Jacobum Apoſtolum in Hiſpaniam quondam veniſſe, ſacemque Fidei intuliſſe id nunc gemino iſte libro, velut manu adſertum vobis reddo, ampliſſimi Proceres.*

1761 Et libro 2. paginâ 16. graviſſimè addit:

> *Non minima ævi noſtri macula eſt, quod cum maiorum pio conſenſu, cultuque Divi Jacobi in Hiſpaniam adventus claruerit, mutatâ nunc demum ſorte, iniquis exterorum quorundam ſuffragiis infeſtatur.*

1762 Idem teſtatur nomine omnium Luſitanorum, imò & omnium Hiſpanorum, Luſitanus Macedo, in Diatribâ ſæpiùs citatâ, cap. 5. pag. 25. ubi cùm dixiſſet.

> *Certum omninò, & indubitatum eſſe volo adventum in Hiſpaniam Sancti Jacobi Apoſtoli argumento invicto, & invincibili Traditionis, quæ nullis artibus eludi, aut machinis expugnari, aut argumentis refelli poteſt. Hæc ſatis eſt ad rem probandam; nec oportet alia præſidia, vel ſcripturarum, vel librorum, vel rationum inquirere. Nemo deſiderabit ampliùs, dummodo non ignoret quid ſit Traditio.*

Paucis

Paucis interjectis, subdit:

*Hoc ab initio Euangelicæ prædicationis maiores nostri cum Fide Catholicâ acceperunt, & ad avos nostros transmiserunt, per quorum ad nos, qui nunc vivimus, manus pervenit, & à nobis ad posteros, usque ad Mundi finem transibit.*

1763 Qui hanc Traditionem cum Fide Orthodoxâ accepimus à maioribus, hanc cum ipsâ Fide Orthodoxâ ad posteros transmittemus. Credimus enim, avos nostros eam à suis accepisse, hosque ab aliis, ascendendo usque ad tempora discipulorum Sancti Jacobi, & ætatem hujus Sanctissimi Magistri; nam facillimum est transmitti ad posteros memoriam cujuscumque illustris viri, à quo quælibet nobilis familia incepit, licèt ignorentur plura illius gesta; unde cùm Sanctus Jacobus nos Lusitanos per Euangelium genuerit, proclive fuit ad nos venire cum religione, notitiam illius, qui nobis omnium primus ipsam instilavit.

1764 Constare nobis etiam Traditione Populari expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, abundè probatur unicâ observatione, quam supra innui Assertione 51. numero 1577. nempe ex eo, quòd citatus liber Comitistabuli typis datus fuerit jussu totius Regni Castellæ, quod ad Comitia convenerat, quo omnes Regni Episcopi, totus ordo nobilium, omnesque Procuratores Urbium, præcipuorumque Oppidorum illius Regni, omnium nomine testati sunt, in omnibus illius Regni Populis vigere eam Traditionem de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam.

1765 Qui autem dubitaverit de hâc Populorum Traditione, pergat Bracharam, pergat Compostellam, pergat Cæsaraugustam, & dubitare desinet, cùm viderit toto Regno Aragoniæ tam firmiter credi, Sanctum Jaco-

bum ibi prædicaſſe, ut nihil tam certum teneatur infra articulos Fidei; ut teſtatur Magiſter Ysla in Opuſculo de Principio, Medio, & Fine inſtitutionis Ordinis Sancti Jacobi, quod eſt ad calcem Regulæ Ordinis Equeſtris Sancti Jacobi, cap. 3. pag. 169. Conſulo tamen, ut in Hiſpaniâ non audeat prædicare, Sanctum Jacobum in illâ non prædicaſſe, nam ut ait Salmeron in Epiſtolâ ad Patrem Stephanum Tuccium, Societatis Jeſu, id, *qui apud noſtrates prædicaſſe auderet, inexpiabile profectò flagitium committere videretur.* Tam altè infixa eſt noſtratium animis expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi.

1766 Conſtare denique Traditone Piâ, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, aſſerit, ut omnes alios præteream, Doctiſſimus Criticus, & veritatis amantiſſimus Gallus Honoratus à Sanctâ Mariâ, ex Sanctiſſimo Cætu Carmelitarum Nudipedum, in eruditiſſimo opere inſcripto: *Reflexions ſur les Regles, & ſur l'Uſage de la Critique*, tom. 2. lib. 1. Diſſert. 1. articulo 3.

1767. Hoc autem evidenter probatur, quia Traditio Pia, ut ſupra diximus, eſt tranſmiſſio veritatis pietatem foventis, approbatæ ab Eccleſiâ vel expreſsè, vel ſaltem tacitè. Traditio autem de expeditione Hiſpanicâ fovet pietatem, inducitque Hiſpanos ad cultum ſpecialem Sancti Jacobi, ex doctrinâ Theophili Raynaudi tomo 8. Opuſculo inſcripto: *Tituli cultûs Sanctorum ſpecialis*, punct. 3. pag. 488. ubi ait:

> *Qui igitur hoc modo ſe prodidere gentis alicujus Apoſtolos, deque ea per Euangelii diſſeminationem, ac culturam ſoli illius, optimè ſunt meriti, peculiarem eorum, quibus commodarunt, affectum, ac venerationem ſibi meritiſſimè depoſcunt; eſtque id maximè legitimum cultûs ſpecialis fundamentum.*

Quo in loco jam dixerat, S. Jacobum prædicaſſe Hiſpanis. Deinde

Digitized by Google

1768 Deinde hæc Traditio est approbata ab Ecclesiâ non solum tacitè, sed expressè. Tacitè, quia permittit asseri à Concionatoribus, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ; pingi à Pictoribus Imagines, quæ indicant, Sanctum Jacobum prædicasse in Hispaniâ, dum eum repræsentant genuflexum cum discipulis ante Virginem stantem supra Columnam Cæsarauguſtanam. Et quod longè maius est, in ipsâ Urbe Româ hujusmodi coluntur Imagines.

1769 Expressè verò approbatur hæc Traditio ab Ecclesiâ, non solùm approbatis libris Sacræ Scripturæ Exegeticis, Concionatoriis, & Historicis, quibus hæc Traditio refertur, adstruitur, & defenditur; sed etiam in libris Ecclesiæ usui deservientibus, ut sunt Breviaria &c. ut latiùs videbimus infra. Nulli autem privato homini licet improbare, quod ab Ecclesiâ expressè, vel etiam tacitè approbatur.

## ASSERTIO LIII.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi asseritur Traditione Ecclesiasticâ.*

1770 NOn solùm ex Traditione Piâ, sed etiam ex Traditione Ecclesiasticâ asseri expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, demonstrare aggredior, quocirca adnotanda sunt quæ sequuntur.

1771 Traditio Ecclesiastica, quæ, ut diximus, est transmissio alicujus ritûs ab Ecclesiæ Pastoribus instituti; in quatuor dividitur species, nempe in Traditionem Generalem, sive Oecumenicam, Nationalem, Provincialem, & Diœcesanam. Hæc divisio sumpta est ex divisione Conciliorum penes quæ est instituendorum rituum autho-

authoritas. Concilia enim dividuntur in Generalia, ſive Oecumenica, Nationalia, Provincialia, & Diœceſana. Et ſicuti Concilium Generale eſt illud, cui interſunt Epiſcopi totius Orbis; ſic Traditio Eccleſiaſtica Generalis eſt illa, in quam conſentiunt Eccleſiæ totius Orbis. Sicuti Concilium Nationale eſt illud, in quod conveniunt omnes Epiſcopi cujuſdam Nationis; ita Traditio Eccleſiaſtica Nationalis eſt illa, in quâ conſentiunt omnes Eccleſiæ cujuſdam Nationis. Sicuti Concilium Provinciale eſt illud, in quod conveniunt omnes Epiſcopi cujuſdam provinciæ; ita Traditio Eccleſiaſtica Provincialis eſt illa, in quâ conſentiunt omnes Epiſcopi cujuſdam provinciæ. Denique ſicuti Concilium Diœceſanum eſt illud, in quod conveniunt omnes Eccleſiaſtici unius Diœceſis; ita Traditio Eccleſiaſtica Diœceſana eſt illa, in quâ conſentiunt omnes Eccleſiaſtici unius Diœceſis.

1772 Cùm autem Traditio Eccleſiaſtica ſit ritus introductus à Prælatis Eccleſiæ, erit Traditio Eccleſiaſtica Diœceſana ritus introductus ab Epiſcopis Diœceſanis. Provincialis introducta à Metropolitano; Nationalis introducta à Primate, vel Patriarchâ; Univerſalis tandem erit, quæ pro toto Orbe introducta fuerit à Summo Pontifice, totius Orbis Paſtore, tamquam Papâ; ſi enim introducta fuerit pro ſolo Occidente, videbitur ab ipſo emanare tamquam ab Occidentis Patriarchâ. Si ſolùm pro Epiſcopatibus ſibi Suffraganeis, videbitur emanare ab illo tamquam Metropolitano. Si tandem pro ſolâ Diœceſi Romanâ, videbitur ortum eſſe ab ipſo tamquam Epiſcopo Romano; omnes enim has quatuor Dignitates, ex diverſis titulis habet Summus Pontifex. His ſuppoſitis.

1773 Certum eſt de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi dari Traditionem non ſolùm Familiarem, Popularem, & Piam, quæ ſolùm ſunt Hiſtoricæ, ſed dari Traditio-

ditionem Ecclesiasticam ; nam , ut docet ex nostris eruditissimus Pater Caracciolus, in Bigâ Illustrium Controversiarum, Controversiâ 1. numero 42.

*Hic quoque de Sacro titulo, & cultu res est, ab Hispanis Beato Jacobo Apostolo eo nomine hactenus exhibito, quod apud eos Fidei Christianæ fuerit fator, & conditor.*

1774 Ut autem probetur hujusmodi Traditionem esse Ecclesiasticam, satis est sciri esse Traditionem Ecclesiarum, quod ultrò nobis concessit Cardinalis Baronius, quo adnitente, apposita sunt in Breviario Romano Clementis VIII. jussu edito, illa verba in Lectione V. Festi S. Jacobi : *Mox Hispaniam adiisse, & aliquos discipulos ad Fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ Traditio est.* Nam non potest esse Traditio Ecclesiarum, quin sit Traditio Ecclesiastica; nec potest esse Traditio Ecclesiastica, quin saltem sit Traditio alicujus Ecclesiæ; nam ut ex ipsis nominibus patet, esse Ecclesiasticum, & esse Ecclesiæ convertuntur ad invicem, ut phrasi Logicorum uter.

1775 Hinc necessariò dicendum est primò, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi constare Traditione Ecclesiasticâ saltem Diœcesanâ, seu unius Ecclesiæ; aliàs enim non esset Traditio Ecclesiastica.

1776 Similiter dicendum est, illam Traditionem non solùm esse Traditionem Ecclesiasticam Diœcesanam, sed Provincialem; hoc enim apertè significant illa verba: *Ecclesiarum illius provinciæ Traditio est.*

1777 Neque dici potest, his verbis non significari eam Traditionem non esse Provincialem, seu integræ alicujus provinciæ, sed tantummodo aliquot Ecclesiarum ex aliquâ Hispaniæ provinciâ, ex eo, quòd non dicant *Omnium Ecclesiarum*; sed tantummodo *Ecclesiarum illius provinciæ Traditio est*; non, inquam, id dici potest; nam ipse Cardinalis Baronius, quo adnitente, & fortassè scribente,

bente, ea verba poſita ſunt in Breviario Clementino, teſtatur, eam Traditionem eſſe omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ, ut videre eſt apud ipſum tomo 1. Annalium ad annum Chriſti 44. num 1. ubi ait:

*Cùm Hiſpaniarum Eccleſiæ omnes ex æquo profiteantur, eundem Apoſtolum antea in Hiſpanias eſſe profectum, illicque primum prædicaſſe Euangelium, & aliquot collegiſſe diſcipulos.*

1778 Ex quibus verbis deducitur, eam Traditionem Eccleſiaſticam non eſſe ſolùm Provincialem, ſed etiam Nationalem; nam omnes Eccleſiæ Hiſpaniarum non conſtituunt unam ſolam provinciam, ſed plures provincias, imò plures Nationes, diverſis linguis utentes, diſtinctiſque Regibus ſubjectas, in quarum quâlibet ſunt tot provinciæ Eccleſiaſticæ, quia in Luſitaniâ ſunt quatuor Metropoles; prima Patriarchalis, quæ præcedit omnes alias hujus Regni, diciturque Ulyſſiponenſis Occidentalis. Secunda eſt Bracharenſis, cui præeſt Archiepiſcopus Hiſpaniarum Primas. Tertia eſt Ulyſſiponenſis Orientalis, & quarta Eborenſis. In Regnis verò ſubjectis Regi Catholico, octo ſunt provinciæ, quia ſunt octo Metropolitanæ Eccleſiæ, nempe Toletana, Burgenſis, Compoſtellana, Hiſpalenſis, Granatenſis, Cæſarauguſtana, Tarraconenſis, & Valentina. Harum Metropolitis ſubjiciuntur intra fines Hiſpaniæ pluſquam quinquaginta Eccleſiæ Epiſcopales; ex ſententiâ igitur Magni Baronii datur de adventu S. Jacobi in Hiſpaniam Traditio Eccleſiaſtica, non ſolùm Diœceſana, ſed Provincialis, non ſolùm Provincialis, ſed Nationalis; nam omnes Eccleſiæ Hiſpaniarum plures complectuntur Nationes.

1779 Unde alieniſſi num à veritate eſt, multos fuiſſe, & hodie eſſe Hiſpanos, verèque Catholicos, qui negant de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi dari Traditionem,

tionem, & asserunt, id solùm esse persuasionem imperitorum hominum; hoc enim Hispani asserere non possent, nisi essent propriæ famæ prodigi, viderique amarent omnium imperitissimi. Si sunt imperiti homines, qui affirmant, Sanctum Jacobum venisse in Hispaniam, imperitus erit stupor Mundi, Episcopus Abulensis; imperitus erit Alphonsus Salmeron; imperitus erit Magnus Suarius; imperitus erit Ludovicus Granatensis; imperitus erit Thomas Stapletonus; imperitus erit Sebastianus Barradius; imperitus erit Marchio de Mondexar; imperitus erit Cardinalis de Aguirre; imperiti erunt omnes Viri Doctissimi, quos supra produximus, hujus expeditionis Assertores, & Defensores; & omnes, quos infra referemus in Sylloge Scriptorum, qui expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi scriptis voluminibus asseruere. Quod quidem dici non potest, citra gravissimam illustrissimorum capitum injuriam.

1780 Quid si dixerimus, hanc Traditionem Ecclesiasticam non solùm esse Nationalem, sed Universalem? Magnum ducem sequemur, non proletarium militem; Authorem non Lusitanum, non Hispanum, sed Belgam, virum quidem integerrimum, & ab omni adulationis specie alieniissimum, Cornelium, inquam, Alapide, utpote hominem, qui (ut ait Philippus Alegambe in Bibliothecâ Scriptorum Societatis Jesu) *Nihil in hoc Mundo à quoquam mortalium expectaret, nihil desideraret. Hominum judicia, aut plausus non moraretur, soli Deo placere cupiens, & displicere timens.* Is enim in Commentariis in Acta Apostolorum cap. 12. versu 2. ait:

> *Sanctus Jacobus in Hispanias profectus est, utique ante annum Christi* 44. *nam eo occisus est Hierosolymæ ab Herode. Eum enim in Hispaniâ prædicasse, UNIVERSALIS est, & immemorabilis, non tantum Hispaniæ,*

*ſed & Fidelium ubique TRADITIO, cui refragari nemo queat.*

1781 Prudentiſſimè addit Sapientiſſimus Doctor, neminem refragari poſſe Traditioni, quam dixerat eſſe Univerſalem; nam ſi nemo poteſt refragari Traditioni illius Eccleſiæ, in quam venit, dicente Sancto Auguſtino Epiſt. 54. ad Januarium capite 5. in editione Patrum Sancti Mauri, tom. 2. col. 95. *Faciat ergo quiſque, quod in eâ Eccleſiâ, in quam venit, invenerit.* Conſequens eſt, intra limites unius provinciæ, neminem ſive indigenam, ſive peregrinum poſſe refragari Traditionibus illius provinciæ; & ſimiliter intra terminos unius Nationis, neminem ſive indigenam, ſive peregrinum poſſe refragari Traditionibus illius Nationis. Conſequens etiam eſt, nullum Fidelem poſſe refragari Traditioni Univerſali, quæ eſt omnium Fidelium. Nam omnes Fideles affirmant, aliquis fidelis non affirmat, ſunt propoſitiones contradictoriæ, quæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, neque ſimul falſæ. Ex eo autem, quòd omnes affirment, bene ſequitur, nullum non affirmare.

1782 Quo jure autem Cornelius à Lapide dixerit, de adventu Sancti Jacobi dari ubique Univerſalem Traditionem, oſtendi poteſt pluribus modis; mihi ſatis eſt unus. Mihi ſatis eſt ex omnibus Nationibus, & ex omnibus ſtatibus produci poſſe Authores, illam expeditionem affirmantes, quod infra præſtabo in Sylloge Scriptorum.

1783 Ex eo autem, quòd hæc Traditio ſit Univerſalis, poſſet aliquis inferre, illam eſſe Apoſtolicam, attentâ celeberrimâ doctrinâ Sancti Auguſtini, lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. dicentis:

*Quod Univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper cuſtoditum eſt, non niſi authoritate Apoſtolicâ traditum, rectiſſimè creditur.*

Neque

Neque Authore destitueretur, aut id primus diceret, & sine patrono; nam Venerabilis Pater Fr. Didacus Murillo, in libro de Fundatione sacelli Columnæ Cæsarauguſtanæ, cap. 2. pag. 12. columnâ 1. asserit Traditionem de Divo Jacobo, Cæsarauguſtæ illud sacellum ædificante, mereri nomen Traditionis Apoſtolicæ, non quidem Universalis, sed Particularis, ut aliæ, quas Apoſtoli introduxerunt in provincias, in quibus prædicarunt, non spectantes ad omnes Ecclesias; unde ait idem Author, istam Traditionem non nihil altiùs evehi supra alias Traditiones, quæ vocantur purè Ecclesiasticæ.

1784 Ego autem licèt non asseram, istam Traditionem esse ex iis, quæ à Theologis dicuntur Apoſtolicæ, minimè dubito, illam ab Apoſtolis profluxisse; nam ex unâ parte pro certo habeo, Sanctum Jacobum prædicasse in Hiſpaniâ, occisumque fuisse ex Hiſpaniâ reducem. Pro certo habeo, hanc expeditionem cognitam fuisse Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, & Joanni, qui omnes prædicaverunt in Occidente. Pro certo habeo, illos loquutos fuisse de Sancto Jacobo, qui primus, sanguine effuso, testatus est illam doctrinam, quam ipsi Apoſtoli prædicabant; neque tacuissent labores, quos S. Jacobus in expeditione Hiſpanicâ exanthlaverat. Præsertim Sanctus Paulus, qui prædicans in Hiſpaniâ poſt Sanctum Jacobum, non poterat non inculcare Hiſpanis, se prædicare eandem doctrinam, quam ipsis antea prædicaverat Sanctus Jacobus, præcipuè cùm multò antea scripsisset cap. 10. ad Romanos illa verba:

*Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

Sanctus Paulus, qui (ut legimus in Actis Apoſtolorum cap. 15. vers. 41.) quando perambulabat Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiebat custodire præ-

cepta Apoſtolorum, & qui certè perambulavit Hiſpaniam, in quâ confirmavit Eccleſias, quibus Sanctus Jacobus prædicaverat, proculdubio Hiſpanis præcepit cuſtodire præcepta Sancti Jacobi, primi illorum Apoſtoli. Sanctus Paulus, qui ad Hebræos ſcribens capite 11. meminit martirii Sancti Jacobi, ut docet Sanctus Joannes Chryſoſtomus ad ea verba verſ. 35. *Alii autem diſtenti ſunt;* dicens Homiliâ 27. *In hoc loco videtur mihi Joannem, & Jacobum ſignificare;* diſtentio quippe *dicitur decollatio.* Quomodo tacuiſſet Hiſpanis geſta apud ipſos à Sancto Jacobo?

1785 Hinc eſt eos, qui aſſerunt, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ poſt Sanctum Jacobum, facilè conceſſuros eſſe, Traditionem de adventu Sancti Jacobi propagatam fuiſſe à Sancto Paulo Doctore Gentium, & ex hoc capite dici poſſe Apoſtolicam.

1786 Ex alio capite videri poterat aliis, iſtam Traditionem de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam dici potuiſſe Apoſtolicam, quia ſcilicet ipſe Apoſtolus jam in Cœlis regnans, apparens Regi Ramiro, ipſi dixit:

> *Nunquid ignorabas, quod Dominus Noſter Jeſus Chriſtus alias provincias aliis fratribus meis Apoſtolis diſtribuens, totam Hiſpaniam meæ tutelæ per ſortem deputaſſet; & meæ commiſiſſet protectioni?*

Quæ verba inferiùs expendemus Aſſertione 63. ubi de Rege Ramiro. Ego tamen nolo hanc Traditionem iſto ex capite dicere Apoſtolicam; non enim dicuntur Apoſtolicæ Traditiones, eæ, quæ ab Apoſtolis Cœlo degentibus revelatæ ſunt, ut videre eſt in iis, quæ Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus revelarunt Sanctæ Tereſiæ; Sanctus Joannes Euangeliſta revelavit S. Gertrudi, & Sanctæ Franciſcæ.

1787 Deinde, ſi ex hoc capite dixero, illam Traditionem

tionem vocandam esse Apostolicam, cogar asserere, dari de adventu Sancti Jacobi in Hispanias Traditionem non solùm Apostolicam, sed etiam Divinam, quia etiam hic adventus fuit revelatus à Deo, ut infra videbimus; neque tamen dicendus est cognitus Traditione Divinâ, quia revelationes privatæ non sunt Traditiones Divinæ.

1788 Nobis satis est expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi asseri Traditione Ecclesiasticâ Nationali, eâque, cui intra Hispaniam refragari non licet, & quæ sufficit ad reddendam ipsam expeditionem non solùm probabiliorem, sed moraliter certam; qui proculdubio est effectus Traditionis humanæ, quam de hâc expeditione dari probant ferè omnes illius Propugnatores, & dari demonstrabimus Sectione sequenti.

## SECTIO III.

### *Demonstratur dari verè Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi.*

1789 CUm nobis concedatur, illustres Jacobeæ prædicationis in Hispaniâ Defensores ad unum omnes asserere, Traditionem esse inconcussam, Sanctum Jacobum Zebedæi in Hispaniam Euangelii lucem intulisse, & hoc dicere omnes; mirum est asseri, à nullo hoc probari. Sed longè magis mirum est illud dici: *Summus Pontifex Clemens VIII. adnitente Baronio, omnium Cardinalium in re Historicâ eruditissimo, ex eo Breviario* (scilicet Romano) *deleri, & expungi jussit hanc Traditionem de prædicatione Sancti Jacobi in Hispaniâ.* Cùm non solùm longè aliud, sed omninò oppositum constet ex Breviario Clementis VIII. jussu recognito. Qui ea scripsit, fortassè non vidit illud Breviarium, in quo sub die 25. Julii in Festo

Feſto Sancti Jacobi Lectione V. legitur de Sancto Apoſtolo:

> *Mox Hiſpaniam adiiſſe, & ibi aliquos ad Fidem convertiſſe, Eccleſiarum illius provinciæ Traditio eſt.*

Sed non legerit hoc Breviarium, quippe quod jam non eſt in uſu; certè legit Lorinum, quem ſæpiùs citat, qui in capite 12. Actuum Apoſtolorum verſu 2. ait:

> *Juſſu Clementis VIII. in emendato Romano Breviario reſtitutum eſt*; provinciæ Hiſpaniæ Eccleſiarum Traditionem eſſe, Jacobum Hiſpaniam adiiſſe, & ibi aliquos ad Fidem convertiſſe *pro eo, quod antea legebatur* peragraſſe Hiſpaniam, ibique Euangelium prædicaſſe: *Videlicet nullâ mentione factâ de Traditione. Huic tamen, quæ magni meritò fieri ſolet, noluit Pontifex derogare.*

1790 Si Pontifex Clemens VIII. noluit derogare Traditioni Eccleſiarum Hiſpaniæ, ſi illam apponi juſſit Breviario Romano, quo jure, quâ veritate, quâ fide aſſeveratur, Clementem VIII. juſſiſſe hanc Traditionem deleri, & expungi ex eo Breviario?

1791 Æquè falſum eſt, illam Traditionem non probari ab illuſtriſſimis Defenſoribus expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi; nam Traditio Eccleſiarum probatur ex illarum Breviariis, ut aſſerit Vir acerrimi judicii Joannes Mariana; qui teſtimonio Cardinalis Baronii, Patris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, fuit *Veritatis amator, & pietatis optimus cultor, qui erudito ſtylo poſtremam manum appoſuit rerum Hiſpanicarum Hiſtoriæ, Hiſpanus & ipſe, ſed affectu privato carens dignus profeſſor Societatis Jeſu.* Mariana etenim in Diſputatione de adventu Jacobi Apoſtoli Maioris in Hiſpaniam, cap. 14. paginâ 28. ait:

> *Sed age poſtremum noſtræ cauſæ præſidium proferatur. Id ex Traditione Eccleſiarum peti debet, Traditio ex Brevia-*

Digitized by Google

*Breviariis, quæ magno numero superiùs capite* 8. *protulimus.*

1792 Idem docet ex noſtris Pater Caracciolus in Bigâ illuſtrium Controverſiarum, Controverſiâ 1. num. 42. ubi ait:

*Ejuſmodi autem Univerſalem Hiſpaniæ Traditionem, conſignatam cernimus publicis, & vetuſtis Eccleſiarum monumentis, Breviariis videlicet Sacrarum precum.*

1793 Idem docet (quod magis mirandum) Adverſarius noſter Natalis Alexander, in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſæculi 1. Diſſertatione 14. Propoſitione 2. ubi probare volens, Sanctum Clementem fuiſſe tertium Pontificem Maximum ex Traditione Eccleſiæ Hiſpanienſis, ait:

*Probatur ultimò ex Traditione Eccleſiæ Hiſpanienſis, quæ in Breviario Toletano, quod Sancti Iſidori dicitur in Sacro Hymno Sancti Clementis laudes celebrante hæc legit*: &c.

1794 Dixi eſſe magis mirandum, Natalem Alexandrum aſſeruiſſe probari Traditionem Hiſpanam ex Breviario Iſidoriano; quia hic Author, dum impugnat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, non acquieſcit eidem Breviario Iſidoriano, ipſam aſſerenti, ut conſtet quâ fide Gallus iſte Author nobis adverſetur.

1795 Poſt Natalem Alexandrum, idem docet eruditiſſimus Gallus, & ſeveriſſimus Crlticus D. Matthæus Petit Didier, Monachus Benedictinus Congregationis Sanctorum Vitoni, & Hidui, nunc Epiſcopus Macrenſis, & Pontifici Maximo Aſſiſtens, in Diſſertationibus Hiſtoricis, Criticis, Chronologicis, Diſſertatione 20. pag. 171. editionis Tulli Leucorum, anno 1699.

1796 Et noviſſimè idem docet Sapientiſſimus Gallus Honoratus à Sanctâ Mariâ, ex Tereſiano Nudipedum Carmelitarum Cætu, Vir noſtro ſæculo à ſcriptis eruditiſſimis

tiſſimis voluminibus celebris, in egregio opere inſcripto: *Reflexions ſur les Regles, & ſur l'Uſage de la Critique*, tom. 2. edito Pariſiis anno 1717. in quarto, libro 1. Diſſertatione 2. articulo 5. §. 2. 3. & 4.

1797 Cùm igitur firmum, ſanctumque ſit apud ſeveriores Criticos, Traditiones Eccleſiaſticas probari per Breviaria, alioſque libros Eccleſiaſticos, ſupereſt oſtendere, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi referri in plurium Eccleſiarum Breviariis, ut demonſtretur de ipſâ verè dari Traditionem Eccleſiaſticam.

1798 Pleraque ex mox referendis Breviariis producuntur à Defenſoribus expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, quo manifeſtæ falſitatis convincitur ſententia aſſerens, eos Traditionem allegare, ſed non probare. Omnia ferè producit D. Michael Erze Ximenes, de quo Magnus Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cap. 16. pag. 163. ait:

> *Hoc argumentum eruditiſſimè tractavit Erze Ximenius parte 1. tract. 3. qui omnes pene Bibliothecas Romanas excuſſit, & ex aliis exempla poſtulavit, ad hujuſmodi veritatem confirmandam, cui video nihil addi poſſe.*

Ego tamen tria Breviaria addam, quæ Michaelem Erze Ximenium ſolertiſſimum indagatorem fugerunt, quæ ſunt ex Galliâ ſuis locis inſerenda; & nullus dubito, plura alia invenienda fore. Sed quæ producam, omnia præter iſta, Michaeli Erze accepta refero, apud ipſum videnda.

ASSER-

# ASSERTIO LIV.

## *Traditio de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Lusitaniæ.*

1799 INcipio probationem Traditionis de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi ex Breviariis Lusitaniæ, quia in hoc Regnum, antequam in alia Hispaniæ diffunderetur, ingressa est lux Euangelii, prædicante Sancto Jacobo, ut scripsit non solùm Illustrissimus D. D. Rodericus à Cunhâ, in Historiâ Bracharensi parte 1. cap. 6. num. 3. pag. 29. & Illustrissimus D. Sebastianus Cæsar de Menezes, de Ecclesiasticâ Hierarchiâ parte 1. Disput. 4. §. 5. à numero 11. sed plures ab hoc citati.

1800 Ex dictis evidenter colligitur, Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi non esse famam ortam, & sparsam primò à Castellanis, sed à Bracharensibus, quibus Sanctus Jacobus priùs prædicavit, quàm Castellanis, vel saltem, quibus priùs dedit Episcopum Petrum, quàm aliis Urbibus Hispaniæ; ex quo titulo Bracharenses Præsules obtinuisse Hispaniæ Primatum, non diffitentur Castellani Authores, licèt contendant Primàtum Hispaniæ postea translatum fuisse à Summis Pontificibus in Toletanam Sedem.

1801 Duo tantum reperio in Lusitanis Ecclesiis Breviaria à Romano distincta, utroque probatur Traditio de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi. Primum est Breviarium Bracharense; secundum verò Eborense.

## §. I.

## *Traditio de expeditione Hiſpanicâ S. Jacobi probatur ex Breviario Bracharenſi, cujus authoritas expenditur.*

1802 BReviarium Bracharenſe non uno in loco affirmat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; nam eam adſtruit primò ad diem 26. Aprilis, in Feſto Sancti Petri de Rates, primi Epiſcopi Bracharenſis, Sancti Jacobi diſcipuli: & iterum ad diem 25. Julii, in Feſto ejuſdem Apoſtoli Sancti Jacobi; & tertiò in Dominicâ infra octavam ejuſdem Feſti.

1803 Quanta autem ſit authoritas Breviarii Bracharenſis, ex illius antiquitate cognoſcitur. Quanta autem ſit ritûs Bracharenſis antiquitas, eruditiſſimè probat Illuſtriſſimus D. D. Ludovicus Alvares de Figueiredo, olim Epiſcopus Uranopolitanus, Coadjutor Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. Roderici de Mourâ Telles, Archiepiſcopi Bracharenſis Hiſpaniarum Primatis; nunc verò ad Archiepiſcopatum Bahienſem (quem ſummâ cum laude regit) evectus, & ad maiora meritorum ſuffragio evehendus, in egregio tractatu inſcripto: *Diſcurſo Hiſtorico dò principio, e progreſſos do Rito Bracarenſe*, qui implet paginas nonaginta, inſertuſque eſt libro inſcripto: *Noticias do Arcebiſpado de Braga*, quem Illuſtriſſimus Author miſit manuſcriptum ad Tabularium Regalis Academiæ, in quo aſſervatur.

1804 Dignus planè eſt ille tractatus de ritu Bracharenſi, qui typis mandetur. In eo probatur, poſt Sanctum Petrum Ratenſem, addita nonnulla fuiſſe ritui Bracharenſi à Sancto Paulo Apoſtolo. Deinde à Profuturo Archiepiſco-

Digitized by Google

epiſcopo Bracharenſi, juxta præſcripta Sedis Apoſtolicæ fuiſſe eundem ritum conformatum, deinde conſervatum ab Archiepiſcopo Eleutherio, confirmatumque à Conciliis Bracharenſibus, & Sancto Martino Dumienſi, cùm eſſet Bracharenſis Archiepiſcopus, propagatumque à Sancto Fructuoſo, qui juſſit, ut Monachi eodem ritu uterentur; poſt quem Sanctus Julianus eundem ritum propagavit, qui etiam obſervatus eſt tempore, quo Agareni Hiſpaniam occuparunt; tumque ritus iſte vocatus eſt Ritus Ratenſium; qui etiam obſervatus eſt ut antiquior, poſtquam Alphonſus VI. dictus Imperator præcepit, ut in totâ Hiſpaniâ admitteretur ritus Romanus, rejecto ritu Mozarabum ab omnibus Eccleſiis, præter paucas, in quibus etiam num obſervatur. Tempore Sancti Giraldi, Archiepiſcopi Bracharenſis, ſcripta fuere plura volumina hujus ritûs, quorum aliquot hodieque extant in Sede Bracharenſi. Ubi etiam extat, & diligentiſſimè cuſtoditur Breviarium Bracharenſe, ſcriptum carthâ pergamenâ, quadringentis annis vetuſtius. In tabulario verò Rotæ Bracharenſis extat aliud Breviarium Bracharenſe, ſcriptum etiam carthâ pergamennâ, anno 1440. ſedente Archiepiſcopo D. Ferdinando de Guerrâ.

1805 Hoc Breviarium Bracharenſe typis mandatum eſt primò Ulyſipone anno 1498. per Nicolaum de Saxoniâ, jubente Archiepiſcopo D. Georgio à Coſtâ, ſucceſſore fratris ſui Cardinalis Georgii à Coſtâ. Secundò juſſu Archiepiſcopi D. Didaci Souſæ, Salmanticæ poſt annum 1506. Tertiò item Salmanticæ, juſſu ejuſdem Primatis, anno 1512. Qui etiam impoſuit Xiſto Figueiræ ſcribere librum, cui titulus: *Arte de rezar as Horas Canonicas, ordenada ſegundo as regras, e coſtume Bracarenſe.* Quem Author nuncupavit eidem Archiepiſcopo, ediditque Salmanticæ anno 1521. in quarto. Quartò inpreſſum eſt

Breviarium Bracharenſe Bracharæ per Joannem Alvares, & Joannem Barreira, anno 1549. in octavo, juſſu Archiepiſcopi D. Emmanuelis Souſæ. Quintò editum eſt idem Breviarium Bracharæ Auguſtæ, anno 1634. recognitum ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Roderico à Cunhâ, in quarto.

1806 Poſt has editiones integri Breviarii Bracharenſis, edita ſunt *Officia propria Sanctorum Bracharenſium*, Ulyſſipone apud Joannem à Coſtâ, anno 1674. in quarto, juſſu Illuſtriſſimi, & Reverendſſiimi D.D. Veriſſimi à Lancaſtro, Archiepiſcopi Bracharenſis, & poſtea Luſitaniæ Quæſitoris Maximi, & tandem S. R. E. Cardinalis. Et iterum edita ſunt *Officia propria Sanctorum Bracharenſis Diœceſis*, Bracharæ Auguſtæ, anno 1714. jubente Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Roderico de Mourâ Telles Hiſpaniarum Primate, Archiepiſcopo, & Domino Bracharenſi, qui non contentus edidiſſe hæc Officia, adornari juſſit abſolutiſſimam ſextam editionem integri Breviarii Bracharenſis, quod nitidiſſimis typis prodiit Bracharæ Auguſtæ anno 1724. duobus voluminibus in quarto, approbatum ab eodem Illuſtriſſimo Principe, qui illius Sedis poſſeſſionem iniit die 5. Junii anno 1704. & vivit hoc anno 1727. implens partes optimi Paſtoris, & Magnificentiſſimi Principis, dignique ſucceſſoris Clariſſimorum Præſulum, qui eam Sedem maximâ cum laude tenuerunt.

1807 Summæ authoritatis eſt Bracharenſe Breviarium, non ſolùm ab antiquitate ſuæ originis; neque ſolùm à præſtantiâ Pontificum, qui illud condiderunt, & edi curarunt, ſed etiam à ſanctimoniâ, & doctrinâ Archiepiſcoporum, qui uſu illud approbarunt. Unde apud me poſt Breviarium Romanum, nullum eſt maioris authoritatis, quàm Bracharenſe, quo proinde abundè probatur Traditio

ditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, illo Breviario toties narratâ.

## §. II.

## *Traditio de expeditione Hiſpanicâ S. Jacobi probatur ex Breviario Eborenſi, cujus authoritas expenditur.*

1808 ETiam Breviarium Eborenſe non uno, ſed tribus in locis probat Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi. Primò quidem ad diem 26. Aprilis, in Feſto S. Petri de Rates, Sancti Jacobi diſcipuli, & primi Epiſcopi Bracharenſis. Secundò verò ad diem 15. Maii, in Feſto Sancti Torquati, & Sociorum. Tertiò denique ad diem 25. Julii, in Feſto Sancti Jacobi Apoſtoli, ubi Lectione 1. ait:

> *Jacobus Apoſtolus Zebedæi filius poſt Aſcenſionem Domini, uſque ad Gallæciam Hiſpaniæ provinciam prædicationem ſuam extendit.*

1809 Breviarium Eborenſe illud eſt, de quo ait Joannes Vaſæus, Sapientiſſimus Belga, in Chronico Hiſpaniæ cap. 5.

> *Breviarium Eborenſe nuper Lucius Andreas Reſendius Reverendiſſimi S. R. E. Cardinalis, & Sereniſſimi Principis Infantis Portugalliæ Henrici Eborenſis Archiepiſcopi auſpiciis ita nitori ſuo reſtituit, ut non arbitrer aliud reperiri exactiori judicio concinnatum.*

1810 Divorum autem Hiſtoriæ, quæ in Sacro eo volumine reperiuntur, redactæ ſunt in Epitomen *Conſultis veterum Scriptorum, quæ quidem extent monumentis*, ut legitur in Præfatione illius Breviarii, editi Ulyſſipone apud Ludovicum Rotorigium, anno 1548. in octavo.

Andreas

1811 Andreas Reſendius, cujus fuere præcipuæ partes in eo Breviario recognoſcendo, vir fuit, *qui perluſtratis omnis Hiſpaniæ Baſilicis Cathedralibus, compertiſque antiquis tabulis, Sanctorum Hiſpanorum Hiſtoriam in ſertâ oratione contexuit*; ut habetur ex Petro Galeſinio, in fine nuncupationis Martyrologii ſui.

1812 Hinc dicere poſſumus, in Breviario Eborenſi, quin aliarum Eccleſiarum Luſitaniæ monumenta, & teſtimonia conſulamus, non ſolius Eborenſis, ſed omnium Eccleſiarum Luſitaniæ, imò & totius Hiſpaniæ extare Traditiones, quibus aſſeritur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi; cùm Reſendius, illius Breviarii emendator, omnes Hiſpaniæ Cathedrales Eccleſias pro illius emendatione perluſtraverit.

## ASSERTIO LV.

### *Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi probatur ex pluribus Breviariis Eccleſiarum Hiſpaniæ.*

1813 CUm Cardinalis Baronius, & quod longè magis eſt, ipſum Breviarium Romanum, editum juſſu Clementis VIII. fateatur, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi aſſeri Traditione omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ, facilè perſuaderi poteſt, illam reperiri in omnibus Eccleſiarum Hiſpaniæ Breviariis; non tamen ingratum erit lectori hîc aliquot produci, quæ à D. Michaele de Erze Ximenes referuntur, ſuntque triginta quinque, quæ ordine Alphabetico recenſebo, nempe: Abulenſe, Accitanum, Aſturicenſe, Aurenſe, Burgenſe, Cæſarauguſtanum, Calagurritanum, Caurienſe, Civitatenſe.

tenſe, Compoſtellanum, Conchenſe, Gienenſe, Granatenſe, Mindonienſe, Montaragonenſe, *Mozorabe*, Oſcenſe, Oſmenſe, Ovetenſe, Pacenſe, Palentinum, Pampilonenſe, Salmaticenſe, Segovienſe, Seguntinum, Taraſionenſe, Tarraconenſe, *Toletanum*, Tortoſenſe, Tudenſe, & Valentinum.

1814 Verba, quibus hæc Breviaria teſtantur expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi petat lector ex citato libro D. Michaelis Erze Ximenes; ego enim illa excribere ſupervacaneum duco. In ſolis Breviariis Toletano, & Mozarabi non nihil immorabor. Circa Toletanum hîc unum animadvertam. De Mozarabi fuſiùs agam Aſſertione ſequenti.

1815 Circa Toletanum, cujus Erze duo producit Breviaria manuſcripta venerandæ antiquitatis, & quatuor impreſſa. Primum quidem anno 1483. cùm eſſet Archiepiſcopus Toletanus Petrus Gonçales de Mendoçâ, S.R.E. Cardinalis longè Clariſſimus. Secundum impreſſum juſſu Archiepiſcopi Franciſci, S.R.E. Cardinalis Ximenii. Tertium impreſſum anno 1550. juſſu Archiepiſcopi Joannis Martini, S.R.E. Cardinalis Silicci. Deinde Eccleſia Toletana, poſtquam uti cœpit Breviario Romano, ex præſcripto Sancti Pii V. in quo affirmatur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, nihilominus retinuit Officia propria de Sanctis Toletanis, editaque fuerunt juſſu Archiepiſcoporum Toletanorum, S. R. E. Cardinalium, Gaſparis Quirogæ, & Chriſtophori de Sandoval & Roxas, & approbata à Summis Pontificibus Gregorio XIII. Xiſto V. & Paulo V. illorum vidimus editionem Matritenſem anni 1624. in quarto. In hoc Codice, in ſecundo Nocturno Feſti Sancti Jacobi, Lectione 4. ſic habet:

*Jacobus Zebedæi filius, Joannis Euangeliſtæ germanus frater, Jeroſolymis ab Herode Judææ Rege, pro Domini,*

*Domini, & Magiſtri ſui Fide occiſus, Apoſtolorum omnium primus, martyrii gloriam adeptus eſt. Cujus corpus, ne à Judæis acerbiſſimis Fidei Chriſtianæ hoſtibus ignominiâ aliquâ afficeretur, ejus diſcipuli in navim, divinitùs admoniti, impoſuerunt. Deum precati, eorum ut curſum dirigeret, & in eas terras navigium perferret, ubi Sanctiſſimi Apoſtoli corpus humari vellet. Deo igitur duce, per vaſtum mare delata navis, brevi pervenit in* HISPANIAM, QUAM JACOBUS VIVENS LUSTRAVERAT, ET IN QUA DEI VERBUM ALIQUANDO MAGNIS LABORIBUS DISSEMINAVERAT.

1816 Perpendat nunc lector non impius quidnam maiorem mereatur fidem, manuſcriptùm ne Toletanum recens, Authoris Anonymi, & erroribus plenum, (ut ſupra demonſtravimus) an Breviarium Toletanum, vel Manuſcriptum venerandæ antiquitatis, vel impreſſum juſſu Sapientiſſimorum Præſulum, S. R. E. Cardinalium, & approbatum à tribus Summis Pontificibus?

## ASSERTIO LVI.

### *Traditio de expeditione Hiſpanicâ S. Jacobi probatur ex Officio Mozarabo.*

1817 A' Breviariis ſingularium Hiſpaniæ Eccleſiarum ſejungendum duxi Officium hoc, quia olim fuit univerſale in totâ Hiſpaniâ. Fuit hoc Officium Gothicum, ſeu Hiſpanicum priſcum, quod cùm à Sancto Iſidoro recognitum fuerit, dictum eſt Iſidorianum, idque Sancto Iſidoro tribuit poſt alios Scriptores acerrimi Vir judicii Melchior Canus, ex Sacro Ordine Prædi-

Prædicatorum, Episcopus Canariensis, in egregio volumine de locis Theologicis, libro 11. capite 3. paginâ 323. columnâ 1. Quo officio, cùm etiam usi fuerint Christiani, qui post irruptionem Arabum in Hispaniam, his mixti vixere, dictum est Mixtarabum, seu Mozarabum.

1818 In isto autem Officio plura leguntur, nostram Assertionem attestantia; duo tantùm testimonia seligo, quibus usus est Eminentissimus Cardinalis de Aguirre ad probandam nostram sententiam. Locus primus est ex Hymno ad Vesperum, ubi dicitur:

*Magni deinde filii tonitrui*
*Adepti fulgent prece matris inclytæ*
*Utrinque vitæ culminis insignia*
*Regens Joannes dextra solus Asiam,*
*Et læva Frater positus Hispaniam.*

Secundus locus est ex Responsorio, quod in eodem solemni Officio legitur: dicitque:

*Adest nobis valde lætabunda dies, præcellentissimi Jacobi Apostoli, per cujus saluberrimam prædicationem totius plebs Hispaniæ suum cæpit cognoscere Redemptorem.*

1819 Neque obstant hujus Officii veritati quatuor, quæ contra illum adducuntur, falsitates. Primam profert Natalis Alexander, asserens, hoc Breviarium non fuisse approbatum à Sede Apostolicâ; falsa enim, & inutilis est ista Assertio. Falsa, quia hoc Breviarium approbavit Sedes Apostolica, idque non semel, sed, ut minimum, ter. Illud enim approbavit Joannes VIII. vel potiùs X. illud approbavit Alexander II. illud approbavit Sanctus Gregorius VII. ut videre est apud Eugenium de Robles, in tract. de Officio Gothico Mozarabi cap. 23. & Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, capite 14.

1820 Non solùm est falsa illa Natalis Alexandri As-

ſertio, ut vidimus, ſed etiam inutilis, quia nos utimur teſtimonio hujus Breviarii ad probandam antiquitatem Traditionis, ad quod non erat neceſſe, illud Breviarium fuiſſe approbatum à Sede Apoſtolicâ. Imò ſi illam Traditionem proferremus ex libris Philonis Judæi, vel Joſephi Hebræi, maiorem illi tribueremus antiquitatem, licèt illi Authores, utpote infideles, non ſint approbati à Sede Apoſtolicâ.

1821 Præterea, ſi Natalis Alexander crediturus eſſet Breviario Mozarabi, ſi eſſet approbatum à Sede Apoſtolicâ, credat Codici Officiorum de Sanctis Toletanis, quæ ſæpiùs approbavit Sedes Apoſtolica, eam tenentibus Gregorio XIII. Xiſto V. & Paulo V. in quo legitur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, ut præcedenti Aſſertione demonſtravimus. Credat Breviario Romano, quod & aſſerit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, & ſæpiùs eſt approbatum à Sede Apoſtolicâ. Si autem non credit Breviario Romano approbato, imò edito à Sede Apoſtolicâ, inutiliter deſiderat in Breviario Mozarabo approbationem Sedis Apoſtolicæ.

1822 Secunda falſitas, & prima ex nuper oppoſitis illi Hymno, eſt, illum Sancto Iſidoro contradicere, quod eſt falſiſſimum; nam Sanctus hic Doctor aſſerit, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, ut ſupra oſtendimus à numero 1377. Neque dum aſſerit, Sanctum Paulum prædicaſſe in Hiſpaniâ, dicit hîc prædicaviſſe ſolum, vel ante omnes, Doctorem Gentium. Unde & Hymnus, & alia loca Sancti Iſidori dicunt, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ, ac proinde ſibi cohærent, tantum abeſt, ut ſibi ad invicem contradicant.

1823 Tertia falſitas eſt, illum Hymnum ſcatere erroribus; quinque enim, quæ illi opponuntur tamquam errores, procul abſunt ab errore; nam in primis non eſt

error

error dicere, Sanctum Jacobum, & Joannem prece matris suæ adeptos fuisse sedes ad dexteram, & sinistram Christi in ejus Regno. Quia certè eas adepti sunt in Regno Christi, quod non est de hoc Mundo, corrigente Christo, & in bonum sensum detorquente preces illius matris. Quocirca audiendus est Nicetas Paphlago, Orat. 3. ubi Sanctum Jacobum alloquens, ait:

> *Salve, quod cùm parvulus adhuc esses spiritali staturâ, & ætate, terreni Regni primatum petieris (nec enim fiat unquam, ut magnificus animus rei alicujus tenuis, & vilioris desiderio afficiatur) in virum autem adultus Regi gloriæ, proximam, primamque sedem adeptus sis.*

Extat hic locus in maximâ Bibliothecâ Patrum Anissonianâ, tom. 27. paginâ 393. col. 2. F.

1824 Sed longè clariùs ad rem nostram Sanctus Thomas de Villanovâ, fulgentissimum sidus Augustiniani Cœli, in Sermone de Jacobo Apostolo pag. 190. mihi:

> *Credendum eorum petitionem concessisse, & in Regno Cœlesti inter Sanctos eis præcipuum locum dedisse: qui enim sic familiares fuerunt in vitâ, credendum est, eos etiam superiores cæteris fuisse in gloriâ: ad minus in hoc Regno Cœlorum, id est, Ecclesiâ* petitionem illorum impletam videmus, *nanque Joanni sedes data est in Asiâ, quæ est ad dexteram Hierusalem, & Jacobo in Hispaniâ, quæ est ad sinistram partem.*

1825 Hæc Sancti Thomæ de Villanovâ, Viri doctissimi, & Sanctissimi sententia ostendit, quàm immeritò vocetur *imperitus*, ille Hymnographus, ex eo, quòd dixerit, duos illos Apostolos adeptos fuisse prece matris primas cathedras.

1826 Prætereo Turpinum, sive Tilpinum Archiepiscopum Rhemensem, sive Authorem libri nomine Turpini, vel Tilpini evulgati, qui certè antiquior fuit Sancto

Thomâ de Villanovâ, quem refert Pater Philippus de la Gandarâ Auguſtinianus, in libro inſcripto: *Palmas, y triunfos Eccleſiaſticos de Galicia*, part.1. lib.1. cap.8. pag.38. ait enim Turpinus:

> *Hæ ſunt proculdubio ſedes, Epheſus ſcilicet, quæ eſt ad dexteram in Regno terreno Chriſti, & Compoſtella, quæ eſt ad ſiniſtram, quæ videlicet ſedes his duobus fratribus filiis Zebedæi in diviſione provinciarum contigerunt, quia ipſi petierunt à Domino, ut unus ad dexteram in Regno ejus ſederet, & alius ad lævam.*

1827 Prætereo, inquam, Turpinum, ne quis imprudenter exiſtimet, me ad probandam expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, uti teſtimonio Authoris non nimis probati, cùm agitur de re antiquâ præteritâ. Sed locus, quo eſt Epheſus, & quo eſt Compoſtella, cùm ſit res permanens, non eſt præteritus, ſed præſens, perſeveranſque.

1828 Deinde, licèt locus ad ſiniſtram Chriſti in extremo judicio accipiatur in malam partem, non ſemper ſiniſtra Chriſti accipitur pro malâ parte. Cùm Chriſtus eſt in medio duorum, qui ſunt congregati in nomine illius, juxta id, quod ipſe aſſeruit Matth.18. 20.

> *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Tunc alter erit ad dexteram, alter ad ſiniſtram, & neuter erit in malâ parte. Deinde cùm pingitur Chriſtus inter duodecim Apoſtolos, dici non poteſt, ſex, qui remanent ad ſiniſtram, eſſe in malâ parte. Præterea, cùm pingitur Chriſtus Crucifixus inter Beatiſſimam Matrem ad dexteram, & Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ad ſiniſtram, non eſt dicendum, tribui Joanni à Pictore malam partem: ergo neque dici poteſt, tributam fuiſſe malam partem Jacobo à Poetâ, qui illum ad Chriſti ſiniſtram collocavit,

cavit, nam Pictoribus, atque Poetis semper fuit æqua potestas.

1829 Tantum autem abest, quod sinistra semper accipiatur in malam partem, ut dixerit Salomon, loquens de Christo, qui est Sapientia Patris, capite 3. Proverbiorum vers. 16.

> *Longitudo dierum in dexterâ illius, & in sinistrâ illius divitiæ, & gloria.*

Quem locum ita reddit versio ex Arabico:

> *In dexterâ ejus longitudo ætatis, & in sinistrâ ejus divitiæ, honor, & nobilitas.*

Ergo hoc loco non accipitur sinistra in malam partem, nisi velis dicere, divitias, gloriam, & nobilitatem esse mala. Sed propius ad rem nostram audiendus est Sanctus Hieronymus, explicans hunc Salomonis locum, in Commentario in caput 54. Isaiæ, ubi ait:

> *De Sapientiâ Dei dicitur, cui nihil pretiosum comparari potest, quod in dexterâ suâ vitæ habeat longitudinem, & annos plurimos, in sinistrâ autem divitias, & gloriam, ut divitiæ illæ accipiantur, quæ in præsenti scientiâ sunt, & bonis operibus, & gloriâ, quam accipit is, per cujus opera Deus glorificatur in gentibus.*

1830 Unde videtur mihi dici posse, Salomonem prævidisse hoc loco Joannem, & Jacobum, Joannem ad dexteram Christi, qui est æterna Sapientia, & Jacobum ad sinistram. Joannem ad dexteram cum longitudine dierum, quia inter Apostolos fuit, qui longiùs produxit ætatem, ut docent Historiæ Ecclesiasticæ; & Jacobum ad sinistram cum divitiis, & gloriâ, & nobilitate, nempe gemmis proprii sanguinis divitem, & coronatum gloriâ conversarum gentium, in quibus Deum glorificavit, & circundatum nobilitate suorum Equitum.

1831 Denique, licèt Scriptura, & Patres accipiant sinistram

ſiniſtram Chriſti in malam partem, hoc non poteſt dici de ſede ad ſiniſtram Chriſti in eo ſenſu, in quo Chriſtus reſpondens filiis Zebedæi, accipit ſedere ad dexteram, vel ſiniſtram, cùm dixit Matthæi 20. verſ. 23.

*Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre.*

Ubi certum eſt, non accepiſſe ſiniſtram pro parte malâ, ſed tantum pro ſecundo loco.

1832 Ex quo etiam patet, illum Hymnographum non fuiſſe injurium Hiſpaniæ, cùm eam poſuit ad ſiniſtram Chriſti; conſtat enim hoc loco non accipi, neque poſſe accipi ſiniſtram Chriſti in malam partem. Imò dicendum eſt, illum Hymnographum fuiſſe Hiſpaniæ officioſiorem, quàm vellent Adverſarii noſtri, dum in illâ collocavit unam ex ſedibus Chriſto propioribus.

1833 Neque illum Hymnographum canentem, quòd ſolus Joannes Aſiam rexerit, falſitatis arguere poteſt ille, qui cum S. Joanne Chryſoſtomo aſſeruit, Sanctos Apoſtolos Paulum, & Barnabam vetatos fuiſſe à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Aſiâ, *quia Aſia ſervabatur Sancto Joanni.* Si Aſia ſervabatur Sancto Joanni, quomodo falſum eſt, quòd ſolus Joannes Aſiam rexerit? Sanctus Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, de Sancto Joanne ait: *Totas Aſiæ fundavit, rexitque Eccleſias.* Quomodo ergo falſum eſt, quòd ſolus Joannes Aſiam rexerit? Clariſſimus Vir Didacus de Paivâ & Andrade, æquè literis, ac ſanguine illuſtris, in Concilio Tridentino Regis Luſitanorum Theologus, in Defenſione Concilii Tridentini lib. 3. paginâ 234. aſſerit, quòd fuit *Joannes Aſiæ totius Antiſtes.* Quomodo ergo falſum eſt, quòd ſolus Joannes Aſiam rexerit?

1834 Ex eo, quòd Sanctus Thomas in Indiâ plures conver-

converterit ; Sanctus Philippus verò totam fermè Scithiam , non infertur , quòd non ſolus Joannes Aſiam rexerit. Nam & India , & Scithia ſunt extra Aſiam , quam ſolus Joannes rexit , quæ fuit Aſia Minor , quæ eas provincias non comprehendit , ut norunt Geographi. Fuit Aſia Minor , quæ nunc dicitur Anatolia. India autem , & Scithia ſunt in Aſiâ Maiori , non in Minori , ut omnes ſciunt. Et Aſia , in quâ Sanctus Paulus , & Barnabas vetati ſunt prædicare , quia ſervabatur Sancto Joanni , erat Aſia Minor, ut teſtatur Cornelius à Lapide in Acta Apoſtolorum cap. 16. verſ. 6.

1835 Quærenti autem quo jure ille ( quem ironicè vocat egregium ) Hymni Concinnator Jacobum in ſiniſtrâ ( etiam præſcindendo ab eo , quòd in malam partem accipiatur) loco certè minus nobili , minuſque digno ponat , cùm è contra in Euangelio quoties de his duobus Apoſtolis ſub propriis nominibus Jacobus Joanni præponatur?

1836 Reſpondeo primò , diverſo modo recenſere Scripturam hos duos fratres Jacobum , & Joannem pro temporum diverſitate ; nam cùm Scriptura loquitur de illis , narrando , quæ geſſerunt , vivente Chriſto , & antequam in Cruce diceret Matri ſuæ : *Mulier ecce filius tuus* , & *deinde diſcipulo ecce Mater tua* , ſemper nominat prius Jacobum , & poteſta Joannem , ut videre eſt in octo locis Sancti Matthæi , & Sancti Lucæ. Cùm autem loquitur de illis , ut viventibus poſt mortem Chriſti , poſtque illa verba dicta de Joanne , & Joanni : *Ecce filius tuus , ecce Mater tua*; præponit Sanctum Joannem , & poſtponit Sanctum Jacobum , ut videre eſt in Actibus Apoſtolorum cap. 1. verſ. 13. ubi Sanctus Lucas ait :

*Et cùm introiſſent in Cænaculum , aſcenderunt ubi manebant Petrus , & Joannes , Jacobus , & Andreas* &c.

Sicque

Sicque Hymnographus, loquens de his duobus fratribus, poſt mortem Chriſti prædicantibus, imitatus eſt Sanctum Lucam, qui Joannem poſt Chriſti mortem prius nominavit, quàm Jacobum.

1837 Reſpondeo ſecundò, quòd licèt nolim decernere, imò neque inquirere quiſnam ſit maior in Regno Cœlorum, ut obſervem monitum Thomæ à Kempis, Canonici Regularis Ordinis Sancti Auguſtini, libro 3. de Imitatione Chriſti cap. 58. verſ. 2.

> *Noli etiam inquirere, nec diſputare de meritis Sanctorum, quis alio ſit Sanctior, aut quis maior fuerit in Regno Cœlorum. Talia generant ſæpe lites, & contentiones inutiles, nutriuntque ſuperbiam, & vanam gloriam, unde oriuntur invidiæ, & diſſenſiones, dum iſte illum Sanctum, & alius alium conatur ſuperbè præferre.*

Tamen negari non poteſt, Sanctum Joannem Chryſoſtomum Homil. 33. in Matthæum ſcripſiſſe *meâ ſententiâ Joannes non aliis ſolùm, ſed fratre maior erat.* Negari non poteſt, Eccleſiam canere de Sancto Joanne fratre Sancti Jacobi:

> *Hic eſt beatiſſimus Euangeliſta, & Apoſtolus Joannes, qui prævilegio amoris præcipui cæteris altiùs à Domino meruit honorari.*

1838 Quo jure ergo culpandus eſt Hymnographus, qui ſequutus Sanctum Joannem Chryſoſtomum, & Sanctum Lucam, præponit Sanctum Joannem Sancto Jacobo? Quo jure arguendus eſt Hymnographus, qui ſequutus Chriſtum, altiùs honoravit Sanctum Joannem?

1839 Reſpondeo tertiò, Hymnographum poſtpoſuiſſe in eo Hymno Sanctum Jacobum non ſolùm Sancto Joanni, ſed Joannem, & Jacobum omnibus Apoſtolis, etiam Sancto Mathiæ Apoſtolorum noviſſimo; in præcedenti enim Quinario dixerat:

*Petrus*

Digitized by Google

*Petrus Romam, frater ejus Achaiam,*
*Indiam Thomas, Levi Macedoniam,*
*Jacobus Jebus, & Ægyptum Zelotes,*
*Bartholomæus Lycaon, Judas Edessam,*
*Mathias Judæam, Philippus Gallias.*

Moxque subjungit:

*Magni deinde filii Tonitrui*, &c.

Postposuit aljis Sanctum Joannem, ut ipsum cum fratre conjungeret, & omnibus postposuit Sanctum Jacobum, quia in illius laudem prosequabatur Hymnum usque ad finem. Imitatus Sanctum Lucam, qui nonnunquam anteponenda postposuit, seu postponenda præposuit, ut narratâ conversione Sancti Pauli, ejus gesta eodem Historiæ filo prætexat, ut observat A' Lapide in Acta Apostolorum cap. 12. vers. 2. §. *Quarto quia Ecclesiâ.*

1840 Et obiter noto, ex Quinario modò adducto elici novum argumentum ad probandum, Sanctum Isidorum esse Authorem hujus Hymni, in quo tribuuntur Apostolis eædem provinciæ, quas illis tribuit Sanctus Isidorus, cum hoc tantum discrimine, quòd Sanctus Isidorus in libro de Ortu, & Obitu Patrum capite 78. & capite 81. tribuit Sancto Judæ Mesopotamiam, in Hymno autem tribuitur Sancto Judæ Edessa; sed Edessa etiam est Urbs Mesopotamiæ, ut testatur idem Divus Isidorus lib. 15. Etymolog. cap. 1. pag. 284. Et tam in Hymno, quàm in libro de Ortu, & Obitu Patrum tribuitur Gallia Sancto Philippo, quod sine piaculo fieri supra probavi num. 1434.

1841 Respondeo quartò, interrogans quo jure Sanctus Paulus ad Galatas cap. 2. vers. 9. anteposuerit Sanctum Jacobum (quicumque hic fuerit) Sancto Petro, & Sancto Jaonni, dicens:

*Et cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi Jacobus,*
*& Cephas, & Joannes, qui videbantur Columnæ esse.*

Quicumque enim hic fuerit Jacobus, ſemper minor erat Sancto Petro, & tamen nominatus prius à Sancto Paulo, quàm Sanctus Petrus.

1842 Dixi quicumque hic fuerit, quia Sanctus Auguſtinus exiſtimavit, hunc Jacobum fuiſſe illum, qui interfuit Transfigurationi Domini; ait enim in hunc locum tom. 3. part. 2. col. 690. A. editionis San Maureanæ:

> *Petrus autem, & Jacobus, & Joannes honoratiores in Apoſtolis erant, quia ipſis tribus ſe in monte Dominus oſtendit in ſignificatione Regni ſui, cùm ante ſex dies dixiſſet: ſunt hic quidem de circunſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis in Regno Patris ſui. Nec ipſi erant Columnæ, ſed videbantur.*

Licèt certum ſit, Jacobum, de quo loquitur Sanctus Paulus, fuiſſe Sanctum Jacobum Minorem; Sanctus enim Jacobus Maior eo tempore jam occiſus erat, ut etiam eſt certum. Sed uterque Jacobus erat minor Sancto Petro; cur igitur prius nominatur Jacobus?

1843 Scio quid huic noſtræ interrogationi reſponderi poſſit ex Guillielmo Eſtio in hunc locum, ſed quæcumque reſponſio detur, ſemper concedendum eſt, poſſe dari rationem, ob quam in loco poſteriori poſſit nominari, qui eſt magis dignus, ſive ſenior.

1844 Et hoc confirmo ex Sancto Lucâ in Actibus Apoſtolorum cap. 1. verſ. 14. ubi poſt nominatos undecim Apoſtolos, ſubjungit:

> *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ Matre Jeſu.*

Ubi Mariam Matrem Jeſu, & Mundi Reginam, & Benedictam præ omnibus mulieribus, nominat poſt omnes mulieres, illic quæ ſuper Angelos exaltata eſt, cernitur infra viduas, & pœnitentes, infra eam, de quâ ejecta fuerant ſeptem dæmonia; ut obſervavit Sanctus Bernardus,

Sermone

Digitized by Google

Sermone de Virgine Mariâ, de verbis Apocalypsis Beati Joannis. Ergo non semper dignior est priùs nominatus.

1845 Et ut propiùs accedam ad Hymnographum nostrum, quæro, quo jure Sanctus Thomas de Villanovâ collocavit Sanctum Jacobum ad sinistram Christi, & Sanctum Joannem ad dexteram? Et respondeo, eodem jure usum fuisse Hymnographum nostrum.

1846 Denique assero, neque S. Thomam de Villanovâ, neque Conditorem Hymni (qui ironicè dicitur Politus Vates) pro arbitratu suo Joannem à dextris, Jacobum à sinistris sedere feciſſe; sed pro dispositione Christi, qui Sancto Joanni tribuit Asiam, quæ est ad dexteram Jerusalem, & Sancto Jacobo Hispaniam, quæ est ad sinistram partem ejusdem Urbis, ut loco citato observavit Sanctus Thomas de Villanovâ.

1847 Neque ille Hymnus abjudicari potest Sancto Isidoro, vel Authori ipsi synchrono, vel etiam antiquiori, ex eo, quòd ab illo videatur neglecta ars versificatoria; nam in Hymnis à Sapientissimis Patribus, & melioris ævi, quàm fuit Sanctus Isidorus, multa reperit emendanda Urbanus VIII. Poeticæ artis scientissimus, & tamen nemo dicit, illos Hymnos non fuisse scriptos à Sapientissimis Authoribus, ætas ut illa ferebat.

1848 Imò hinc arguitur illius Hymni Mozarabici Officii antiquitas, *quia Authores Ecclesiasticorum Hymnorum leges metri sæpiùs neglexerunt, ut sensui verba consonarent, quod de se fatetur Divus Bernardus Abbas his verbis*: Hymnum composui metri negligens, ut sensui non deessem. *Hinc est, quòd Sanctissimus Dominus noster Urbanus Papa VIII. Hymnos omnes Ecclesiasticos emendavit, correctis falsis syllabis ultra nongentas*; ut ait Gregorius Valentianus in Hymnodiâ Sanctorum Patrum, in Apparatu §. *Quis Actor Hymnorum*, pag. 8.

1849 Idem teſtatur ipſe Urbanus VIII. in Bullâ Breviario emendato præfixâ, dicens:

> *In eo Hymni (paucis exceptis, qui non metro, ſed ſolutâ oratione, aut etiam Rhythmo conſtat) vel emendationibus Codicibus adhibitis, vel aliquâ factâ mutatione ad carminis, & latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati, ubi verò non potuit, de integro conditi ſunt; eâdem tamen, quoad licuit, ſervatâ ſententiâ.*

1850 Inter Authores autem Hymnorum, quos correxit Urbanus VIII. fuere Sanctus Hilarius, Sanctus Ambroſius, aliique Sancto Iſidoro antiquiores; quid igitur mirum, ſi Sanctus Iſidorus, qui ſequiori ævo ſcripſit, nonnunquam leges carminis neglexerit? Unde non ideo illi abjudicandus eſt ille Hymnus, ſicut non abjudicantur aliis Patribus Sancto Iſidoro antiquioribus Hymni, in quibus reperta eſt aliqua Poeticæ artis negligentia, ab Urbano VIII. animadverſa, & emendata.

1851 Denique certum eſt, tempore Sancti Iſidori habuiſſe Eccleſiam Officium Divinum; conſtat enim ex quarto Concilio Toletano (cui interfuit, imò præfuit Sanctus Iſidorus) pluribus in locis. Certum præterea eſt, quòd tempore Sancti Iſidori extabant in Officio Divino apud Hiſpanos recepto Hymni carmine compoſiti; dicit enim Sanctus Iſidorus lib. 1. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 6. *de Hymnis*:

> *Sunt autem Divini Hymni, ſunt & humano ingenio compoſiti: Hilarius autem Gallus, Epiſcopus Pictavienſis, eloquentiâ conſpicuus, Hymnorum carmine floruit primus. Poſtquam Ambroſius Epiſcopus, Vir magnæ gloriæ in Chriſto, & in Eccleſiâ Clariſſimus Doctor, copioſiùs in hujuſmodi carmine claruiſſe cognoſcitur, atque iidem Hymni, ex ejus nomine Ambroſiani vocantur; quia ejus tempore primum in Eccleſiâ Mediolanenſi celebrari cæperunt,*

*perunt. Cujus celebritatis devotio dehinc per totius Occidentis Ecclesias observatur.*

1852 Ergo hic Hymnus, vel alius loco ipsius, qui à Sancto Isidoro fuerit recognitus, extabat illo tempore in Officio Gothico; non ostenditur alius Hymnus hoc loco positus: ergo iste erat tempore Sancti Isidori, ab ipsoque recognitus fuit. Non repugnat, hunc Hymnum fuisse compositum, vel recognitum à S. Isidoro: ergo ab ipso fuit, vel compositus, vel recognitus. Hocque dicemus, quandiu nobis non revelabitur alius hujus Hymni recentior Author. Et hæc satis, superque sint de Hymno.

1853 Quæ dicuntur adversus Responsorium, nullius sunt momenti. Nam nemo ex nostris contradicit Responsorio. Quia plerique ex nostris asserunt multos, à Sancto Jacobo fuisse conversos. Sed sive Sanctus Jacobus converterit plures, ut nos tenemus, sive paucos, ut alii dicunt, neque qui dicunt plures, neque qui dicunt paucos, Responsorio contradicunt; nam sive Sanctus Jacobus converterit plures, sive paucos, sive unum tantum, semper verum est id, quod Responsorium asserit:

*Adest nobis valde lætabunda dies præcellentissimi Jacobi Apostoli, per cujus saluberrimam prædicationem totius plebs Hispaniæ suum cæpit cognoscere Redemptorem.*

Nam si Sanctus Jacobus convertit plures, res est clara; si paucos, vel unum tantum, etiam est certa, nam sicuti ab uno Adamo cæpit totum genus humanum physicè generari, licèt Scriptura non nominet progeniem, nisi unius ex filiis Adam, nempe Sethi, pereuntibus omnibus aliis ejus nepotibus in cataclysmo universali; ita potest dici, totam Hispaniæ plebem cæpisse per Euangelium in Christo generari à Sancto Jacobo, licèt ille unum tantum converterit, per quem ille alios converterit, & hi alios, & sic dein-

deinceps, uſque ad præſens tempus. Si ab unâ Chriſtianâ Ancillâ converſa eſt Iberia Orientalis, ut teſtatur Martyrologium Romanum ad diem 15. Decembris. Quidni ab uno Apoſtoli Jacobi diſcipulo converſa ſit tota Iberia Occidentalis? Cùm autem Sanctus Jacobus fuerit, qui illum diſcipulum in Chriſto per Euangelium genuit (ut uter phraſi Divi Pauli) certum eſt, per ſaluberrimam Sancti Jacobi prædicationem plebem totius Hiſpaniæ cæpiſſe ſuum cognoſcere Redemptorem. Nam faciliùs eſt rem incipi ab uno, quàm perfici ab uno, & ſemper multa inceperunt ab uno; nam unitas eſt principium numeri. Una Samaritana plures convertit ad Chriſtum, & poſtea alii converſi ſunt, ut legimus apud Sanctum Joannem cap. 4. ſed ſemper converſio Samaritanorum incepit ab unâ Samaritanâ converſâ, & convertente; ſic converſio Hiſpanorum, licèt facta fuerit ab uno tantum Sancti Jacobi diſcipulo, qui docente Jacobo, ſuum cognovit Redemptorem, ſemper verum eſt dicere, quòd per prædicationem Sancti Jacobi totius plebs Hiſpaniæ ſuum cæperit cognoſcere Redemptorem.

1854 Iis, quæ dicuntur contra inſtantiam Ferreras, optimè ſatisfacit ipſe Ferreras in Diſſertatione Apologeticâ de Prædicatione Sancti Apoſtoli Jacobi Zebedæi in Hiſpaniâ, à numero 74. ne tamen quid remaneat, cui hîc non reſpondeam, aliquid etiam dicam.

1855 Dico igitur, non eſſe tam facilè negare primam conſequentiam illius conditionati enthimematis: ſi Hymnus, & Reſponſorium edita non ſunt à Sancto Iſidoro: ergo edita ante Sanctum Iſidorum. Quia conſtat, ante Sanctum Iſidorum fuiſſe illud Officium Gothicum, ut ſupra diximus ex quarto Concilio Toletano; conſtat etiam, in omnibus Eccleſiis Occidentis fuiſſe celebritatem Hymnorum, ut pariter oſtendimus ex Sancto Iſidoro, & utrum-

utrumque constat ex eodem Sancto Isidoro in Regulâ Monachorum capite *6.* de Officio, & præterea ex quarto Concilio Toletano cap. 13. Constat fuisse Hymnos, & fuisse Responsoria, etiam constat ex eodem Concilio cap. 16. & non constat, Hymnum, vel Responsorium fuisse à Recentioribus suppositum. Imò constat, totum Officium dici Isidorianum.

1856 Neque exempla de Hymno : *Te Deum laudamus*, de Symbolo Sancti Athanasii, & de variis operibus, quæ antiquis Patribus adscripta sunt, quidquam conficiunt. Quia nulla mentio est Hymni *Te Deum* ante Baptismum Sancti Augustini. Et est mentio Hymnorum in Officio Divino Hispanorum ante S. Isidorum. Symbolum verò non potest esse antiquius Sancto Athanasio, quia habet articulos, qui ante Sanctum Athanasium definiti non erant. Scripta autem suppositа Patribus, quædam sunt ipsis Patribus recentiora, quædam antiquiora, quæ internoscuntur à Criticis per certa signa, quæ non assignantur in illo Hymno, neque in illo Responsorio, ne adscribantur Sancto Isidoro.

1857 Secunda etiam consequentia *ergo ex Traditione*, etiam negari non potest, nisi distincto consequenti, dicendo, ergo ex Traditione, vel scripto anteriore, concedo consequentiam. Quia ante Sanctum Isidorum, jam Officium Divinum habebat conformitatem aliquam cum Traditione, ut constat ex quarto Concilio Toletano cap. 2. & 13. Imò absurdum esset dicere, Ecclesias Hispaniæ non habuisse eo tempore suas Traditiones Ecclesiasticas, secundum quas ordinassent Officia Divina.

1858 Nego autem illam consequentiam ex Traditione solâ, quia licèt Ecclesiæ Hispanicæ habuerint, & conservaverint Traditiones dogmaticas doctrinæ Apostolicæ, ab Apostolo Sancto Jacobo prius acceptas, & simul

mul Traditiones Eccleſiaſticas Epiſcoporum, & Traditiones Hiſtoricas de primordiis ſuæ Religionis, acceptas quaſi per manus de patribus ad filios, & de his ad nepotes, & ſic deinceps, quibus ſine ſcripto docerentur, Sanctum Jacobum fuiſſe primum Vineæ Chriſti in Hiſpaniâ plantatorem. Tamen habebant etiam Authores idem atteſtantes. Nam ut ſupra dixi numero 1413. Sanctus Iſidorus habuit plures libros, quibus nunc caremus; & de ipſo in Prænotatione librorum D. Iſidori, quæ legitur in veſtibulo operum Sancti Iſidori, Divus Braulio inquit:

*Sunt & alia ejus Viri multa Opuſcula, & in Eccleſiâ Dei multo cum ornamento inſcripta. Quem Deus poſt tot defectus Hiſpaniæ noviſſimis temporibus ſuſcitans (credo ad reſtauranda antiquorum monumenta, ne uſque quaque ruſticitate veteraſceremus) quaſi quandam appoſuit deſtinam, & cui non immeritò illud Philoſophicum à nobis aptatur. Nos, inquit, in noſtrâ Urbe peregrinantes tamquam hoſpites, tui libri, quaſi domum reduxerunt: ut poſſimus aliquando, qui, & ubi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem Patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu Sacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, publicamque diſciplinam, tu ſedium, regionum, locorum, tu omnium Divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti.*

1859 Et fortaſsè ideo Sanctus Braulio comparavit Sanctum Iſidorum deſtinæ, quam antiqui pro loro uſurpabant, ut ait Laurentbergius in Antiquario verbo *Deſtinare*; quia ſicuti deſtino ſolet alligare, res ne affluant, & homines ne fugiant, ita Deus per Sanctum Iſidorum alligavit antiquorum Hiſtorias, & Traditiones, ne effluerent, ne elaberentur, ne nos fugerent. Unde Dei Providentiâ factum eſt, ut monumenta haberemus Sancti Iſidori, ne ruſticitate, & ignorantiâ veteraſceremus.

Sed

Digitized by Google

1860 Sed non ex solâ Traditione non scriptâ habuit Divus Isidorus expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, neque ex solis libris, quibus nunc caremus, sed illam habuit ex Sancto Liciniano, ex Sancto Hieronymo, ex Martyrologio Eusebii, quod certè legit Sanctus Isidorus. Ut præteream Historiam omnimodam Dextri, quæ tempore Sancti Isidori fortasse adhuc servabatur incorrupta, licèt Chronicon Dextri nunc reperiatur interpolatum, nisi est omninò confictum. Nam Historia omnimoda certè erat Chronicon, ut elicitur ex Sancto Hieronymo, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis §. *de Eusebio Cæsareæ Episcopo*; cujus Chronicon vocat: *Chronicorum Canonum omnimodam Historiam.* Ergo cùm Divus Hieronymus eodem libro de Dextro Paciani filio dixit, *fertur ad me omnimodam Historiam texuisse*; intellexit de Chronico, quod est simile Chronico Eusebii, quod idem Sanctus Hyieronymus vocaverat omnimodam Historiam, tribuens similibus operibus similem titulum, eumque non novum, nam jam olim Phavorinus librum inscripserat *Omnimodam Historiam*, ut testis est Diogenes Laertius libro 4. in Carneade.

1861 Neque dicas Ferreras, ejusque socios supponere Traditionem, quam probare debuere; quia certè illam probant quotiescumque Breviaria producunt, ut supra diximus cum Marianâ, Patre Caracciolo, Natali Alexandro, Petitdidier, & Honorato. Unde constat, quàm immeritò dicatur, Marianam, & Benedictum Pererium dicere de prædicatione Jacobi in Hispaniâ tantum esse quandam famam, & persuasionem. Nam Mariana in Historiâ libro 4. capite 2. expressè dicit:

> *Jacobus Zebedæi filius, cognomento Maior, Judæâ, atque Samariâ obitis venit in Hispaniam, Authore Isidoro.*

Quod fatetur Hymni impugnator, neque dicit, de præ-

dicatione Jacobi tantum eſſe quandam famam, & perſuaſionem, hoc enim dicit de ſacello Ceſarauguſtano, ut idem impugnator animadvertit. Quorſum igitur aſſeritur in impugnatione Hymni, Marianam dicere de prædicatione Jacobi, quod ipſe dixit de ſacello Cæſarauguſtano? Mariana in Hiſtoriâ ſatis habuit citare Iſidorum, ut dictis fidem faceret; neque opus habuit allegare Traditionem, Iſidoro teſte contentus. Sed in Diſputatione de adventu Sancti Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam, hanc expeditionem probavit, non ſolùm Sancto Iſidoro, ſed pluribus aliis Authoribus, & pluribus Breviariis, quibus adſtruit Traditionem, ut ſupra dixi; deinde tot Recentioribus exteris, ut dicat cap. 9.

> *Magnam ſylvam Scriptorum ingredimur, ac neſcio, an in Apoſtolorum cujuſquam peregrinationes, actaque plura teſtimonia conſentiant. Primum ergo producam externos, quos gratiæ dediſſe, quæ dicunt, ſuſpicari nemo poterit, non omnes, longum enim id eſſet, ſed præcipuos, & nobiliores.*

Tam procul eſt Mariana ab aſſerendo de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ tantum eſſe quandam famam!

1862 Benedictus Pererius, etſi Author ex præſtantiſſimis, non tamen ex præſtantiſſimis Defenſoribus expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, cùm pauciſſima verba de illâ ſcripſerit. Verum quidem eſt, Pererium dixiſſe:

> *De adventu enim Jacobi in Hiſpaniam vix ullus antiquorum quidquam prodidit.*

Sed cùm inferiùs dixerit:

> *Ego optimis rationibus perſuaſus, de Jacobi adventu in Hiſpaniam nihil dubito.*

Optimè probavit, dari Traditionem certam de eâ expeditione. Nam non fuit perſuaſus ab Authoribus, quos non viderat:

viderat: ergo à Traditione, nam seclusis Authoribus, & Traditione, non posset persuaderi optimis rationibus, Jacobum venisse in Hispaniam. Ergo non potest Pererius recenseri inter dubitantes de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, multòque minus dici potest, Pererium non parum officere Traditioni de adventu S. Jacobi in Hispaniam; nam sicuti non officit Traditioni de Assumptione Virginis Mariæ redivivæ in Cœlum, ignoratam fuisse à pluribus Authoribus, ut ostendimus num. . . ita multò minus officeret Traditioni de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam, negatam fuisse ab uno Authore Benedicto Pererio contra tot antiquiores, & contra tot Recentiores.

1863 Quæ dicuntur de Officio Gothico tractu temporis depravato, & erroribus referto, nihil contra nos, cùm imò potiùs inde confirmetur nostra sententia, quod statim ostendam ex suppositione, quod fuerit depravatum, vel quòd ex illo sic depravato Elipandus suum hauserit errorem.

1864 Dixi ex suppositione, quòd fuerit depravatum, quia Albinum Flaccum non legi, scio, quòd libri illius adversus Elipandum non meminit, (dum numerat Albini opera) Joannes Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis; non Antonius Possevinus in Apparatu Sacro; non Joannes Pitseus in Scriptoribus Angliæ; non Casimirus Oudin in Supplemento Bellarmini; sed cùm hoc sit tantummodo argumentum negativum, nihil illi fidendum est, licèt sciam, aliquot Opuscula suppositia fuisse Albino Flacco. Sed cùm in secundâ parte operum Albini Flacci, sive Alcuini, editorum Parisiis anno 1617. extent plura opera adversus Elipandum, quæ Dupin in dubium non revocat, tom 6. Bibliothecæ Authorum Ecclesiasticorum à paginâ 120. ubi de Alcuino, sive Albino, de

illo dubitare non audeo, & ex hoc confirmor in meâ ſententiâ deſpiciendi omnia argumenta negativa; & maximè, quæ deducuntur ex taciturnitate Catalogorum, quos omnes eſſe imperfectos, teſtatur Clariſſimus Mabillon, contra Dallæum, Miniſtrum Chærentonium, relatus ab eodem Dupin loco citato.

1865 Dixi confirmari noſtram ſententiam, ex eo, quòd Elipandus hauſerit ſuos errores ex Officio Gothico depravato, & erroribus referto; quia ſi ex illo errores ſuos confirmabat Elipandus, qui vivebat octavo ſæculo, ſignum eſt, illud Officium eo tempore fuiſſe in ſummâ authoritate, aliàs enim nullum patrocinium ſui erroris ex illo poterat obtinere Elipandus Archiepiſcopus Toletanus. Deinde in Hymno, & Reſponſorio nihil eſt, quod faveat Elipando, cujus error fuit, Chriſtum fuiſſe Filium adoptivum Dei: ergo in Hymno, & Reſponſorio nulla eſt Officii Gothici corruptio: ergo ſalva manet utriuſque authoritas. Præterea, illi errores intruſi, expuncti fuerunt poſtea ex Officio Gothico; non enim in illo reperitur hodie quid erroneum; ſed non fuit expunctus Hymnus, neque deletum Reſponſorium: ergo neque Hymnus fuit intruſus, neque fuit Reſponſorium ſuperadditum.

1866 Deinde, licèt nullus ante illud Officium Gothicum aſſeruiſſet illam prædicationem Hiſpanicam Sancti Jacobi, non proinde illius notitia carebat ſummâ antiquitate; nam in Officio Gothico extat illa Oratio de Sancto Martino, in quâ hæc verba leguntur:

> *Hunc virum, quem ætatis noſtræ tempora protulerunt; jubeas auxilium noſtris ferre temporibus.*

Sanctus Martinus autem obiit anno Domini 402. ergo illud Officium eſt multò antiquius Sancto Iſidoro; cùm loquatur de Sancto Martino, ut de Sancto ætatis ſuæ, quod non

non faceret Sanctus Isidorus, plusquam duobus sæculis Sancto Martino recentior.

1867 Ulteriùs immeritò separatur Missale Gothicum ab Officio Gothico, cùm Missale ortum habeat ex Breviario, ut declaravit Urbanus VIII. die 25. Januarii (quæ est dies Conversionis Sancti Pauli) anno 1631. in Bullâ, quâ approbavit Breviarium Romanum, ipsius authoritate recognitum, quæ ipsi Breviario est præfixa, in quâ legitur:

> *Sub iisdem etiam probibitionibus, & pœnis comprehendi intendimus, & volumus ea omnia, quæ à Breviario Romano ortum habent, sive ex parte, sive in totum, cujusmodi sunt* Missalia, *Diurna, Officia Parva Beatæ Virginis, Officia Maioris Hebdomadæ, & id genus alia.*

Deinde immeritò innuitur, Joannem X. per Janellum Legatum solùm probasse Missale Gothicum operâ, & curis ipsius Janelli, & correctum adamussim ritus Romani, non verò Breviarium, cùm oppositum constet ex Eugenio de Robles, qui in tractatu de Officio Gothico cap. 23. de Papâ Joanne loquens, ait:

> *Idem studiosè curavit in Hispaniam mittens prudentissimum Præsbyterum Joannem, vel (si Marietam sequi velimus) Janellum, qui cùm singula exquisitè retulisset, mox à Pontifice confirmatus est Ordo Missæ hujus,* TOTIUSQUE DIVINI OFFICII, *ut in Hispaniâ mos inolevit, celebrandi.*

Ergo non solùm Missale, sed totum Officium Gothicum approbavit Joannes Pontifex Maximus. Sicuti totum Officium Gothicum, non solum Breviarium voluit Alexander II. abrogari, ut Romanum introduceretur: ut testatur Cardinalis Bona libro 1. Rerum Liturgicarum, cap. 11. §. 2. ex Petro de Marcâ in Historiâ Bearnii, libro 2. cap. 9.

Tan-

1868 Tandem nimis celeriter dictum eſt, in Miſſali Mozarabi nihil extare de prædicatione Sancti Jacobi, quin reſpondeatur Franciſco Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cap. 16. pag. 167. & aliis adducentibus aliquot loca hujus Miſſalis in confirmationem expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi; quibus ego, alia prætermittens, addo unum tantum, nempe benedictionem, quæ ex eo Miſſali dicitur, poſtquam Sacerdos mittit particulam in Calicem, quæ habetur in eodem Miſſali fol. 232. verſo, & ſic ait:

> *Chriſtus Dei Patris filius: quem Jacobus relicto Patre in navi: tota ſecutus eſt intentione cordis: indeſinenter vos faciat ſuis inhærere veſtigiis. Amen. Quique per hunc Apoſtolum ſuum cultores dæmonum convertit ad Fidem: concedat vobis vana hujus ſæculi reſpuendo, ſe in veritate deligere. Amen.*

Cultores enim dæmonum erant, non Judæi, ſed Gentiles: ergo Sanctus Jacobus convertit Gentiles: ergo ſublata eſt Jacobo potiſſima illa difficultas prædicandi Hiſpanis, qui erant Gentiles.

1869 Neque tamen ex eo, quòd in Miſſali Mozarabico nihil diceretur de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, argui poſſet contra ipſam in Officio affirmatam; non ſolent enim repeti in Miſſali Hiſtoriæ poſitæ in Breviario, ut patet ex Miſſali Romano.

1870 Circa approbationes Officii Mozarabi, jam ſupra loquuti ſumus numero 1820. cùm refellimus Natalem Alexandrum, ubi diximus, nos, cùm adduximus Officium Mozarabe, ſolùm attendere ad illius antiquitatem, quam nemo negare poteſt, præſertim, qui legit Cardinalem Bonam, loco citato, ubi probat, hoc Officium multò antiquius eſſe Sancto Iſidoro.

1871 Non inviti concedimus Adverſario, illud Breviarium

viarium non fuisse confectum de novo à Sancto Isidoro, cùm illud hoc Sancto Doctore antiquius esse, sponte asseramus. Curam verò recensendi Breviarii demandatam fuisse Sancto Isidoro à quarto Concilio Toletano, negare non audemus, cùm id affirment gravissimi Authores Alvarus Gomesius de Castro, in vitâ Cardinalis Ximenii, lib. 2. pag. *969.* tomi primi Hispaniæ Illustratæ; Eugenius Robles, tract. de Officio Gothico Mozarabum cap. 23. aliique permulti, sitque res vulgatissima inter Authores, de hoc Concilio, vel de hoc Officio loquentes.

1872 Neque Patrum illius Concilii mens fuit, ut tantum ex veteri Breviario tollerentur quidam abusus, verbi gratia, ne diceretur *Alleluia* tempore Quadragesimæ; &c. Sed ut tale conficeretur Officium, quod conveniret omnibus Ecclesiis Hispaniæ, & Galliæ Gothicæ, ut constat ex capite, seu Canone 2. illius Concilii, ubi dicitur:

> *Unus igitur ordo erandi, atque psallendi nobis per omnem Hispaniam, atque Galliam conservetur unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in Vespertinis, Matutinisque Officiis: nec diversa sit ultra in nobis Ecclesiastica consuetudo.*

1873 Et licèt inter Missale Gothicum Hispanum, & Missale Gothicum Gallicanum foret tanta similitudo, quanta est, quam observat Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 12. §. 5. & 6. tamen maximum est discrimen inter utrumque Missale circa Missam Sancti Jacobi, ut facilè perspiciet, qui utrumque Missale observaverit.

1874 Imò hoc idem discrimen observatur in omnibus, & singulis Missis utriusque Missalis; nam in Missali Gothico Hispano habetur libellus offerentium, qui legitur in omnibus, & singulis Missis, sicuti in Missali Romano

Romano legitur in omnibus Miſſis Canon Miſſæ, qui libellus offerentium non reperitur in Miſſali Gothico Gallicano. In hoc autem libello offerentium quotidie in Miſſâ legendo ſæpiùs fit mentio de Sancto Jacobo Apoſtolo, & de ejus prædicatione, & doctrinâ. Hoc autem diſcrimen voluerunt tolli Patres quarti Concilii Toletani; quo abundè teſtati ſunt, ſe agnoſcere Sanctum Jacobum, ut Hiſpaniæ Apoſtolum, Prædicatorem, & Doctorem Hiſpaniæ, ut in libris ſuis ſcripſerunt Sanctus Iſidorus, qui illi Concilio præfuit, & Sanctus Braulio, qui ipſi Concilio interfuit.

1875 Quod autem dicitur, non eſſe neceſſariò aſſentiendum Patribus quarti Concilii Toletani, ſi illi dixiſſent, vel implicitè, vel expreſsè, Sanctum Jacobum in Hiſpaniâ prædicaſſe, vel eſt ſupervacaneum, vel eſt inconſultum; nam ſi dicatur, non eſſe aſſentiendum aſſenſu fidei Divinæ, eſt ſupervacaneum; nemo enim dicit, nos cogi præſtare aſſenſum fidei Divinæ, Authoribus aſſerentibus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi. Si verò dicatur, non eſſe aſſentiendum aſſenſu fidei humanæ, eſt inconſultum; quo jure enim poſſumus negare aſſenſum ſexaginta novem Patribus in Concilio Nationali congregatis, rem aſſerentibus nullo modo repugnantem, nullâ ratione impoſſibilem, certèque ad illorum provincias ſpectantem? Imò addo, quòd ſi unus ex illis ſexaginta novem Patribus Hiſtoriam ſcriberet nulli repugnantem; injurius eſſet lector, qui illi non crederet: ergo multò magis injurius eſſet omnibus, qui non crederet illis in Nationali Concilio congregatis.

1876 Et dato, ſed non conceſſo (minimè enim id concedi debet) eos Toletanos Patres non admodum fuiſſe verſatos in Traditionibus Apoſtolicis, neque in doctrinâ Conciliorum Generalium, & lectione antiquorum Patrum,

Digitized by Google

trum, non inde colligi potest, eos erraturos circa res suarum provinciarum, qualis est notitia primi Prædicatoris Hispaniæ, quam nos non dicimus haberi ex Traditione Universali Apostolicâ, neque ex doctrinâ cujuspiam Concilii Generalis, neque ex lectione antiquorum Patrum, sed ex merâ Traditione humanâ Ecclesiarum Hispaniæ, ex quibus diffusa est in alias Ecclesias, & postremò in totum Orbem. Neque Adversarii istam expeditionem oppugnant, vel oppugnare possunt ex Traditionibus Apostolicis, vel ex doctrinâ alicujus Concilii Generalis, vel ex quopiam ex antiquis Patribus, sed tantum ex merâ voluntate contradicendi, & ex novandi cupiditate.

1877 Dixi non debere concedi, Toletanos Patres non esse admodum versatos in Traditionibus Apostolicis, & doctrinâ Conciliorum Generalium, & lectione antiquorum Patrum, quia, ut alias rationes præteream, nihil est, unde id suspicari possimus. Nam quod Toletani Patres præceperint dici *Gloria, & honor Patri* &c. non est præcipere modum glorificandi deformem, sed conformem fidei Nicenæ, aliter enim diceremus, esse contra fidem Nicenam illud, quod ex Breviario Romano adstringimur dicere in Hymnis Adventûs ad Vesperas, & Laudes:

*Virtus, honor, laus, gloria*
*Deo Patri cum Filio,*
*Sancto simul Paraclito*
*In sæculorum sæcula.*

Glorificatio non conformis Nicenæ fidei est illa: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, ut ait Christianus Lupus, loco citato ab oppugnatore Patrum quarti Concilii Toletani. Cui ego addo, illam glorificationem esse deformem Nicenæ fidei, si accipiatur in sensu Hæretico Aëtii Arianismi Instauratoris, non verò si accipiatur in sensu

Orthodoxo Sancti Baſilii Magni, & Sancti Leonis Magni, ut videre eſt in illius libro de Spiritu Sancto, & in hujus Sermone primo de Nativitate; nefas enim eſſet dicere, tantos Patres adverſatos fuiſſe Nicenæ fidei.

1878 Unde immeritò traducuntur Toletani Patres propter additum Hymno glorificationis verbum: *Et honor.* Et hinc eſt, quòd eos non arguerint hujus additionis ad illud Concilium ſcribentes Loaiſa, Binius, Cardinalis de Aguirre, Cabaſſutius, & noviſſimè Marcus Bataglinus, Epiſcopus Nucerinus, in Hiſtoriâ Univerſali Conciliorum tom. 1. paginâ 314. editionis 3. Venetiis anno 1696. ubi expreſsè meminit illius verbi: *Et honor.*

1879 Ego autem hos Patres ſuſcepi defendendos propter honorem Sancti Jacobi, cujus nonnulli fuerunt ſucceſſores, & propter honorem Sanctorum Epiſcoporum Iſidori Hiſpalenſis, Juliani Toletani, Noniti Gerundenſis, Conantii Palentini, & Braulionis Cæſarauguſtani. Et maximè propter honorem Sancti Stephani, Metropolitani Emeritenſis, qui interfuit illi Concilio cum undecim Epiſcopis Luſitaniæ, inter quos fuit Viaricus Ulyſſiponenſis, cujus Eccleſiæ Hiſtoriam ſcribendam ſuſcepi juſſu Regalis Academiæ. Tum etiam propter honorem Sancti Juliani, Metropolitani Bracharenſis, qui illi Concilio interfuit cum octo Epiſcopis ſuæ provinciæ, quorum unus fuit Anſiulfus Portucalenſis, cujus Eccleſiæ Hiſtoria etiam mihi demandata eſt ab eâdem Regali Academiâ; ægrè enim fero ignorantiæ notam inuri ſex Pontificibus ſanctitate, & doctrinâ inſignibus, totque noſtræ gentis Epiſcopis; & ſartam, tectamque velim Conciliorum Nationalium reverentiam.

1880 Quarta falſitas, noviſſimèque adinventa eſt, quâ dicitur, certum eſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non extitiſſe in Officio Mozarabico, anno 1074.

quo

Digitized by Google

quo Sanctus Gregorius VII. scripsit Epistolam ad Alphonsum Castellæ, & Sancium Aragoniæ Reges, eam Epistolam, quæ extat inter Epistolas hujus Pontificis tam inter Decretales Summorum Pontificum, quàm apud Binium, aliosque in editionibus Conciliorum. Tam apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 1074. quàm apud Cardinalem de Aguirre, inter Concilia Hispaniæ tomo 3. paginâ 248. quia in ipsâ Epistolâ non meminit Pontifex illius expeditionis; ex hoc enim silentio non potest inferri, ipsum Gregorium illam voluisse negare. Nam in primis argumentum à silentio nullius est roboris, ut latè demonstravi Assertione 44. Deinde illa Epistola nihil facit contra expeditionem Hispanicam, ut demonstravi Assertione 27. Imò etiamsi Pontifex expressè negavisset illam expeditionem, nihil contra illam evinceret, ut jam animadverti numero 535. cùm præter ibi dicta jam ante annos saltem quindecim supra ducentos illa extaret in Codice operum Sancti Isidori, ut testatur Illustrissimus Petrus de Marcâ à nobis relatus num. 1414. cùm extaret in Sancto Braulione à nobis citato numero 1417. in Sancto Juliano à nobis producto numero 1423. in Venerabili Bedâ à nobis producto numero 1438. cùm extaret in Martyrologio Blumani à nobis relato numero 1470. in Sancto Beato à nobis relato numero 1471. cùm extaret in Martyrologio Gelonensi à nobis relato numero 1474. in Freculpho Lexoviensi à nobis producto numero 1476. in Walafrido Strabone à nobis producto numero 1483. in Sancto Notkero à nobis citato num. 1484. cùm denique extaret in Donatione Sisnandi Episcopi Hispani, à nobis productâ numero 1488. quæ scripta fuit anno 914. & licèt fuerit recentior omnibus aliis monumentis hîc à me productis, scripta tamen fuit centum & sexaginta annis, antequam Sanctus Gregorius VII. scribe-

ret illam Epiſtolam ; quo evincitur contra Neotericum Adverſarium, tempore Sancti Gregorii VII. notam fuiſſe in Hiſpaniâ Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.

1881 Et licèt non extaret illa Donatio Siſnandi, ſcripta in Hiſpaniâ, quam fortaſsè non legit Neotericus Adverſarius, ſatis eſſet extare tot monumenta extra Hiſpaniam exarata, quibus illa expeditio aſſeritur ; nam valdè alienum eſt ab omni veritatis ſpecie, eam expeditionem notam fuiſſe Galliæ, & Germaniæ Authoribus, & ignotam per ea tempora fuiſſe Hiſpaniæ Regibus, quidquid exiſtimaſſet Sanctus Gregorius VII.

1882 Neque ſuſpicandum eſt, Sanctum Gregorium legiſſe omnia exemplaria Officii Mozarabi, per Hiſpaniam diſperſa, & quæ tunc ſolùm erant Manuſcripta ; imò neque neceſſariò concedendum, Sanctum Pontificem legiſſe unum illius exemplar, multòque minus illud fuiſſe integrum, & incorruptum ; imò neque adigimur ad credendum, Sanctum Gregorium VII. ullum, ve alium virum licèt in re Hiſtoricâ verſatiſſimum, cùm quidpiam ſcripſit, memorem eſſe omnium, quæ unquam legit. Unde potuit S. Gregorius VII. non legiſſe Officium Mozarabum ; potuit non legiſſe exemplar illius ſyncerum, & non mutilum ; potuit legiſſe exemplar integrum, & tamen non meminiſſe omnium, quæ in illo legerat ; & tandem potuit legiſſe, & cùm ſcriberet ad Reges, non obliviſci expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, quam in eo Officio legerat, & tamen noluiſſe illam in memoriam Regum revocare, cùm nihil deſerviret ſcopo, quo in illâ Epiſtolâ collineabat, ut jam animadverti numero 534.

1883 Prætereo, Gregorium VII. Sanctiſſimum Pontificem graviſſimis occupationibus diſtentum, plurimiſque laboribus afflictum, non potuiſſe animum adjicere legendis

Digitized by Google

legendis exterarum gentium Historiis, unde plura illi suggesta sunt, quibus Authores contradicunt, & quibus intercedunt integra Regna, & plures provinciæ sine ullo gloriæ tanti Pontificis detrimento, cùm nihilominus remaneat à Sanctitate, verâque sapientiâ laudatissimus.

1884 Unde ex illâ Epistolâ Sancti Gregorii VII. nullo pacto probari potest, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi fuisse intrusam in Officium Mozarabum, sæculis illo Pontifice posterioribus; ad id enim probandum, necesse erat ostendi, omnia exemplaria illius Officii Gregorio VII. antiquiora caruisse iis locis, quibus adstruitur expeditio Hispanica Sancti Jacobi; quod quidem est impossibile; cùm fortassè ne unum quidem exemplar jam extet eorum temporum; imò neque aliquot sæculis recentius. Quo sine non potest probari interpolatio ista Officii Mozarabi, juxta primum Aphorismum Criticum Joannis Clerici, in Arte Criticâ, parte 3. sect. 2. cap. 2. num. 2. ubi ait:

> *Supposititii libri indicium est, si in veteribus Codicibus alii tribuatur, cùm nulla ratio est, cur ejus habeatur, cujus nomen in editionibus præfert. INTERPOLATI verò, si sit in veteribus Codicibus sine additamento.*

Et hæc sint satis pro defensione Officii Gothici Hispani, seu Mozarabi.

ASSER-

# ASSERTIO LVII.

## *Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Eccleſiarum Galliæ, tractûs Gallo-Belgici, & Belgii.*

1885 CUm de Divo Paulo dicat Arnoldus Mermannius Aloſtanus, eruditus Seraphici Ordinis Scriptor, in Theatro Converſionis Gentium totius Orbis paginâ 39. prædicaſſe in Galliâ, poſtquam prædicaverat in Hiſpaniâ, quod etiam teſtantur plurimi Scriptores magni nominis, non potuit non tranſire in Galliam, regioneſque ipſi conterminas, Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, cujus ſucceſſor fuit Sanctus Paulus in illâ expeditione. Unde ultra Hiſpaniæ fines pervaſit Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; hæc enim etiam aſſerta eſt à Breviariis Eccleſiarum, quæ extra Hiſpaniam ſitæ ſunt. Sive illæ ſint ex Gallicis, ſive ex Belgicis, ſive ex Gallo-Belgicis.

1886 Ex Galliâ duo tantum produxit D. Michael Erze Ximenes, nempe Santonenſe, & San Dionyſianum, hoc eſt, Monaſterii Sancti Dionyſii Pariſienſis.

1887 Eccleſia Santonenſis, quæ eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi, cujus antiquitatem celebrat Hadrianus Valleſius in Notitiâ Galliæ, in Breviario peculiari, quo utitur, aſſerit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

1888 Breviarium juxta ritum Regalis Cœnobii Chriſti Martyris Areopagitæ Dionyſii, impreſſum Pariſiis apud Joannem Amaſeur, anno 1550. in octavo (quod extat

extat Ulyssipone in copiosissimâ Bibliothecâ Regiâ ) in Festo Sancti Jacobi, Lectione 1. ait:

> *Beatus Jacobus Fr. Sancti Joannis Euangelistæ (cæteris Apostolis diversa adeuntibus climata) apud Hispaniam legitur prædicasse, & ibidem novem discipulos specialiter elegisse: eorum duos in Galliciâ prædicandi causâ dimisit, ipse verò septem reliquos secum assumptos in Judæam iterum remeavit.*

1889 Circa quæ verba illud notandum est, hîc dici, *novem discipulos specialiter elegisse*, ut innuatur plurimos hòmines convertisse, plures discipulos asciviſse, novem verò specialiter elegisse, ad imitationem Christi Domini, qui cùm plurimos homines converterit, septuaginta duos discipulos designavit, & duodecim Apostolos elegit. Quo explicatur sententia illorum, qui dixerunt, Sanctum Jacobum convertisse paucos, & refellitur error eorum, qui credidere, Sanctum Jacobum parvum, vel nullum collegisse fructum ex prædicatione in Hispaniâ.

1890 Præter ista duo Breviaria Ecclesiarum Galliæ à D. Michaele Erze producta, reperi ego hîc in Bibliothecâ Regiâ alia tria ex eâdem Galliâ, quæ Traditioni de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi subscribunt, & sunt

1891 Breviarium Lexoviensis Ecclesiæ Episcopalis in Normanniâ, sub Metropoli Rotomagensi, impressum anno 1624.

1892 Breviarium Trecensis Ecclesiæ Episcopalis, sub Metropoli Senonensi, impressum anno 1652.

1893 Breviarium Claramontensis Ecclesiæ Episcopalis, sub Metropoli Bituricensi, impressum anno 1654.

1894 Ex Breviariis Gallo-Belgicis profertur Breviarium Archiepiscopalis Ecclesiæ Bisuntinæ, in quo asseritur expeditio Hispanica Sancti Jacobi, extatque Ulyssipone in Bibliothecâ Regiâ.

Gallo-

1895 Gallo-Belgicis Breviariis adjungimus Lectionarium Belgicum, hoc eſt, Attrebati in Belgio conſtituti Monaſterii Sancti Vedaſti, cujus antiquiſſimi M. S. teſtimonio confirmat Erze Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quæ proinde non ſolis Hiſpaniæ finibus concluditur, ſed longè, latèque vagatur jam dudum per Urbes Gallicas, Gallo-Belgicas, & Belgicas.

## ASSERTIO LVIII.

### *Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Eccleſiarum Italiæ.*

1896 IN Italiâ ignorari non potuit expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, cùm in ipſâ prædicaverint Sanctus Petrus, Sanctus Barnabas, Sanctus Paulus; ſucceſſor Sancti Jacobi in prædicatione Hiſpanicâ, & Sanctus Joannes, Frater ipſius Sancti Jacobi, qui omnes docuiſſent illas gentes quantum pro Chriſto, uſque ad mortem laboraſſet Sanctus Jacobus. Unde per plures Italiæ Urbes neceſſe eſt, vagatam fuiſſe Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quæ in Eccleſiis Italiæ perſeveravit, & perſeverat uſque ad noſtra tempora, ut conſtat ex pluribus illarum Breviariis.

1897 Ex Eccleſiis Italiæ producit D. Michael Erze Ximenes ſeptem Breviaria, quibus probatur Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi; ſed cùm ignoretur cujuſnam Eccleſiæ ſit unum ex illis, non alio jure tribuitur Italiæ, niſi quia extabat in Bibliothecâ Abbatis Benedictini D. Conſtantini Caietani, Scriptoris celeberrimi, & de antiquitatibus Eccleſiaſticis optimè meriti, ut

videre

videre est apud D. Antonium Mongitore in Bibliothecâ Siculâ, tomo 1. V. *Constantinus Caietanus*, ubi hujus luculentissimum habetur elogium. Esse tamen illud Breviarium in Bibliothecâ Italiæ, non probat illud esse Ecclesiæ alicujus Italicæ, licèt probet in aliquâ aliâ Orbis viguisse Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi. Unde transeo ad Breviaria certò Italica.

## §. I.

## *Traditio de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Ecclesiarum Capuanæ, Lucensis, & Comensis.*

1898 PRimò se se offert Breviarium Archiepiscopalis Ecclesiæ Capuanæ, quæ inter antiquissimas numeratur, utpote instituta à Sancto Petro Apostolo, qui primum ipsi præfecit Episcopum Sanctum Priscum. Est hoc Breviarium à vetustate commendatum, unde sæpiùs illius testimonio utitur Cardinalis Baronius, in Notis ad Martyrologium Romanum, præcipuè ad dies 16. Julii, 26. & 27. Augusti, 3. Septembris, & 10. Octobris. Hoc autem Breviarium in festo Sancti Jacobi, Lectione primâ de Sancto Jacobo ait:

> *In Hispaniam tandem ivit, ut ibi verbum Domini seminaret.*

1899 Æqualis antiquitatis est Ecclesia Lucensis, cujus primus Episcopus fuit Sanctus Paulinus, à Sancto Petro Principe Apostolorum ordinatus; in illius autem Breviario jam anno 1340. legebatur: *Jacobus Maior, qui missus est ut Hispanis prædicaret.*

1900 Non tantæ antiquitatis eſt Eccleſia Comenſis Epiſcopalis, ſub Patriarchâ Aquileienſi, licèt in Ducatu Mediolanenſi ſita, cujus primus Epiſcopus fuit Sanctus Felix, à Sancto Ambroſio Mediolanenſi ordinatus, cui non interruptâ ſeriâ ſucceſſere in eâ Cathedrâ viginti Sancti. Hujus Eccleſiæ Breviarium, dictum Patriarchinum, quod cùm eſſet ducentis annis antiquius, ab rogatum non fuit à Sancto Pio V. anno 1566. quo antiquavit recentiora Breviaria; imò confirmatum fuit à Gregorio XIII. anno 1583. etiam adſtruit expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

## §. II.

## *Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviario Mediolanenſi, cujus expenditur authoritas.*

1901 IN Breviario Mediolanenſi, in feſto Sancti Jacobi legitur Sanctiſſimi hujus Apoſtoli expeditio Hiſpanica, ut ſcribit D. Michael Erze Ximenes, in libro de Prædicatione Sancti Jacobi, parte 1. tract. 3. cap. 2. fol. 74. col. 2. de Sancto Apoſtolo dicitur:

> *Mox in Hiſpaniam profectus, ibique diſſeminatâ Chriſtianâ Religione, reverſus eſt Feroſolymam.*

Eruditiſſimus Erze loco citato conatur probare, eam expeditionem legi in eo Breviario à primævâ inſtitutione Sancti Ambroſii: è contra verò videtur opponi illud, quod legitur in Muſæo Italico, ſeu Collectione veterum Scriptorum ex Bibliothecis Italicis, erutâ à D. Joanne Mabillon, & D. Michaele Germain, Præsbyteris, & Monachis Benedictinis Congregationis Sancti Mauri, tom. 1. part. 2. in

Digitized by Google

in obſervationibus de Ritu Ambroſiano §. 6. paginâ 101. nempe:

> *Qualis fuerit Ambroſii tempore Divinorum Officiorum: ſive in Vigiliis, ſeu in Miſſis ab eo inſtituta diſciplina, non facilè eſt explicare.*

Mihi tamen ſatis eſt, ea verba legi in eo Breviario, quod editum eſt anno 1582. à Sancto Carolo Borromæo S. R. E. Cardinali, olim Protectore negotiorum Luſitaniæ, Viro Sanctiſſimo, & antiquarum Traditionum Eccleſiaſticarum obſervantiſſimo, & cujus feſto die mihi injunctum eſt ab Auguſtiſſimo Rege noſtro, ut conſcriberem monita, quæ mihi neceſſaria viderentur, quo brevi temporis ſpatio accuratè confici poſſet Hiſtoria Luſitaniæ Sacræ, ut Regio juſſu expoſui in Regali Academiâ, die 8. Decembris anno 1720. ut conſtat ex Actis Academiæ illius anni. A' Sancto Carolo Borromæo, qui (ut legitur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis parte 2. Synodo Diœceſanâ 2. Decreto 5. pag. 336.) ait:

> *Cùm Officii Ambroſiani rationem, ac normam, vel antiquiſſimam eſſe conſtet, quam ab ipſo Sancto Ambroſio inſtitutam, ac præſcriptam Sanctus Eugenius Epiſcopus omni, & doctrinæ, & pietatis ratione retineri ſtuduit, ut etiam conſervata eſt perpetuo Catholicæ Eccleſiæ conſenſu: nos propterea, qui Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Mediolanenſis Eccleſiæ adminiſtrationi præſumus, omni ratione curare debemus, ut priſca hujus Eccleſiæ inſtituta, vetereſque ritus, & quæ adeo ab ipſo Sancto Ambroſio introducta retineantur, & conſerventur.*

& infra:

> *Antiquos in Canonicis Horis, & Divinis Officiis noſtræ Mediolanenſis Eccleſiæ ritus, totamque ipſam Ambroſiani Breviarii rationem conſervemus.*

1902 Sed etiamſi expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi

inſerta non fuiſſet à Sancto Ambroſio in Breviario Mediolanenſi, ſatis, ſuperque eſt, inſertam fuiſſe à Sancto Carolo Borromæo, cujus authoritas eſt maximè ſuſpicienda, cùm fuerit Sapientiſſimus, & uſus fuerit Viris Doctiſſimis, in rebus Eccleſiaſticis ſtatuendis.

## §. III.

## *Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi probatur ex Officio Piſtorienſi, cujus authoritas expenditur.*

1903 PIſtorium Urbs antiqua eſt in Hetruriâ, in cujus Cathedrali Eccleſiâ extat ſingulare Officium de Sancto Jacobo Maiore, quod per novem dies cantari ſolebat, in cujus primâ Lectione ſcriptum eſt:

*Jacobus Apoſtolus, Zebedæi filius, poſt Aſcenſionem Domini, dum per Judæam, & Samariam prædicaret, in Hiſpaniam tandem ivit, ut ibi verbum Domini ſeminaret.*

1904 In Miſſâ hujus Officii legitur Sequentia, ſeu Proſa (ut vocant) conſtans octoginta verſiculis, quibus narrantur aliquot miracula Sancti Apoſtoli, ſubvenientis clientibus ſuis, in articulo mortis conſtitutis, quibus maximè allicimur ad tantum Protectorem colendum.

1905 Extat hoc Officium ſcriptum chartâ Pergamenâ; illius exemplar authenticum dedit ſæpiùs laudato Michaeli Erze Ximenio, Julius Roſpiglioſius Piſtorienſis, tunc Secretarius Congregationis Rituum, poſtea Archiepiſcopus Tharſenſis, deinde Sedis Apoſtolicæ Nuncius, miſſus ad Regem Catholicum Philippum IV. ab Innocentio X. ab Alexandro verò VII. renuntiatus Secretarius

rius Statûs, ut vocant, & post biennium creatus S. R. E. Cardinalis; obeunte Alexandro, illi successit in Pontificatu Maximo, dicique voluit Clemens IX. Vir fuit literis excultissimus, & morum sanctitate insignis.

1906 Quod spectat ad antiquitatem illius Officii, credibile est, illud conditum esse tempore Beati Attonis, Episcopi Pistoriensis, quem Lusitanum fuisse, Patriâ Pacensem, scribit Abbas Ferdinandus Ughellus in Italiâ Sacrâ tom. 3. col. 359. ubi de Episcopis Pistoriensibus; quorum decimusnonus fuit Beatus Atto, electus anno 1133. ex octavo Abbate Generali Congregationis Vallisumbrosæ.

1907 Certum est, Beatum Attonem maximè deditum fuisse obsequio Sancti Jacobi, à quo Lusitania Christi Religionem didicit: hic postulavit Reliquias corporis ipsius Apostoli, ab Archiepiscopo Compostellano D. Didaco Gelmires, qui ipsi misit non minimum Reliquiarum de capite Sancti Jacobi, in cujus honorem Beatus Atto sacellum munificè construxit. Circa quæ omnia, nonnullæ Epistolæ extant apud Ughellum loco citato, quarum una Archiepiscopi Compostellani habet scriptionem, quam censeo notatu dignam:

> *Didacus Dei gratiâ, Compostellanæ Sedis Archiepiscopus, Attoni Reverendissimo Pistoriensi Episcopo salutem, & Beatissimi Apostoli Jacobi benedictionem.*

1908 Hanc scriptionem, inquam, censeo notatu dignam, & ni fallor, mecum censebunt omnes, qui meminerint Concilii Rhemensis, celebrati anno 1049. sub Sancto Leone IX. in quo leguntur illa verba:

> *Excommunicatus est Sancti Jacobi Archiepiscopus Gallicienſis, quia contra fas sibi vendicaret culmen Apostolici nominis.*

1909 Quæ scripta sunt plusquam centum annos, antequam

tequam Reliquiæ S. Jacobi mitterentur ad Beatum Attonem, miſſæ enim fuerunt anno 1145. ut ſcribit Ughellus. Si autem ex iis Concilii Rhemenſis verbis conficit Franciſcus Macedo argumèntum à ſe primum repertum, & productum pro expeditione Hiſpanicâ S. Jacobi; quidni & ego eliciam novum argumentum ex illâ Didaci Gelmires inſcriptione, in quâ, ni fallor, continetur idem, quod innuunt verba Concilii, ad quæ Macedo ſubdit:

> *Hic locus rem prorſus continet. Nam hic Sancti Jacobi Archiepiſcopus Gallicienſis haud dubiè Compoſtellanus, translatâ cum eo Irienſi Sede ante annos ducentos erat, qui eo nomine ſibi arrogabat titulum, & locum Apoſtolici, quod cum Apoſtoli Sedem obtineret, id eſt, Jacobi, culmen Epiſcopatûs ſibi obvenire credebat, quod certè non auderet, niſi certò ſciret, eam Eccleſiam à Sancto Jacobo eſſe erectam, & fundatam.*

Hæc Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cap. 9. paginâ 52. & infra ſubjicit:

> *Hoc nobis in argumentum ſufficit ad confirmandam ejus adventûs Traditionem.*

1910 Ego ſententiæ Magni Macedo inhærens, arbitror, ideo Archiepiſcopum Compoſtellanum miſiſſe Beato Attoni Apoſtolicam Sancti Jacobi benedictionem, quia noverat, Sanctum Jacobum fundaſſe Irienſem Sedem, quæ translata poſtea fuerat Compoſtellam.

1911 Redeo ad Beatum Attonem, Epiſcopum Piſtorienſem, de quo Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Veteri Hiſpanâ, tomo 2. lib. 7. cap. 4. num. 82. pag. 15

> *Hiſpanus hic fuit, domo Pacenſis, ſive ex Pace Juliâ, quam* Béja *in Portugalliæ Regno recentiores appellant, ſive ex* Badajoz *hodiernâ Extramaduræ Urbe ſatis clarâ, quæ* Pax-Auguſti *unde corruptum fuit barbarum iſtud hujus temporis nomen ab antiquis appellata dicitur; quid-*

*quid*

Digitized by Google

*quid non nisi unam, eandemque* Pacem *Andreas contendat Resendius.*

Beatum Attonem dat Ughellus Lusitanis, Castellanis vendicat Joannes Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico, ad diem 22. Maii; nos hanc quæstionem de Patriâ Beati Attonis relinquimus decidendam Excellentissimo Domino D. Francisco Xaverio Menesio, Comiti de Ericeirâ, Regiæ Academiæ Censori, ad quem spectat ex ipsius Academiæ designatione, differere de rebus Eborensis Ecclesiæ, sub quâ est Pax Julia; qui certè omnia eruditissimè, & disertissimè discutere solet, utpote qui eruditionis copiâ, ingenii acumine, & capacissimâ memoriâ nemini secundus est, sed omnium literatorum facilè princeps. Quod de Beato Attone ad me attinet est, ipsum scripsisse librum unum de *Translatione Reliquiarum, & miraculis Sancti Jacobi Apostoli*, ut eodem loco numero 89. asserit Nicolaus Antonius. Et quod teste eodem Authore, num. 85. à Thesauro Vellio in illius vitâ, editâ anno 1612. dictus fuerit Beatus Atto: *Pacensis, Hispanique nominis propugnator eximius.* Unde colligo, non temerè referri posse ad Beatum Attonem Officium illud Pistoriense, in quo ostendimus affirmari expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, illiusque miracula recenseri, ex quo nostræ Traditioni non minimum accedit pondus; neque enim Heros ille dici posset Hispani nominis propugnator eximius, si Hispaniæ gloriam Jacobeæ prædicationis denegaret. Unde pro certo habeo, eo in libro *de Translatione Reliquiarum Sancti Jacobi*, à Beato Attone conscripto, assertam fuisse Sancti Apostoli expeditionem Hispanicam, quam, si negasset Beatus Episcopus Pistoriensis, nunquam fortasse Pistoriensi Officio insereretur.

§. VI.

## §. IV.

## *Traditio de expeditione Hiſpanicâ S. Jacobi probatur ex Breviario Beneventano, cujus authoritas expenditur.*

1912 PRo hujus Aſſertionis coronide prodeat Breviarium Archiepiſcopalis Eccleſiæ Beneventanæ, in quo legitur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, in Hymno, quo dicitur:

*Petrus Beatus inclytam*
*Poſt ſe traxit Italiam,*
*Secum Andreas Achaiam*
*JACOBUS OMNEM SPANIAM.*

Quæ poſtrema verba non ſolùm adſtruunt communem Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ſed deſtruunt ſententiam eorum, qui concedentes Sanctum Jacobum in Hiſpaniam veniſſe, negant, illum ex ipſâ copioſum fructum reportaſſe.

1913 Plura autem ſunt, quæ magnam huic Breviario authoritatem conciliant. Primum eſt illius antiquitas, quæ tanta eſt, ut ſeptingentos annos longè ſuperet, ut docet D. Michael Erze Ximenes in libro de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, parte 1. tract. 3. cap. 3. num. 1. fol. 75. col. 2.

1914 Secundum eſt nobilitas Eccleſiæ Beneventanæ, quam hauſit à Conditore, ſuo Sancto Petro Apoſtolorum Principe, qui ipſi præfecit primum Epiſcopum Sanctum Potinum.

1915 Tertium eſt Sanctitas Epiſcoporum ejuſdem Eccleſiæ, ex quibus micat inter omnes, velut inter ignes luna minores, Sanctus Januarius Epiſcopus, & Martyr, cujus

Digitized by Google

cujus sanguis stupendo miraculo quotannis ebullit Neapoli, ubi summâ cum Religione ampullâ vitreâ custoditur, quem ego ipse liquari vidi, & tam durum primò, quàm postea liquidum veneratus sum, & non semel Sacram ampullam osculatus sum, die 16. Decembris anno 1710. Præter Sanctum Januarium rexere illam Ecclesiam plures Episcopi, Sanctorum fastis adscripti, ut Dorus, Apollonius, Cassianus, Januarius secundus, Joannes, Thammarus, Sophias, Zenon, & Barbatus, quorum Sanctitas mirum illi Ecclesiæ confert splendorem, de quibus omnibus videndus est Ughellus tomo 8. Italiæ Sacræ, ubi de Ecclesiâ Beneventanâ.

1916 Quartum est, quòd Beneventana est *inter alias Ecclesias famosa, & solemnis*, ut inquit Nicolaus V. in quâdam Bullâ, relatâ à Pompeio Sarnello, Doctissimo Episcopo Vigilienſi, tom. 2. Epistolarum Ecclesiasticarum, Epistolâ 33. pag. 129. & est illa Ecclesia tenacissima veterum Ecclesiasticarum consuetudinum, ut in eâdem Epistolâ testatur idem Sarnellus, plurium voluminum Scriptor. Ut silentio involvam alias singulariſſimas clarissimæ hujus Ecclesiæ laudes, quas loco citato congerit Ughellus.

1917 Quintum denique, quod Ecclesiam Beneventanam in summo collocat fastigio est, ex ipsâ superiori anno ascendisse ad Cathedram Divi Petri Sanctissimum Dominum nostrum BENEDICTUM XIII. nunc Pontificem Maximum, & ut supra vidimus, Assertorem expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi.

1918 Ex dictis constat, quàm efficaciter probetur Traditio de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi ex Breviariis Ecclesiarum Italiæ.

# ASSERTIO LIX.

## *Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Germaniæ.*

1919 CUm Divus Paulus prædicaverit etiam in Germaniâ, ut tradit jam citatus Arnoldus Mermannius, in Theatro converſionis Gentium totius Orbis, paginâ 39. non potuit non penetrare in Germaniam Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, cujus ſucceſſor fuit Sanctus Paulus. Et licèt Germaniam magnâ ex parte infecerit Lutherana lues, quæ Eccleſiaſticis Traditionibus bellum indixit; quæ plures Eccleſias polluit; quæ libros Eccleſiaſticos quamplures igni addixit, nihilominus magno Dei beneficio conſervata eſt in aliquot Eccleſiis Germaniæ Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quæ probatur ex ipſarum Eccleſiaſticis voluminibus. Tria profert ſæpiùs citatus D. Michael Erze Ximenes, parte 1. tract. 3. cap. 9.

1920 Primum eſt Electoralis, & Archiepiſcopalis Eccleſiæ Colonienſis, cujus creditur eſſe Liturgia producta à Cornelio Scultingio, Canonico Colonienſi, tomo 2. parte 2. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ, in quâ fit mentio Expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi.

1921 Secundum eſt Breviarium Eccleſiæ Eiſtatenſis, ſeu Eiſtadienſis Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopatu Electorali Moguntino, quod certè eſt trecentis, & quinquaginta octo annis antiquius, in quo Lectione 3. de Sancto Jacobo legitur:

*Quibus in Judeâ geſtis, Jacobus in Hiſpaniam eſt profectus, atque etiam illic verbum Dei annuntiare exorſus, aliquos*

Digitized by Google

*aliquos Christo lucrifecit, quibus in fide firmatis, ac virtutibus probè instructis, Jerosolymam rediit.*

1922 Tertium est ejusdem ad minus antiquitatis, Breviarium Monasterii Imperialis Sancti Maximi Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, in Electorali, Archiepiscopalique Urbe Trevirensi, seu Augustâ Trevirorum, in quo Lectione 5. de Sancto Jacobo dicitur:

*Fuit autem, & missus in Hispaniam ad Euangelium Gentibus annuntiandum.*

1923 Hæc autem verba non solùm probant Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, sed etiam ipsum prædicasse Gentibus, non autem solis Judæis, ut existimavit Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, die 25. Julii, & alii. Probatâ autem hâc Traditione ex Breviariis Germaniæ, pergendum est ad alia.

## ASSERTIO LX.

### *Traditio de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Dalmatiæ, Poloniæ, Russiæ, & Armeniæ.*

1924 TRaditio est constans apud Dalmatos, Sanctum Jacobum reducem ex Hispaniâ, illis prædicasse; unde Ecclesia Cathedralis Sicensis dicata fuit ipsi Apostolo, & in illius Breviario legitur hæc Antiphona:

*O Pastor noster inclyte Jacobe adesto tuo gregi* &c.

& alia, quæ incipit:

*O Decus Hispaniæ Sanctissime Jacobe.*

& in Hymno de eodem Sancto Jacobo dicitur:

*Se evergit ad Occaſum, Hiſpanis, atque Barbaris*
*Doctrinis tam melliſluis vitæ præbet ducatum.*

1925 D. Michael Erze Ximenes, ductus authoritate Epiſcopi D. Fr. Joſephi de Siguençâ, in vitâ Sancti Hieronymi lib. 1. diſcurſu primo dicentis, Doctorem Maximum Dalmatis ordinaſſe Divinum Officium, exiſtimat, hoc Breviarium originem ducere à Sancto Hieronymo, quem agnoſcimus Aſſertorem expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi: ego tamen, licèt fatear, illud Breviarium, ſeu Antiphonarium eſſe antiquiſſimum, tamen adduci non poſſum, ut credam eſſe ætatis Divi Hieronymi, non enim illius ſtylus redolet tantam antiquitatem, præſertim cùm neſciam, Sicenſem, ſeu Sebenicenſem Urbem habuiſſe Epiſcopum ante tempora Bonifacii VIII. qui electus eſt anno 1294. Hoc tamen non tollit, eam de Sancti Jacobi expeditione Hiſpanicâ Traditionem illo Antiphonario antiquo probari.

1926 Breviarium Eccleſiæ Epiſcopalis Cracovienſis, ſub Archiepiſcopatu Gneſnenſi, ducentis annis antiquius, etiam probat Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, in cujus feſti Lectione 1. de eodem Apoſtolo dicit:

*Prædicationem ſuam uſque ad Gallæciam extendit, & cùm totam Hiſpaniam, atque Occidentalia loca Euangelizando perluſtraſſet, in Judæam rediit.*

1927 Non prætermittam hoc Breviarium communicatum fuiſſe D. Michaeli Erze à Patre Jacobo Volpono, Congregationis Oratorii, in quâ cum Baronio vixit, & unus fuit ex Correctoribus Breviarii Romani ſub Urbano VIII. ut ex hoc etiam conjectari liceat, Volponum, etiam ſi fuerit ex eâdem Congregatione Oratorii, ex quâ Baronius, non tamen illius dubitationi ſubſcripſiſſe; ut non

ſubſcrip-

subscripsere alii ejusdem Congregationis Viri Sapientissimi, & de Historiâ Ecclesiasticâ optimè meriti, quos jam produximus, & infrà in Sylloge Scriptorum, iterum cum aliis simul proferemus.

1928 Breviarium Armenum, conditum à Patriarchâ Hierosolymitano, anno Domini 1054. probat Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, dicitque ipsum *ex Emeritâ per Lusitaniam, & Bracharam ingressum fuisse in Gallæciam.*

1929 Primus, quem sciam, qui hoc produxit Breviarium in comprobationem Traditionis de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, fuit Pater Fr. Ferdinandus de Oxeâ, Ordinis Prædicatorum, in tractatu manuscripto de hâc expeditione. Ex ipso illud accepit D. Didacus de Castillo, hocque testimonium excripsit in libro inscripto *Defensa de la venida de Santiago a España*, cap. 16. fol. 82. pagînâ 1. Postea illud typis edidit idem Oxea in Historiâ Sancti Jacobi, capite 6. num. 3. ex utroque idem testimonium desumpsit D. Michael Erze Ximenes; nullus tamen ex illis exposuit nomen illius Patriarchæ, qui hoc Breviarium condidit anno 1054. Si integra est series Patriarcharum Hierosolymitanorum, quam affert Illustrissimus Acunha ad calcem tractatûs de Primatu Ecclesiæ Bracharensis; in quâ legitur, Orestem Patriarcham sedisse anno 1006. & ejus successorem Simeonem Sedem ascendisse anno 1088. si dicatur, Orestem Patriarcham illud condidisse Breviarium, oportet fateri, illum obtinuisse Patriarchatum, annis saltem quadraginta sex integris, & fine unius, & principio alterius, quod non excedit fidem,

1930 Non factâ mentione Breviarii cujuspiam, probat Traditionem de expeditione Hispanicâ ex testimonio Armenorum Pater Caracciolus noster in Controversiâ de

accessu

acceſſu Sancti Jacobi ad Hiſpaniam, numero, qui in utrâque editione per Typographorum errorem dicitur 42. cùm ſit 43. paginâ 94. primæ editionis; & pag. 40. editionis ſecundæ, dicens:

> *Accedit pondus ponderi, & Traditionem Hiſpanienſem magis, magiſque firmat Armenica in Oriente Traditio. Nam ipſa etiam Armenia, licèt remota admodum ab Hiſpaniâ ſit, ſervat tamen, ubicumque nunc inter Turcas Chriſtianos habet (& plurimos habet) Beatum Jacobum abiiſſe quondam ad Hiſpanos, & adeo firmè retinent, ut in voto peregrinationis ad Compoſtellanam Sancti Jacobi Eccleſiam, difficillimè inter Armenos diſpenſetur, eo quòd credunt, revertentem Apoſtolum ab Hiſpaniâ ad Palæſtinam tranſiiſſe per Armeniam, ibique Euangelium diſſeminaſſe. Interrogentur, qui ex eâ natione Præsbyteri, aut Epiſcopi, negotii, ſive Religionis cauſâ Romam accedunt, ii, quod aſſerimus, & quod certo, ac gravi teſtimonio accepimus, fatebuntur apertè.*

Hæc Pater Caracciolus.

1931 Poſt Patrem Caracciolum ſcripſit Michael Erze Ximenes, qui noſtram Traditionem probat ex hoc antiquiſſimo Breviario Armeniæ, & ex aliis Recentioribus ejuſdem Armeniæ, & quod caput eſt, ex antiquiſſimo libro (cujus Authorem fuiſſe Clementem Alexandrinum, ſuſpicari licet) in Armenam linguam translato anno 551. quo legitur, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ. Unde falſitatis convincuntur etiam illi, qui putant, nullum teſtimonium apertum produci poſſe, quod ante Sanctum Iſidorum aſſeruerit, Sanctum Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniâ.

1932 Plura alia teſtimonia ex eâdem Armeniâ producit citatus Erze, quibus probatur Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quæ apud ipſum videri poſſunt

possunt in citato libro, parte 1. tractatu 3. capite 6. per totum.

1933 Quot autem, quantique thesauri monumentorum venerandæ antiquitatis hucusque Occidenti incogniti, extent in Armeniâ, cæterisque regionibus Orientis, conjici licet ex Bibliothecâ Orientali editâ, Clementique XI. Pontifici Maximo consecratâ, hoc titulo *Bibliotheca Orientalis Clementino-Vaticana, MM. SS. Syriacos, Arabicos, Persicos, Turcicos, Hebraicos, Samaritanos, Armenicos, Æthiopicos, Græcos, Ægyptiacos, Ibericos, & Malabaricos continens, ex recensione Josephi Simonis Assemani, additâ singulorum Authorum vitâ*, Romæ 1719. & 1721. 2. vol.

## ASSERTIO LXI.

### *Traditio de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi probatur ex Breviariis Religiosorum Ordinum.*

1934 POstquam probavi Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi ex Breviariis plurium Ecclesiarum, ex variis Orbis provinciis, sequitur, ut illam probari ostendam ex Breviariis Religiosorum Ordinum, qui cùm per totum Orbem divisi sint, omnium gentium perspectas habent Traditiones, & per universum Mundum propagare potuerunt, mediis suis Breviariis, Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, quæ in illis refertur, nisi ea, prius qua patet Orbis, diffusa esset. Unde dicendum est, ex illis probari Traditionem Ecclesiasticam Universalem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi.

1935 Breviaria Regularium, quæ præter jam dicta, fidem

fidem faciunt de illâ Traditione, atque illam probant, plura eſſe exiſtimo; ego tamen non niſi quindecim ſcio, quæ ordine Alphabetico producam; nempe Auguſtinianum, Benedictinum, Cæleſtinum, Camaldulenſe, Carmelitanum, Ciſtercienſe, Dominicanum, Franciſcanum, Hieronymianum, Hieroſolymitanum, ſeu Ordinis Melitenſis, Humiliatorum Ordinis, Jacobæum, ſeu Militaris Ordinis Sancti Jacobi, Mercenarium, ſeu Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, Pauliſtarum, ſeu Eremitarum Sancti Pauli in Italiâ, & Trinitarium, ſeu Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

*1936* Ex his Breviariis, Auguſtinianum refertur à Magno Macedo, in citatâ Diatribâ pag. 164. Benedictinum, Cæleſtinum, & Carmelitanum ab Oxeâ, libro citato cap. 15. fol. 90. Ciſtercienſe à Bivar, pag. 52. verſ. Franciſcanum, & Hieronymianum à Mauro Caſtellâ Ferrer, lib. 1. cap. 16. Hieroſolymitanum, & Trinitarium ab Hieronymo Pardo. Dominicanum, Humiliatorum, Jacobæorum, Mercenariorum, ſeu Fratrum Sanctæ Mariæ de Mercede, & Eremitarum Sancti Pauli à D. Michaele Erze Ximenes.

*1937* Breviarium Camaldulenſe à nullo (quem viderim) Authore profertur; extat tamen in Bibliothecâ Regiâ, in eoque Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi: & ſicut iſtud Breviarium (ut & Claramontanum, Lexovienſe, & Trecenſe) fugerunt diligentiſſimos Scriptores D. Michaelem de Erze, & Hieronymum Pardo, & à me repertum fuit; (ſicut & illa tria) ita fortaſsè alia ab aliis producentur, quæ nos latuerunt. Sed hæc quindecim, præter alia ſuperiùs adducta, ſatis, ſuperque probant Traditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; nihilominus non prætermittam addere probationem omnium maximam ex Breviario Romano.

ASSER-

Digitized by Go

# ASSERTIO LXII.

## *Traditio de expeditione Hispanicâ S. Jacobi probatur ex Breviario Romano.*

1938 INter omnia Ecclesiarum Breviaria, maximæ authoritatis est Breviarium Ecclesiæ Romanæ, quæ omnium est Magistra, & Mater Ecclesiarum, & sicuti ex Breviario Diœcesano probatur Traditio Ecclesiastica Diœcesana; ex Breviariis unius provinciæ probatur Traditio Ecclesiastica Provincialis, & ex Breviariis unius nationis probatur Traditio Ecclesiastica Nationalis; ita ex Breviario Romano, quod est Universale, probatur Traditio Ecclesiastica Universalis, quæ inter Traditiones purè humanas, & infra Divinas, & Apostolicas, est maximi ponderis, & summæ authoritatis.

1939 Cùm autem plerique, vel potiùs omnes Defensores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, pro hâc Traditione adduxerint authoritatem Breviarii Romani, dici non potest, ipsos hanc Traditionem allegare, sed non probare, cùm certum sit, Traditiones per Breviaria optimè probari.

1940 Probatur igitur Traditio pia, imò & Ecclesiastica de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi ex Breviario Romano, idque & ex Breviariis antiquis Manuscriptis, & ex Recentioribus impressis.

1941 Omissis autem testimoniis Manuscriptorum exemplarium Breviarii Romani, videndis apud D. Michaelem Erze Ximenes, in opere sæpiùs citato lib. 1. tract. 3. cap. 2. solùm afferam quinque exemplaria impressa Breviarii Romani, quæ cùm sint inter se diversa, omnia conveniunt in Traditione de expeditione Hispani-

câ Sancti Jacobi probandâ; & ſunt Breviarium Romanum, impreſſum Venetiis anno 1522. & Breviaria Clementis VII. Sancti Pii V. Clementis VIII. & Urbani VIII.

1942 Breviarium anni 1522. libentiùs produco, & quia in uſu erat anno 1524. quo noſtra Clericorum Regularium Congregatio ſumpſit exordium, unde illo uſi fuere primi noſtri Ordinis Conditores; & quia illius exemplar aſſervatur Romæ in Bibliothecâ Sanctæ Mariæ de Vallicellâ, quæ eſt Patrum Congregationis Oratorii, conditæ à Sancto Philippo Nerio, Herois de noſtrâ Congregatione optimè meriti, quippe is fuit Sanctus Philippus, qui Pauli IV. Pontificis Maximi, unius ex noſtri Ordinis Conditoribus, depictam imaginem ſingulari veneratione habuit, ut ſcribit noſter Franciſcus Maria Maggius, in vitâ Venerabilis Patris Joſephi Caraccioli cap. 14. Sanctus Philippus fuit, qui Paulo è noſtris S. R. E. Cardinali Aretio Archiepiſcopo Neapolitano obeunte, ſcripſit:

> *Ejus Sancti Viri mortem, non magis ob privatam iſtius Eccleſiæ jacturam, quàm ob publicum Chriſtiani Orbis damnum ex animo doluimus. Nam quæ eſt temporum, ac peccatorum noſtrorum calamitas, rari nunc homines, qui ſciant, velint, habeantque illum animorum, Divinique honoris zelum, quo Cardinalis Aretius præſtabat.*

Ut legere eſt apud Silos parte 1. Hiſtoriarum Clericorum Regularium, lib. 14. pag. 572. Sanctus Philippus fuit, qui approbatâ Venerabilis Matris Noſtræ Urſulæ Benincaſæ virtute, *Pileum illi ſuum dono dedit, acceptis viciſſim precariis ejus globulis in mutuæ charitatis argumentum*, ut ait idem Silos, parte 2. Hiſtoriarum lib. 9. pag. 403. Sanctus Philippus fuit (ut alia præteream) qui Sebaſtiano Mancino juveni, cujus virtutem admirabatur, conſuluit ingredi noſtrum Ordinem, *quem Philippus præcipuo commendare ſtudio*

dio

*dio solitus erat; ac si quos solidioris probitatis conspicaretur, qui renunciare Mundo vellent, illos ad Quirinales Theatinos amandabat, incitabatque ad eas vivendi rationes capessendas*; ut idem Silos ait parte 1. Historiarum lib. 15. pag. 631. Unde tanta semper fuit inter illius Congregationem, & nostram animorum consensio, & etiam num perseverat, & (ut verbis ejusdem nostri Historiographi eodem libro pag. 626. verbis utar) *Vehementer gaudemus, mutuam illam, quæ inter nos olim adolevit, benevolentiam, atque unanimem charitatem adhuc perdurare, ac ali insigni certamine officiorum.* Quæ sufficiat innuisse occasione arreptâ ex Vallicellanæ Bibliothecæ Breviario.

1943 Hoc igitur Breviarium, cujus editio est ducentis annis antiquior, egregiè probat Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi; ait enim Lectione 1.

> *Jacobus Apostolus cùm peragrasset per Judæam, & Samariam, prædicationem suam usque ad Galleciam extendit.*

& in octavo Responsorio ait:

> *Adest nobis valdè lætabunda dies præcellentissimi Apostoli Jacobi, per cujus saluberrimam prædicationem tota plebs Hispaniarum suum cæpit agnoscere Redemptorem.*

Quæ verba non solùm probant Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi; sed demonstrant mirum consensum hujus Breviarii Romani cum Breviariis Eborensi, Bracharensi, Toletano, & Officio Mozarabo, in quibus legitur idem Responsorium, quod supra vindicavimus Assertione 56. cùm de Officio Mozarabo à numero 1853.

1944 Breviarium Clementis VII. hortatu editum à Cardinali Quignonio, impressionis Lugdunensis in folio, anno 1543. fol. 226. vers. in festo Sancti Jacobi Apostoli, Lectione 3. sic habet:

*Hic igitur Jacobus poſt Chriſti aſcenſum, cùm Fidem ipſius per Judæam, & Samariam mirabiliter prædicando propagaſſet, plurimoſque & in his Hermogenem Hæreticum ad verum Dei cultum convertiſſet, Hiſpaniam adiiſſe, & ibi Euangelium prædicaſſe, Author eſt Iſidorus.*

1945 Ex quibus verbis non ſolùm oſtenditur, Eccleſiam propoſuiſſe Fidelibus legendum adventum Sancti Jacobi in Hiſpaniam, ſed recognoviſſe ut genuinum fœtum Sancti Iſidori librum de Ortu, & Obitu Patrum, & Hiſtoriam de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ in ipſo narratam.

1946 Nullâ factâ Sancti Iſidori mentione, aſſerit eandem expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi Breviarium Romanum, ex decreto Sacroſancti Concilii Tridentini reſtitutum, Sancti Pii V. Pontificis Maximi juſſu editum, quod in feſto Sancti Jacobi, Lectione 5. ita ait:

*Jacobus poſt Jeſu Chriſti aſcenſum in Cœlum, in Judæâ, & Samariâ prædicans ejus divinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem Hæreticum ad Chriſtianam Fidem convertit. Mox peragratâ Hiſpaniâ, ibique prædicato Euangelio, rediit Hieroſolymam.*

1947 Breviarium autem Clementis VIII. quod à nonnullis exiſtimatum eſt minùs favere expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, omnium optimè probat, quod hic intendimus, nempe illam haberi ex Traditione Eccleſiarum Hiſpaniæ; ait enim in feſto S. Jacobi Lectione 5.

*Jacobus poſt Jeſu Chriſti aſcenſum in Cœlum, in Judæâ, & Samariâ prædicans ejus divinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem Magum ad Chriſtianam Fidem perduxit. Mox Hiſpaniam adiiſſe, & ibi aliquos ad Fidem converti ſſe, Eccleſiarum illius provinciæ Traditio eſt: ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi à Beato Petro ordinati, in Hiſpaniam primi directi ſunt.*

Et

1948 Et licèt ego hujus Breviarii Clementis VIII. authoritatem hîc afferam, solùm ad probandum esse Traditionem Ecclesiarum Hispaniæ, Sanctum Jacobum in his provinciis prædicasse, ut fecit olim Franciscus de Jesu Xodar, discursu 1. §. 10. alii tamen docent, eâ plenè probari, indubitatamque reddi expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, ut sunt Gaspar Sanctius de Prædicatione Sancti Jacobi in Hispaniâ, tract. 3. cap. *6.* num. 2. D. Maurus Castella Ferrer, in Historiâ Sancti Jacobi lib. 1. cap. 13. fol. 47. Venerabilis Didacus Murillo, in libro inscripto: *Fundacion milagrosa de la Capilla Angelica, y Apostolica de la Madre de Dios del Pilar*, tract. 1. cap. 5. pag. 38. & seq. & Doctissimus Thomas Maluenda, lib. 4. de Antichristo, cap. 5. ubi ait:

> *Sed jam publicæ Ecclesiæ tabulæ omnem dubitationem abstersérunt: siquidem Romanum Breviarium jussu Clementis Octavi postremò recognitum post varias eâ de re habitas consultationes, tandem veritate acriter discussâ, hæc publicè in Ecclesiâ legenda proposuit:* Jacobum Hispaniam adiisse, & ibi aliquos ad Fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ Traditio est. *Sic igitur omnibus, quæ nobis objiciuntur, strenuè opponimus unicam, & solam Hispanicarum Ecclesiarum Traditionem, quam nihil unquam convellet, aut labefactabit: licebitque hîc etiam usurpare præclarum illud Sancti Stephani Papæ, & Martyris, apud Sanctum Cyprianum Epistolâ* 74. Nihil innovetur, nisi quod traditum est; *& illud Sancti Chrysostomi Homil. 4. in 2. ad Thessalonicenses*: Est Traditio, nihil quæras ampliùs.

1949 Certè Maluenda tanti faciens Breviarium Romanum, potiùs voluit seriò veritatem defendere, quàm ludere simplicitatem imperitæ plebis, quæ de Breviario Romano nihil curat. Et iterum hic observa, Clementem

tem VIII. non juſſiſſe deleri, & expungi ex Breviario hanc Traditionem de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, cùm potiùs illam apponi juſſerit; ſi autem illam ſubſtuliſſet ex Breviario, tunc illam ex Breviario non probaremus. Et ſi apponi juſſiſſet verba talem prædicationem negantia, etiam nos illam negaremus: tanta eſt apud nos Romanæ Eccleſiæ reverentia; igitur, quæ illa negat, negamus; quæ illa aſſerit, aſſerimus; quia docemur à Sancto Paulo 1. ad Thimotheum cap. 3. verſ. 15. quod ipſa *eſt Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis.*

1950 De hoc Clementis VIII. judicio loquutus eſt Clariſſimus Ferreras, in Diſſertatione Apologeticâ de Prædicatione Sancti Apoſtoli Jacobi in Hiſpaniâ, §. 1. num. 2. ubi ait:

> *Mittimus controverſiam hanc antea legitimè agitatam coram Sanctiſſimo Chriſti Vicario Romano Pontifice, qui ejus examen demandavit RR. Cardinalibus Baronio, Bellarmino, & Sylvio Antonano; actaque juridica forma pro nobis latam ſententiam.*

Unde decepti ſunt, qui exiſtimarunt, Doctorem Ferreras loquutum fuiſſe de judicio Urbani VIII. anno 1631. quo jam mortui erant tres illi Cardinales; nam Sylvius Antonianus obiit anno 1603. Cæſar Baronius anno 1607. Robertus verò Bellarminus anno 1621. nulluſque eorum attigit Pontificatum Urbani VIII. multòque minus interfuit correctioni Breviarii illius juſſu factæ. Neque enim hujuſmodi error cadere poterat in Doctorem Ferreras, Virum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcientiſſimum; qui, ſi loqui voluiſſet de Breviarii correctione Urbanâ, dixiſſet, illam confectam fuiſſe, non ab illis tribus Cardinalibus, ſed à Congregatione Doctiſſimorum hominum, cui præfuit Aloyſius S. R. E. Cardinalis Caietanus.

Colo-

Digitized by Google

1951 Colophonem addo; Breviarium scilicet Romanum, Urbani VIII. jussu recognitum; quo etiam num utimur, & quo in festo Sancti Jacobi Maioris Lectione 5. legimus, & legere tenemur hæc:

> *Post Jesu Christi ascensum in Cœlum in Judæâ, & Samariâ ejus divinitatem prædicans, plurimos ad Christianam Fidem perduxit. Mox in Hispaniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit; ex quorum numero, septem postea Episcopi à Beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt.*

1952 Neque dici potest, eos Hispanos, qui supplicaverunt Summo Pontifici, ut juberet hanc prædicationem reponi in Breviario, sicuti erat in Breviario Sancti Pii V. voluisse illam denuò in Breviarium intrudi; nam *intrudi* est obtinere locum à non habente potestatem conferendi, ut docent Jurisconsulti; illa autem prædicatio nunquam posita fuit in Breviario à non habente potestatem illam ibi collocandi, unde cùm nunquam intrusa fuerit, sed posita ab habente potestatem illam ponendi, non potuit denuò intrudi, seu iterum intrudi, quod idem est, juxta illud Divi Pauli ad Galatas 4. vers. 9.

> *Quomodo convertimini* iterum *ad infirma, & egena elementa, quibus* denuò *servire vultis?*

1953 Deinde dici non potest, Hispanos voluisse, ut ea prædicatio in Breviarium à Summo Pontifice intruderetur; nam, ut diximus, *intrudi*, est collocari in loco à non habente potestatem collocandi; nefas autem est dicere, Summum Pontificem non habere potestatem collocandi in Breviario illam prædicationem.

1954 Et licèt dici possit cum Cardinali Aguirre, Sanctum Innocentium Pontificem Maximum ad Decentium loquutum fuisse ut Doctorem particularem; tamen dici non potest, Urbanum VIII. approbantem Breviarium

viarium ſuo juſſu edendum, vel editum, tantum loquutum fuiſſe ut privatum Doctorem; nam illud Breviarium non approbavit per particularem Epiſtolam, miſſam ad particularem Epiſcopum, ut erat Epiſtola Innocentii I. ad Epiſcopum Decentium, ſed per Bullam directam ad Univerſam Eccleſiam; Pontifex autem in Bullis pro totâ Eccleſiâ non loquitur ut Doctor particularis, ſed ut Univerſalis Eccleſiæ Paſtor, & Magiſter, hoc eſt, ut Summus Pontifex, ut videre eſt in ipſâ Bullâ, quam, qui legerit, ſtatim cognoſcet, longiſſimè à veritate aberraturum eſſe illum, qui dixerit, Urbanum VIII. in eâ loquutum fuiſſe ut Doctorem particularem, cùm præcipiat, interminatis graviſſimis pœnis, imprimi Breviaria illi, quod approbat non conformia, & mandet Inquiſitoribus, & totius Orbis Ordinariis, illorumque Vicariis, etiam ſub gravioribus pœnis, ne aliter imprimi Breviarium Romanum præmittant; & ulteriùs injungat Nuntiis Sedis Apoſtolicæ ubique locorum degentibus, ut huic negotio diligenter invigilent; quæ omnia ſunt Urbani VIII. quatenus Romanus, Maximuſque Pontifex erat, præcipientis, non ut privati Doctoris ſcribentis.

1955 Neque dicas, Urbanum Pontificem approbantem Breviarium, ſolùm permiſiſſe eam prædicationem in Breviario reponi; nam in primis ea prædicatio non fuerat ſublata à Clemente VIII. ſed redacta ad Traditionem Eccleſiarum Hiſpaniæ, ac proinde non eſt repoſita, ſeu iterum poſita, ſed conſervata. Deinde, ſi Pontifex ſolùm permiſiſſet illam prædicationem poni in Breviario, licitum eſſet unicuique illam auferre; nam actus permiſſus non eſt actus imperatus, qui licitè non poſſit omitti; ſed nulli licet illam prædicationem à Breviario Romano auferre, cùm Pontifex dicat in eâ Bullâ:

*Quod*

*Quod exemplar, qui posthac Romanum Breviarium impressérint, sequi omnes teneantur.*

& infra:

*Inquisitores verò, locorumque Ordinarii facultatem hujusmodi non prius concedant, quàm Breviarium tam ante, quàm post impressionem cum hoc ipso exemplari authoritate nostrâ vulgato, diligenter contulerint, & nihil in iis additum, detractum ne cognoverint.*

Ergo Urbanus VIII. non solùm permisit, sed imperavit poni eam prædicationem in Breviario, prohibuitque inde detrahi.

1956 Ex hoc autem colligitur veritas illius expeditionis Sancti Jacobi, nam si fuisset mendacium, non imperasset Pontifex apponi in Breviario, nec prohibuisset de illo detrahi; neque Rex Catholicus, neque Catholica natio agere posset cum Romano Pontifice, ut mendacium Universæ Ecclesiæ in Breviario proponeretur, cùm mendacium semper sit illicitum, licèt non sit error in Fide; approbare autem mendacium, est contra bonos mores, & in Romanum Pontificem cadere non potest.

1957 Ad id, quod dicitur, pati scilicet insuperabiles difficultates lapsum Sancti Marcellini relatum, à Breviario Romano, respondeo, eas difficultates non esse tam insuperabiles, quàm Adversarius putat; neque eum lapsum falsum esse, constare ex Eusebio lib. 7. cap. 32. nam ibi de S. Marcellino nil aliud ait Eusebius, nisi: *Successorem habuit* (de Sancto Caio loquitur) *Marcellinum: in cujus etiam tempora incidit persecutio*; ex quibus verbis non solùm non constat falsum esse Sancti Marcellini lapsum, sed neque hoc inferri inde potest, (ne argumento quidem negativo) nam Eusebius illum lapsum tacet, quia lib. 8. cap. 2. profitetur, se noluisse scribere Christianorum lapsus; ait enim:

*Neque eorum, qui in persecutione concussi sunt, neque*

*eorum, qui ſalutis ſuæ naufragium fecerunt, & ſuâ ſponte in profundum aquarum gurgitem demerſi ſunt, mentionem facere conſtitui.*

1958 Theodoretus autem citato lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 3. de S. Marcellino nihil aliud dicit, quàm:

*Marcellinum virum perſecutionis temporibus maguâ gloriâ nobilitatum.*

Ex his autem non conſtat, falſum eſſe, illum thus idolo adoleviſſe; nam cùm poſt lapſum martyrio, in eâ perſecutione, affectus fuerit, magnâ certè gloriâ nobilitatus eſt; neque præcedens culpa ipſi detraxit poſteriorem gloriam, neque ex poſteriore gloriâ inferri poteſt, ipſum caruiſſe anteriore culpâ.

1959 An autem ex Sancto Auguſtino libro de unico Baptiſmo cap. 16. conſtet, illam de Sancto Marcellino idolis ſacrificante narrationem fuiſſe impoſturam, calumniamque Donatiſtarum, judicet Lector ex ipſius capitis verbis, quæ hic deſcribimus:

*Marcellinus, & Præsbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Silveſter traditionis Codicum Divinorum, & thuriſicationis ab eo crimine arguuntur: ſed nunquid etiam convincuntur, aut convicti aliquâ documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit, ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam? Si eſt ulla humanitas in rebus humanis, puto nos juſtiùs poſſe reprehendi, ſi ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ullâ teſtificatione demonſtrant, nocentes potiùs, quàm innocentes crediderimus. Quia ſi fortè ſe aliter veritas habet, ipſi certè humanitati debitum redditur, cùm homo de homine nihil mali temerè ſuſpicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit, quando ſine teſte, aut ſine ullo documento*

Digitized by Google

*mento crimen objiciens maledicus potiùs conviciator, quàm veridicus accusator extiterit.*

1960 Non me latet Doctissimum Christianum Lupum Augustinianum, tom 5. Synodorum pag. 228. & sequentibus; ex his Theodoreti, & Augustini locis, niti probare, falsam esse Historiam de lapsu Sancti Marcellini; sed ex loco Theodoreti hoc non evincitur, ut supra innui. Ex loco autem Sancti Augustini solùm eruitur, illum lapsum non probari à Donatistis; Sanctumque Augustinum nihil eâ de re certi sciviſſe, quod innuunt illa verba Sancti Doctoris: *Si fortè se aliter veritas habet.* Et Christiano Lupo Augustiniano oppono Clarissimum alium Augustinianum Onuphrium Panvinium, qui Sanctum Marcellinum lapsum fuisse probat in Historiâ Ecclesiasticâ, quæ M. S. asservatur in Bibliothecâ Vaticanâ, ut testatur Emmanuel Schelstrate, Doctissimus Scriptor, & illius Bibliothecæ Præfectus, in Notis ad Catalogum Romanorum Pontificum, quæ extant in illius tom. 1. Antiquitatis Ecclesiæ Illustratæ pag. 438. Nota A. Oppono Cardinalem Baronium ad annum Christi 302. num. 104. Oppono denique Doctissimum Joannem Cabassutium, in Notitiâ Ecclesiasticâ sæculi tertii, ad Concilium Sinuessanum, pag. 80. ubi ait:

*Certè ex meris negativis nihil concluditur, neque ex eo, quòd Marcellini culpam Augustinus ignoravit, inferre quis potest, esse fabulosam, non magis quàm inferat quispiam, nullum fuisse Sardicense Concilium, ex eo, quòd idem Augustinus illud minimè agnoverit.*

1961 Ex his autem, quæ subjungit Cabassutius numero 5. constat, illud *tuo te ore judica* non esse contrarium consensui omnium Theologorum, & Canonistarum.

1962 Neque obstat illud caput *si Papa*, Distinctione quadragesimâ (non quartâ, ut alicubi per errorem dicitur)

citur) quia ibi dicitur de Papâ, quòd *à nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur à Fide devius.* Sanctus Marcellinus autem reſipiſcens, & facti pœnitens, jam non erat à Fide devius, & fortaſsè nunquam fuerat, ſed ſemper interiùs veram Fidem retinuerat. Unde rectè Sinueſſani Concilii Patres dixerunt, primam Sedem à nemine eſſe judicandam.

1963 Accedit, quòd ſi illud caput *ſi Papa* deſumptum fuit ex dictis Sancti Bonifacii I. Papæ, & Martyris, cùm hic obierit anno 423. centum & novem annis poſtquam martyrio coronatus eſt Sanctus Marcellinus, qui paſſus anno 304. quomodo Patres Concilii Sinueſſani tenebantur obſervare Canonem, pluſquam centum annos antequam ederetur? Multòque minus illum Canonem poterant obſervare, ſi, ut vult Papebrochius, deſumptus fuit ex dictis Sancti Bonifacii Martyris, & Epiſcopi Moguntini, qui vixit octavo ſæculo, & paſſus anno 735. quadringentis & quinquaginta annis poſt illud Concilium Sinueſſanum.

1964 Prætereo, quod Doctiſſimus Canoniſta Auguſtinus Barboſa, tom. 5. in Jus Canonicum, ad illud caput *ſi Papa* ex Alberto Pighio de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ lib. 4. cap. 8. in fine ait:

> *Hunc Canonem non eſſe textum alicujus Pontificis, vel Generalis Concilii, neque alicujus ex primæ claſſis Eccleſiaſticis Scriptoribus, cujus nos premat authoritas.*

1965 Legatur denique Petrus Creſpetius in Summâ Catholicæ veritatis, Apoſtolicæ doctrinæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, verbo *Papa*, §. *Papa à nemine judicandus, nec in judicium vocandus*, ubi eruditè probat hoc aſſertum pluribus Conciliorum, & Romanorum Pontificum Decretis; quibus addo Sanctum Gregorium VII. qui in Dictatu ſuo cap. 19. loquens de Romano Pontifice, ait: *Quod à nemine ipſe judicari debeat*; ut habetur apud Cardinalem

lem Baronium ad annum 1076. num. 31. & sequentibus. Fuit autem Sanctus Gregorius VII. qui Sedis Apostolicæ jura, & maiestatem maximè propugnavit, Monachus Cluniacensis; quâ potissimum de causâ Sanctissimus Pontifex Paulus IV. unus è quatuor nostri Ordinis Conditoribus, cùm ad illius pedum oscula accederet Abbas Cluniacensis, dixit Cardinalibus, ut ipsi locum darent, addens, Sedem Apostolicam non obtenturam eam libertatem, quâ fruebatur, nisi fuissent ii Romani Pontifices, qui ex Cluniacensi Monasterio prodierant; quod Pauli IV. dictum refert Gundisalvus Illescas, in Historiâ Pontificali tomo 1. lib. 5. capite 13. in vitâ Gregorii VII. fol. 270. col. 2. mihi.

1966 Unde constat (quod supra diximus) non pati insuperabiles difficultates id, quod dicitur in Breviario Romano de Summo Pontifice, & Sanctissimo Christi Martyre Marcellino, idolis sacrificante.

1967 Quod dicitur de Baptismo Constantini, collato non à Sancto Silvestro (ut legitur in Breviario Romano) sed ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, curandum non est; nam in primis Eusebius Cæsareensis non nominat Eusebium Nicomediensem. Papebrochius negat, Constantinum baptizatum esse ab Eusebio Nicomediensi, ut videre est in illius responsione parte 1. ad articulum 2. §. 2. & 3. num. 21. qui licèt negaverit, Constantinum baptizatum fuisse à Sancto Silvestro, tamen loco citato num. 23. ait:

> *Hoc autem si Sanctæ Sedi placet (quamvis haud credo futurum ut placeat) non ero difficilis ut clausis ad cæteras rationes oculis, Traditionem qualemcumque recipiam.*

1968 Placuit autem Sedi Apostolicæ (contra id, quod Papebrochius credebat) asseri, Constantinum baptizatum fuisse à Sancto Silvestro, quia prohibuit Propylæum

læum, quo Papebrochius illud negabat, & prohibuit Natalis Alexandri hâc de re Diſſertationem, quam ſequutus fuerat Papebrochius, & quam totam Cenſores delendam judicaverant, ut videre eſt apud ipſum Natalem Alexandrum Scholio 1. ad calcem Diſſertationis 24.

*1969* Minus etiam curandum eſt, quod dicitur contra Regularem Auguſtinianum Canonicatum S. Ubaldi. Nam Urbanus VIII. deſpexit, quæ ipſi oppoſuerat Conſtantinus Caietanus, Abbas Benedictinus. Henſchenius autem nihil de Sancto Ubaldo dicit, de quo ſolus loquitur Papebrochius, negans, Sanctum Ubaldum fuiſſe Canonicum Lateranenſem, non verò fuiſſe Canonicum ex Ordine Sancti Auguſtini; neque impugnat Breviarium Romanum, imò potiùs laudat prudentiam, quâ in illo omiſſa eſt vox *Lateranenſis*, ut videre eſt in Actis Sanctorum ad diem 16. Maii. Et noviſſimè Clemens XI. aſſeruit, Sanctum Ubaldum ſuſcepiſſe Inſtitutum Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini, ut videre eſt in novo Officio Sancti Ubaldi, Lectione 4. quod ipſe Clemens XI. edi juſſit.

*1970* Ex dictis conſtat, non argui inefficaciter ex authoritate Breviarii Romani. Nihil autem inferri poſſe contra Breviarium Romanum, ex ſilentio Martyrologii Romani, oſtenſum eſt ſupra à numero 798. Quanti autem ponderis ſit authoritas Breviarii Romani, dicetur infra in Appendice 2. de authoritate Breviarii Urbani VIII. juſſu recogniti.

*1971* Si autem ex Breviariis particularium Eccleſiarum probatur illarum Traditio, ut diximus cum Marianâ, Petit Didier, Patre Caracciolo, Natali Alexandro, & Honorato à Sanctâ Mariâ, quidni ex Breviario Romano toti Eccleſiæ propoſito dicatur, jam Hiſpanicam Sancti Jacobi expeditionem probari Traditione totius Eccleſiæ;

Digitized by Google

siæ; cùm Traditio Historica soleat ex uno loco in alium, ex unâ provinciâ in aliam, deinde in totum Orbem propagari. Unde immeritò asseritur, delirium esse dicere, hanc Traditionem jam esse Traditionem totius Ecclesiæ, ut meritò dixit Oxea in Historiâ Sancti Jacobi cap. 15. folio 90. & post ipsum Cornelius à Lapide in Acta Apostolorum cap. 12. vers. 2. ubi ait:

> *Sanctus Jacobus in Hispanias profectus est, utique ante annum Christi quadragesimum quartum, nam eo occisus est Hierosolymæ ab Herode. Eum enim in Hispaniâ prædicasse universalis est, & immemorabilis, non tantum Hispaniæ, sed & Fidelium ubique Traditio, cui refragari nemo queat.*

Ergo jam ista Traditio est Ecclesiastica, & toto Ecclesiæ consensu admissa.

1972 Neque mirum est, Ecclesiam Romanam accepisse Traditionem hanc Historicam ab Ecclesiis Hispaniæ, cùm non semel acceperit alias Traditiones à minoribus Ecclesiis, ut norunt rerum Ecclesiasticarum periti; nam, ut alia prætermittam, ab Ecclesiâ Constantinopolitanâ accepit Romana festum Purificationis, & à Sancto Eligio Episcopo Noviomensi Cereorum eo die usum, ut ex Sigeberto tradit Gavantus in Thesauro Sacrorum Rituum, part. 4. titul. 12. §. 14. num. 1. Litanias, tresque dies Rogationum à Sancto Mamerto Episcopo Viennensi, ut cum pluribus scribit Claudius, Episcopus Andegavensis, in libro de Processionibus Ecclesiasticis, cap. 21. Festum Conceptionis Beatæ Mariæ desumpsit Ecclesia Romana vel ex Hispaniâ, vel ex Galliâ, vel ex Angliâ, ut pluribus citatis refert Gavantus in Commentariis in Rubricas Breviarii Romani, Sect. 7. cap. 2. num. 8.

1973 Imò nullam Traditionem Historicam potest habere Ecclesia Romana circa ea, quæ extra Italiam evenere,

Digitized by Google

nere, quin eam accipiat à provinciis, in quibus accidere ea, quæ traduntur. Cùm autem expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi fuerit res, quæ in provinciis Hiſpaniæ viſa eſt, ex provinciis Hiſpaniæ debuit ortum habuiſſe ejus expeditionis Traditio.

1974 Ex hucuſque dictis conſtat, Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi abundè probari ex ſeptuaginta ſeptem Breviariis. Unde immeritò dicitur, eam Traditionem aſſeri, ſed non probari. Nam duo tantummodo ſupra viginti Breviaria protulerat Mariana, ad oſtendendam hanc Traditionem capite 8. citatæ Diſputationis de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, & tamen exclamavit:

> *Quis ergo perſuaſionem tot præſidiis munitam, evertere audeat? Sæpe unius Eccleſiæ Legenda idonea judicatur, ut nomen aliquod addatur Kalendario, faſtiſque; id enim geſta vocant, quæ in multis feſtis ſola poſſunt afferre. Quæ ergo tanta libido contradicendi, ut præter alia præſidia tot Eccleſiarum Legendas, ſeu Traditionem ſtocci faciant? Sed credam id novatores ignoraſſe, admonitos mutaturos libenter.*

1975 Si hoc ſcripſit Mariana poſtquam exhibuit tantummodo viginti duo Breviaria, quid ſcripturus eſſet, ſi ſeptuaginta ſeptem, uti nos facimus, produxiſſet? Ubi nota, Sapientiſſimum Marianam intellexiſſe idem eſſe Eccleſiarum Legendas, ſeu Lectiones, atque Traditiones; cùm ergo negari non poſſit, dari Eccleſiarum Lectiones aſſerentes expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, negari non poteſt, dari Traditionem, quæ eandem expeditionem aſſerat. Et ſimiliter cùm abundè probetur, dari Eccleſiarum Lectiones, quæ affirmant expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi, abundè etiam probatur, dari Traditionem, quæ affirmat expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi.

Cùm

1976 Cùm verò juxta ſententiam Doctiſſimi Marianæ, idem ſit Legenda Eccleſiarum, ac Traditio Eccleſiarum, certè idem eſt Legenda Eccleſiæ Romanæ, ac Traditio Eccleſiæ Romanæ; & cùm demonſtretur Legenda Eccleſiæ Romanæ in ipſius Breviariis, aſſerens expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, pariter demonſtratur (non ſolùm probatur) Traditio Eccleſiæ Romanæ, aſſerens eandem expeditionem.

# PARERGON I.

## *Perennia monumenta Traditionis teſtantis expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi.*

### §. I.

### *Monumenta Sancti Jacobi Maioris.*

1977 DEmonſtratâ Traditione Eccleſiæ Romanæ de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ſupervacaneum eſt confirmare eandem Traditionem cum Mauro Caſtellâ Ferrer in Hiſtoriâ Sancti Jacobi Hiſpaniarum Patroni, lib. 1. cap. 18. ex pluribus monumentis, quæ à tempore Apoſtolorum durant in Gallæciâ, ut eſt fons aquæ ſaluberrimæ decurrentis de ſaxo, quod Sanctus Jacobus baculo percuſſit, ut hoc miraculo comprobaret veritatem Euangelicæ doctrinæ; qui fons hodie perſeverat. Ut eſt aliud ſaxum, quod cedens corpori Sancti Apoſtoli, ſignum illius ſervat ſibi impreſſum, quin obliteretur detractione particularum illius lapidis, quas frequenter peregrini, pietatis cauſâ detrahunt, & ſecum aſportant. Supervacaneum eſt eandem Traditionem confirmare cum Doctiſſimo D. Dicaco de Caſtillo,

in libro inſcripto: *Defenſa de la venida, y Predicacion Euangelica de Santiago en Eſpaña*, capite 6. ex locis, quæ in Gallæciâ magnâ Religione coluntur, eo quòd in quibuſdam Sanctus Apoſtolus prædicaverit, in aliis oraverit, in aliis Sacrum fecerit, quæ peregrinis oſtenduntur, quæque ipſi ſummâ pietate venerantur, quod credibile eſt, feciſſe omnes præſtantiſſimos viros, qui ad Sanctum Jacobum peregrinati ſunt, præcipuè Sanctos, qui eam peregrinationem ſuſcepere, ut fuerunt, omiſſis aliis, Sanctus Genadius, Epiſcopus Aſtoricenſis; Sanctus Dominicus, Patrum Prædicatorum Patriarcha, illiuſque filii Sanctus Vincentius Ferrerius, & Sanctus Petrus Gonçalves Telmo; Sanctus Franciſcus, Patrum Minorum Patriarcha, illiuſque filii Sanctus Bernardinus Senenſis; Beatus Ægidius, & Beatus Tomaſelus, quem Sanctus Apoſtolus ipſi apparens, reddidit æternæ ſalutis certum. Sanctus Joannes de Deo, noſter Luſitanus, Fundator Ordinis Hoſpitalitatis; Sancta Birgitta Sueca; Sancta Ingredis, etiam Sueca; Sancta Bona, Virgo Piſana, quæ decies Sepulchrum Divi Jacobi inviſit; & noſtra Regina Sancta Eliſabetha, quæ bis corpus Apoſtoli inviſit, ut latiùs dicetur inferiùs. Quos omnes memorant Ægidius Gonzales de Avilâ, in Theatro Eccleſiaſtico tom. 1. pag. 17. & 18. ubi de Eccleſiâ Compoſtellanâ; & D. Michael Erze Ximenes, parte 2. tract. 3. cap. 4. num. 9. & 10. Quibus addo Sanctum Franciſcum Borgiam, quintum avum Auguſtiſſimi Regis noſtri Joannis V. Sanctiſſimus enim ille Princeps, etiam veneratus eſt Sancti Jacobi Sepulchrum, ut in vitâ ipſius diſertiſſimè, & elegantiſſimè exaratâ lib. 4. cap. 23. pag. 388. primæ editionis ſcripſit Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Princeps D. D. Alvarus S. R. E. Cardinalis de Cienfuegos, cujus benignitate mihi olim licuit Ulyſſipone frui, cuique acceptum refero, neque abſentem mei memo-

memoriam abjeciſſe, atque poſt aliquot annos à diſceſſu ſuo ab hâc Urbe ad me tranſmiſiſſe duo illa egregia volumina, à ſubtiliſſimo, & ſapientiſſimo illius calamo conſcripta, quibus titulum præfixit *Ænigma Theologicum*, idque ſtatim atque illa edidit Viennæ Auſtriæ, anno 1717. Redeo ad Sanctos, qui Sancti Jacobi Sepulchrum Compoſtellæ inviſêre, quos omnes, ut dixi, credibile eſt, veneratos fuiſſe illa loca, in quibus extitiſſe Sanctum Jacobum, tenet earum gentium Traditio; nam quâ pietate ea coluerit Sancta Eliſabetha Regina noſtra, ſcribit Abrahamus Bzovius, natione Sarmata, ſeu, ut hodie dicitur, Polonus tomo 14. Annalium Eccleſiaſticorum, ad annum Chriſti 1336. numero 22. ubi ait:

> *Eam Ædem Eliſabetha voluit inviſere; quanquam iſtud officium, & à muliebri fragilitate, & à ſenili tarditate, & à Regiâ maieſtate videretur abhorrere. Itaque nondum anno exacto, quàm Dionyſius è vitâ exceſſerat, cùm itineri ſe ſe accinxiſſet, eò proceſſit. Ventum erat ad locum illum, ex quo primum Sanctiſſimi Templi turres altiſſimæ proſpiciuntur, ibi deſiluit ſubitò ad pedes grandis natu Regina, & mirantibus cunctis, nec repugnare tamen audentibus, quod reliquum erat itineris, ita confecit. Templum ingreſſa, magno pietatis exemplo, omnes in admirationem convertit. Non multum aberat Sancti Jacobi feriarum dies, qui eſt ante diem 8. Kalend. Sextilis: quem cùm illis in locis expectare decreviſſet*, interea perluſtrabat omnia ſigna, & monumenta illius in Hiſpaniam adventûs. *Aſcendit in montem, in quo verſatus eſt vivus, cùm gentes illas ab impietate ſuâ revocare conaretur. Tranſivit illas per media ſaxa perforatas, & patefactas vias, quia illò aliquando, cùm homines eum inhumani, & barbari perſequerentur, ſolebat elabi. Conſpexit & illa veſtigia, quæ ſubitò ſe ex impiorum telis,*

*atque oculis eripiens, qui eum ſceleratõ, nefarioque ferro conficere tentabant, in ſaxo expreſſa, defixaque reliquit. Contuita eſt ingentem rupem, quæ cedens Sacrato corpori, ſæpe ſuo ligno, atque complexu, ſacrilegos mucrones inimicorum Chriſti fugientem illum excepit, & ſyncerum, atque integrum ab omni periculo conſervavit. Illam quoque petram duriſſimam conſpicata eſt, quam pro lecto molli narrant Viro Sanctiſſimo fuiſſe. Vidit & lapidem grandem, ex quo ſæpe numero concionantem illum Celticæ gentes audierunt. Conſtitit in eo loco, ad quem navicula cum Sacro cadavere, & diſcipulis appulſa eſſe fertur, demerſumque in fluvium, ac prope obrutum limo ſaxum è ripâ ſpeculata eſt, quod cives à maioribus ſuis acceperunt, corpus in terram expoſitum accepiſſe mollius, & quem homines vivum repudiarant, ei mortuo ſinum, & quaſi gremium ſuum tribuiſſe. In his ſingulis inſiſtens, & ſingula contemplans, non modo fletum, & lachrymas non continebat, orans Apoſtolum, ut vitam ſuam, & ſalutem à Deo Optimo Maximo deprecaretur, ſed etiam (qui eſt pietatis fructus multò maximus) ad omnia ferenda, & perpetienda Dei cauſâ vehementiùs incendebatur.*

Hæc Bzovius.

1978 Ex quâ narratione habemus, Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi cultam fuiſſe à Sanctiſſimâ Reginâ noſtrâ Eliſabethâ, & conjicere poſſumus, cultam fuiſſe ab omnibus Sanctis, qui eandem peregrinationem ſuſcepere.

§. II.

Digitized by Google

## §. II.

## *Monumenta discipulorum Sancti Jacobi Maioris.*

1979 SUpervacaneum etiam est memorare cum eodem D. Didaco de Castillo, Cæsaraugustæ à tempore immemorabili coli Sanctum Athanasium, primum illius Civitatis Episcopum, tamquam discipulum Sancti Jacobi in Hispaniâ degentis.

1980 Ecclesiam Bracharensem summâ cum veneratione celebrare Sanctum Petrum de Rates, Episcopum suum, ut discipulum S. Jacobi Hispaniam peragrantis.

1981 Ecclesiam Abulensem venerari corpus Sancti Secundi, Episcopi sui, ut discipuli Sancti Jacobi in Hispaniâ commorantis.

1982 In Monasterio Celænovæ coli Sanctum Torquatum Martyrem, ut auditorem, & discipulum Sancti Jacobi in Hispaniâ.

1983 Apud Valdemorum in Episcopatu Lucensi, in montibus Zebrerorum, coli tamquam discipulum Sancti Jacobi in Hispaniâ Sanctum Euphrasium Martyrem.

1984 Quæ meritò adducit Castillo in comprobationem nostræ Traditionis, quia sicuti licèt non extent acta horum Sanctorum, quæ testentur, illos fuisse Martyres; tamen credendum est Traditioni Ecclesiarum id affirmanti; ita licèt non extent acta antiqua, quæ testentur, illos fuisse discipulos Sancti Jacobi in Hispaniâ, credendum est Traditioni hoc asserenti; credendum autem esse Traditioni asserenti, illos fuisse Martyres, scripsit Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, die 15. Maii, ubi ait:

*Cùm*

*Cùm autem ex his aliquot inveniantur dicti Martyres à nonnullis, licèt eorum martyrii acta non habeantur; antiquæ tamen Traditioni Eccleſiarum, in quibus, ut Patroni coluntur, acquieſcendum putamus.*

## §. III.

## *Monumentum Magiſtræ Sancti Jacobi,* COLUMNA *Cæſarauguſtana.*

1985 LIcèt autem, quæ à ſeptuaginta ſeptem Breviariis, & maximè à Romano affirmantur, nullâ indigeant confirmatione, prætereunda mihi non eſt ſolidior illa, ſplendidiorque hujus Traditionis confirmatio, nempe Columna illa Cæſarauguſtana, ſacellumque ad ripam fluminis Iberi, à Sancto Jacobo Apoſtolo Auguſtiſſimæ Virgini Mariæ erectum, quod monumentum per ſeptemdecim ſæcula durans, eſt certè illud, de quo Sanctus Jacobus veriùs, quàm alius, dicere poteſt:

*Exegi monumentum ære perennius,*
*Regalique ſitu pyramidum altius,*
*Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens*
*Poſſit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum ſeries, & fuga temporum.*

Nam durat Cæſarauguſtanum ſacellum à temporibus Divi Jacobi, quin illud deſtruxerit furor, aut rabies hoſtium veræ Religionis, ſive ii fuerint Gentiles, ſive Judæi, ſive Hæretici, ſive Mauri, cùm ſciamus, hos plura Templa evertiſſe, plures Urbes ſolo æquaſſe; ita diſponente Numinis Providentiâ, quò Jacobææ expeditionis memoria nunquam in Hiſpaniâ intercideret.

1986 Columna illa eſt monumentum coævum expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi, quo ipſa probatur; unde

Digitized by Google

unde immeritò dicitur, illam expeditionem monumento coævo non probari.

1987 Neque objici potest, illam Columnam carere inscriptione, ac proinde non probare; quia ad Traditionem non est necessaria inscriptio, neque Author, nam Vir Clarissimus Franciscus de Macedo in Diatribâ de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam pag. 211. dixit:

> *Pro Authore esto. Illa celeberrima Cæsaraugustæ Columna, quam linguam in marmore vocalem dixero. Jacobi adventum attestantem, quam injurioso non pede proruit vetustas temporis; nec quod nocere magis solet, novitas temporum.*

1988 Sed fortius argumentum eruo ex Canonico libro Josue cap. 4. ubi Sacer textus ait:

> *Ite ante Arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel, ut sint signum inter vos, & quando interrogaverint vos filii vestri, cras dicentes; quid sibi volunt isti lapides? respondebitis eis: defecerunt aquæ Jordanis ante Arcam fœderis Domini, cùm transiret eum: id circò positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum.*

Ubi videmus rudes, & impolitos lapides omni inscriptione carentes, esse æternum monumentum, jussu Dei positum, ad fundamentum Traditionis à patribus ad filios transmittendæ, & testantis miraculum ante Arcam fœderis Domini, quæ plurium Patrum judicio fuit figura Sanctissimæ Virginis; & negabitur, Columnam Cæsaraugustanam Marianâ Imagine insignem, sacelloque inclusam potuisse esse monumentum Augustissimæ Virginis, Divum Jacobum ad ripam Iberi fluminis alloquentis?

1989 Ut autem pergamus confirmare expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi gestis Sancti Pauli, præterire nolo

nolo Columnam, Rhegienſium Traditione celebrem, in quam ſcriptus eſt Hymnus, quem hîc lubet deſcribere ex Cornelio à Lapide in Acta Apoſtolorum cap. 28. verſ. 13.

# HYMNUS.

## In Columnam Rheginam Sancti Pauli Apoſtoli.

*Ave Columna nobilis*
*Electro, & auro ditior,*
*Illaque Moſis ignea*
*Columna fortunatior.*
*Quod ore Paulus prædicat,*
*Te fulgurante comprobat,*
*Te conflagrante Rhegium*
*Chriſti Fidem complectitur.*
*Te Palma tangens languida*
*Senſit medelam cœlicam:*
*Hauſtuſque pulvis illico*
*Ægris ſalutem contulit.*
*Ergo Columna Rhegia*
*Hebros, ut Iſraelica*
*In terræ optima tranſtulit*
*Tu nos in aſtra ducito.*
*Summo Patri ſit Gloria,*
*Natoque Patris unico,*
*Et Paraclito Numini*
*Cunctis in ævum ſæculis. Amen.*

℣. *Paulus Apoſtolus venit Rhegium, Alleluia.*

℟. *Et ſeminavit verbum Dei, Alleluia.*

ORA-

ORATIO.

*Deus, qui ad Beati Pauli Apostoli prædicationem, lapideâ Columnâ divinitùs igneſcente, Fidei lumine Rheginos Populos illuſtrati, da quæſumus, ut quem Euangelii præconem habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in Cœlis.*

1990 Et ſicuti tacente Sancto Lucâ converſionem Rhegienſium, miraculum Columnæ, & prædicationem Sancti Pauli in eâ Urbe, tacentibus priſcis Authoribus, creditur Rhegienſium Traditioni; ita etiam tacentibus antiquis Authoribus conſtructionem Cæſarauguſtani ſacelli, & miraculum Columnæ, credendum eſt Traditioni Hiſpanorum; & ſicuti creditur Hymno, & Orationi de Columnâ Sancti Pauli, ſic credendum eſt orationi, in quâ fit mentio de Columnâ Cæſaraùguſtanâ, quæ in eo Templo ex antiquâ Traditione quotidie funditur, & ſic habet:

ORATIO.

*Omnipotens æterne Deus, qui Sacratiſſimam Matrem tuam inter Choros Angelorum, ſuper Columnâ marmoreâ à te ab alto miſsâ venire, dum adhuc viveret dignatus es, ut Baſilica de Pilari in ejus honorem à Prothomartyre Apoſtolorum Jacobo, ſuiſque Sanctiſſimis diſcipulis ædificaretur, præſta quæſumus, ut ejus meritis, & interceſſione fiat impetrabile, quod fidâ mente poſcimus. Qui vivis* &c.

1991 Quanti autem facienda ſit Traditio de ſacello Cæſarauguſtano, conſtructo à Sancto Jacobo Apoſtolo, latè oſtendemus infra Appendice 1. nunc nobis ſufficiet

excribere, quæ leguntur in feſto dedicationis Eccleſiarum Sanctiſſimi Salvatoris, & Beatiſſimæ Virginis de Columnâ, Lectione 6. approbatâ à Sacrâ Rituum Congregatione anno 1723. die 7. Auguſti, Sanctiſſimo Parenti meo Divo Caietano ſacrâ, & conceſsâ à Sanctiſſimo Innocentio XIII. Pontifice Maximo, die 11. Auguſti hujus anni, in quâ ſic habetur:

> *Sanè inter cætera ſacra loca, quæ in Hiſpaniis ſpeciali devotione coluntur illuſtri famâ, ille notiſſimus eſt, qui Virginis Matris nomine Cæſarauguſtæ Deo conſecratus, à Columnâ nomen accepit. Ut enim PIA, ET ANTIQUA TRADITIO habet, cùm Jacobus, Apoſtolus Maior nuncupatus, Divino conſilio in Hiſpaniam appuliſſet, & aliquandiu Cæſarauguſtæ ſubſtitiſſet, ibi à Beatiſſimâ Virgine Mariâ inſigni beneficio dignatus eſt; ipſe nanque, ut ibidem perhibetur, cum aliquot diſcipulis noctu ad Iberi fluminis ripam oranti, Deipara, ad huc in humanis agens, apparuit, eique INJUNXIT, ut ſacellum extrueret. Quare nihil cunctatus Apoſtolus, diſcipulis opem ferentibus, Ædiculam Deo in ejuſdem Virginis honorem dedicavit.*

1992 Ex quibus conſtat, noſtram Traditionem approbatam eſſe Pontificio calculo, ut piam, & antiquam, & Beatiſſimam Virginem injunxiſſe Sancto Jacobo, ut ſacellum Deo in ejuſdem Virginis honorem dedicaret. Si autem Sedes Apoſtolica judicavit, hanc Traditionem eſſe *piam*, immeritò traducimur, cæcæque pietatis arguimur, qui illam Traditionem defendimus; neque enim cæca poteſt eſſe pietas, quam approbat Sedes Apoſtolica, ex quâ prodit veritatis lumen.

1993 Si Sedes Apoſtolica hanc vocat *piam Traditionem*, immeritò hæc dicitur perſuaſio imperitorum hominum; immeritòque negatur eſſe Traditionem.

Si

1994 Si Sedes Apoſtolica hanc vocat *antiquam Traditionem*, immeritò illa novitatis arguitur.

1995 Si Sedes Apoſtolica approbat Hiſtoriam de ſacello Cæſarauguſtano, immeritò dicitur, illam à veritate recedere.

1996 Si Sedes Apoſtolica approbat dici, quòd Beatiſſima Virgo *injunxit* Sancto Jacobo, ut ſacellum extrueret, immeritò dicitur, illud eſſe incredibile; nam fieri non poteſt, ut Sedes Apoſtolica approbet Hiſtoriam incredibilem.

# PARERGON II.

## *Præcluditur via argumentis contra Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.*

1997 POſtquam oſtendimus, Traditionem de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi fuiſſe agnitam, approbatam, & laudatam ut piam, & antiquam à Sede Apoſtolicâ, ſupervacaneum videri poterit reſpondere argumentis, quibus illam oppugnarunt ii, apud quos viget Sedis Apoſtolicæ reverentia; operæ prætium tamen me facturum exiſtimavi, ſi probaverim, hanc Traditionem (etiam ſecluſâ Sedis Apoſtolicæ approbatione) perſtare inconcuſſam; ad quod ſic me accingo.

1998 Quadruplici tantum medio probari poteſt, Traditionem quampiam eſſe falſam. Primum eſt repugnantia veritati revelatæ. Secundum eſt impoſſibilitas rei traditæ. Tertium eſt incompoſſibilitas cum re aliquâ certâ, & indubitatâ. Quartum eſt contraria omnium Authorum affirmatio. Nullo ex his capitibus oppugnatur



Digitized by Google

Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi: ergo nullo pacto efficaciter oppugnatur. Quod ſic oſtendo.

1999 Non oppugnatur ex repugnantiâ veritati revelatæ, quia jam oſtendimus à numero 147. illam non repugnare Sacræ Scripturæ, neque ulli veritati revelatæ.

2000 Non oppugnatur ex impoſſibilitate facti, quia jam à numero 358. demonſtravimus, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non fuiſſe impoſſibilem.

2001 Non oppugnatur ex incompoſſibilitate cum re aliquâ certâ, & indubitatâ, ut colligitur ex dictis à numero 359.

2002 Non oppugnatur ex contrariâ affirmatione omnium Authorum, quia jam oſtendimus à numero 772. nullum Authorem ante ſæculum ſextum decimum produci, qui affirmaverit, Sanctum Jacobum non prædicaſſe in Hiſpaniâ.

2003 Ex dictis perſpicitur, immeritò nobis objici, quod debeamus noſtram Traditionem oſtendere ex teſtibus, vel coævis, vel paulò recentioribus ipſo Sancto Jacobo; nam in primis illam oſtendimus ex teſtibus coævis Sancto Jacobo, nempe ex Sancto Marco Euangeliſtâ, ex Sancto Paulo Apoſtolo, & ex Sancto Juſtino Martyre, ex Tertulliano antiquiſſimis Authoribus.

2004 Illud mirum eſt, nempe nobis objici, Sanctum Julianum non egiſſe de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cùm numero 1423. protulerimus ejus verba eum adventum affirmantia. Mirum eſt nobis objici, Sanctum Iſidorum, & Venerabilem Bedam eſſe nobis contrarios, idque probatum eſſe, cùm longè aliud conſtet ex iis, quæ diximus à numero 1377. & à numero 1438.

2005 Deinde minimè debemus Traditiones Scriptoribus defendere, quia Traditio contradiſtinguitur à ſcripturâ; hinc verbum Dei diſtinguitur in ſcriptum, & non

ſcrip-

ſcriptum, tamquam in membra oppoſita; verbum Dei ſcriptum ſunt libri Canonici; verbum Dei non ſcriptum ſunt Traditiones, ut norunt Theologi Polemici. Similiter verbum humanum dividendum eſt in ſcriptum, quod durat in libris; & non ſcriptum, quod perſeverat in Traditionibus, quæ cùm ſint oppoſita, mutuò ſe excludunt; ubi enim eſt ſcriptura, non exigitur Traditio; ubi verò eſt Traditio, non exigitur ſcriptura.

2006 Neque loca adducta ex Euſebio Cæſareenſi, Sancto Athanaſio, Sancto Gregorio Niſſeno, & Sancto Vincentio Lerinenſi probant, ad Traditionem facti Hiſtorici neceſſariam eſſe ſcripturam coævam; imò omnia ſunt contra producentem. Quod ſic oſtendo.

2007 Euſebius Cæſareenſis eo loco, juxta verſionem Ruffini, ait: *Quas Traditiones cautelæ gratiâ etiam ſcriptas, ſe aſſerit reliquiſſe.* Quod autem fit cautelæ gratiâ, non fit abſolutè ad eſſe, ſed ad melius eſſe, ſic etiam Sanctus Iſidorus, aliique antiqui Authores reliquerunt ſcriptam cautelæ gratiâ expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ut tutiùs poſteritati reſervaretur. Et ſicuti illæ Traditiones non deſinerent eſſe Traditiones, ſi illas non reliquiſſet ſcriptas Sanctus Ignatius; ita Traditio de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi non deſineret eſſe Traditio, etiamſi à nullo ſcriberetur, quandiù forent homines, qui eam à maioribus accepiſſent, & eam quaſi per manus ad poſteros tranſmitterent. Qui autem ſcribit Traditiones, nihil aliud facit, quàm quod Traditio tranſeat in ſcripturam, quo faciliùs propagetur illius materia, hujuſque notitia perveniat ad eas gentes, ad quas viva vox pervenire non poteſt propter locorum diſtantiam.

2008 Prætereo ab origine Mundi, uſque ad egreſſum filiorum Iſrael ex Ægypto, fluxiſſe bis mille quadringentos, & quinquaginta quatuor annos, quibus Eccleſia

cleſia duravit ſine ſcripturis, & ſolis Traditionibus notæ erant tantæ antiquitatis Hiſtoriæ, ſine ullo coætanei Authoris teſtimonio.

2009 Sanctus Athanaſius in Epiſtolâ ad Epiſcopos in Africâ, & in Epiſtolâ de decretis Synodi Nicenæ, nihil aliud intendit, niſi vocem *Homouſion*, quâ Filius Divinus ſignificatur conſubſtantialis Patri, hoc eſt, ejuſdem naturæ cum Patre, non fuiſſe confictam à Patribus Nicenis, ſed uſurpatam jam à Patribus prope centum & triginta annos antiquioribus, quod efficere non poterat, niſi producendo eorum loca, nempe ex Theognoſto, quem Sanctus Athanaſius vocat Authorem priſcum; juniorem tamen fuiſſe Origene, colligo ex ipſo Sancto Athanaſio. Origenes autem obiit anno 256. ſexaginta quinque annis ante Synodum Nicenam, quæ celebrata eſt anno primo ſupra vigeſimum, & tercenteſimum. Ex Dionyſio Alexandrino, qui obierat anno 265. hoc eſt, ſex, & quinquaginta annis ante eandem Synodum; & ex Sancto Dionyſio Pontifice Romano, qui obierat anno 270. hoc eſt, anno uno ſupra quinquageſimum, ante ipſam Synodum. Volebat Sanctus Athanaſius oſtendere, eam vocem fuiſſe ſcriptam ante Concilium Nicenum; hoc probare non poterat, niſi productis teſtimoniis præcedentium Patrum. Contentus fuit Sanctus Athanaſius teſtibus non pluſquam centum & quindecim annis producente antiquioribus, ad probandam veritatem illius vocis *Homouſios*. Sanctus enim Athanaſius obiit anno 371. centum & quindecim annis poſt mortem Origenis. Contentus fuit Euſebius Cæſareenſis, ut conſtat ex ipſius Epiſtolâ apud Theodoretum, lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 12. & nos non erimus contenti teſtimoniis mille annis antiquioribus, aſſerentibus expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi?

2010 Scio etiam, num impugnari ab Hæreticis illam vocem

vocem *Homousion*, sed castigantur à Maximiliano Sandæo, Societatis Jesu, qui tot volumina edidit, quot annos vixit; vixit autem 78. Validissimus enim hic Ecclesiæ Propugnator, volumine 1. Commentationum Academicarum, commentatione 10. quæ inscribitur *Grammaticus Illusor*, §. 11. de nomine Homousios agens, ait:

> *Ridetur à sciolis, & Novatoribus, ut olim ab Arianis, sed risu phreneticorum, quo qui ridet, carnificinam, quâ urgetur, ridentis rictu prodit. Novum est (aiunt) qui novant ipsi omnia, nimirum, quia neque Demosthenes, neque Homerus, neque Isocrates usurpavit, de novitate accusatur. Vetus esset, si ante sexaginta annos è Lutheri, Calvinique schola, formatum exisset: nunc quum mille trecentorum annorum firmitatem obtinuerit, recens moneta est, & rejicitur.*

2011 Liceat nobis hæc ultima verba aptare nostræ Traditioni de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi: *Nunc quum mille trecentorum annorum firmitatem obtinuerit, recens moneta est, & rejicitur*? Nam tot, pluresque anni effluxerunt à Sancto Hieronymo, & ab initio Officii Mozarabi, quibus illa expeditio adstruitur.

2012 Unde loca Sancti Athanasii cùm Traditionem non repetant altiùs, quàm à centum & triginta annis, nihil nobis officiunt, qui asserimus Traditionem plusquam mille annis antiquiorem; imò potiùs revincunt Recentiorem Adversarium, qui illam impugnat tamquam novam.

2013 Sanctus Gregorius Nissenus, libro 3. contra Eunominum, potiùs probat contra Recentiorem Adversarium, ad Traditionem probandam non requiri scripturam, ait enim:

> *Venientem ad nos à maioribus Traditionem, habemus velut hæreditatem quandam per successionem ab Apostolis continuatâ serie per sequentes Sanctos transmissam.*

Ex

Ex quibus immeritò Recentior Adverſarius infert, à Sancto Gregorio Niſſeno probari, Traditiones Apoſtolicas dari ex teſtimoniis Sanctorum, ſi hoc intelligat de teſtimoniis ſcriptis; ſi verò intelligat de teſtimoniis non ſcriptis, ſibi officit, non nobis, qui aſſerimus, Traditionem nihil aliud eſſe, quàm verbum non ſcriptum.

2014 Sanctum Gregorium Niſſenum non poſſe intelligi de teſtimoniis ſcriptis, ex eo manifeſtum eſt, quòd ſcripturæ non meminit, imò neque teſtimoniorum; & retorquetur authoritas Sancti Gregorii Niſſeni in Recentiorem Adverſarium, poſcentem ſcripturas ad probandam Traditionem; quia Sanctus Gregorius Niſſenus dicit:

> *Venientem ad nos à maioribus Traditionem habemus, velut hæreditatem quandam per ſucceſſionem ab Apoſtolis continuatâ ſerie per ſequentes Sanctos tranſmiſſam.*

Sed ad obtinendam hæreditatem per ſucceſſionem, nulla eſt neceſſaria ſcriptura, cùm poſſit ſuccedi inteſtato; ergo Traditio, quæ juxta Sanctum Gregorium Niſſenum eſt veluti hæreditas, quæ per ſucceſſionem venit de patribus ad filios, & ex his ad nepotes, nullâ indiget ſcripturâ, multòque minus ſcripturâ coætaneâ rei traditæ: ergo Sanctus Gregorius Niſſenus eſt teſtis contra producentem Recentiorem Adverſarium.

2015 Sanctus denique Vincentius Lerinenſis, in Commonitorio primo, capite vigeſimo ſeptimo non habet eum ſenſum, ad quem à Recentiore Adverſario detorquetur; non enim docet, Traditiones probandas eſſe teſtimonio Scriptorum, ſed loquitur ad mentem Divi Pauli, quem explicat eo loco. Divus autem Paulus loquitur de Traditione, quæ eſt verbum non ſcriptum, ut docent omnes Theologi Polemici, ſeu Sacrarum controverſiarum tractatores contra Hæreticos; unde nec verbum quidem

Digitized by Google

quidem dicit Sanctus Vincentius Lerinensis de scripto verbo ; quorsum ergo adducitur , ad probandum Traditionem indigere scripturis , ut probetur ; seu ut ipsi credatur ? Maximè cùm ex eodem Sancto Vincentio Lerinensi , eodem primo Commonitorio , capite 32. constet , aliud esse Traditionem , & aliud scripturam ; ait enim :

> *Hoc , inquam , semper , neque quidquam præterea Hæreticorum novitatibus , excitata Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia , nisi ut quod priùs à maioribus* solâ Traditione *susceperat , hoc inde posteris etiam* per scripturæ Chirographum *consignaret.*

2016 Idem ergo , proportione servatâ , accidit in nostro casu : expeditio Hispanica Sancti Jacobi , quam primus illius Scriptor , quisquis ille fuerit *solâ Traditione* à maioribus susceperat , etiam posteris *per scripturæ Chirographum* consignavit , ne Traditio per tot annos conservata , interiret , ut pluribus aliis contigit. Imitatus est ille primus hujus expeditionis Scriptor Ecclesiam Catholicam, scribendo quæ à maioribus acceperat : ergo non potest novitatis , aut temeritatis argui , neque fas est imprudentiæ nomine traduci eos , qui ipsum per tot sæculorum successionem sequuti sunt.

2017 Si autem ad defendendas , seu probandas Traditiones necessaria essent Scriptorum testimonia , non distingueret Sanctus Vincentius Lerinensis inter *solam Traditionem* , & *scripturæ Chirographum* , tenerenturque Conciliorum Patres , quotiescumque mentionem faciunt Traditionum , producere Authores coævos rei traditæ , quod eos non feciſſe , constat evolventi volumina Conciliorum. Tenerentur ad probandum , Traditiones esse Apostolicas, producere Authorum seriem , continuatam à temporibus Apostolorum , usque ad tempora Conciliorum , quod

nuſquam factum eſt, nec fieri poteſt, ut conſtat iis, qui norunt Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

2018 Neque Sanctus Auguſtinus poſuit inter ſigna Apoſtolicarum Traditionum, teſtimonium Authorum, cùm dixit lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 23.

*Sunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.*

2019 A' Traditionibus univerſalibus ſpectantibus ad Fidem, gradum facimus ad Hiſtoricas; ſi igitur ad has aſſerendas, neceſſaria eſſent Scriptorum teſtimonia, reprehendendi eſſent Sancti Patres, quotquot allegarunt Traditiones, non citatis Authoribus coætaneis. Prætereo Apollonium, qui illam ſuam Traditionem tam gratam impugnatoribus expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, nullo confirmavit Authore. Et Clementem Alexandrinum, qui nullo citato Authore, aſſeruit Traditionem de accuſatore Sancti Jacobi. Venio ad Origenem, qui tractatu 12. in Matthæum pag. 55. col. 1. ait:

*Herodes quidem interfecit Jacobum fratrem Joannis gladio; Imperator autem Romanorum, ſicut docet Traditio, condemnavit Joannem.*

Et nullo Authore confirmat hanc Traditionem.

2020 Sanctus Epiphanius contra hæreſim 28. quæ eſt Cherintianorum, qui Apoſtolis coævi fuerunt, ait:

*De quibus etiam ex Traditione ad nos devenit.*

& infra:

*Traditio, quæ ad nos devenit, eundem Sanctum Apoſtolum dixiſſe ait.*

Et contra hæreſim 66. quæ eſt Manicheorum, ait:

*In Traditionibus invenimus, quòd triginta annorum tunc erat Lazarus, quando eſt ſuſcitatus. Poſtquam verò ſuſcitatus eſt, alios triginta annos vixit.*

Quin

Quin ullo ex his locis has Traditiones Scriptoribus coævis confirmaverit.

2021 Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, de Sancto Joanne, fratre Sancti Jacobi Maioris, ait:

*Qui minimus natu traditur fuisse inter Apostolos.*

Et tamen Traditionem istam nullo Authore confirmat.

2022 Sanctus Maximus, Episcopus Taurinensis, Homiliâ 1. de Epiphaniâ ait:

*In hâc, dilectissimi, celebritate sicut relatu paternæ Traditionis instruimur, multiplici est nobis festivitate lætandum.*

Et tamen Traditionem illam nullo Authore probandam existimavit.

2023 Sed efficaciùs id, quod intendimus, probatur ex Sancto Cypriano in Sermone de Resurrectione Christi dicente:

*Adam sub loco, quo Crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis.*

Et tamen non confirmat, nec confirmare potuit hanc Traditionem Authoribus coætanæis Adamo, nec quidem Noemo, vel Abrahamo, vel Moysi.

2024 Assumptio Beatissimæ Virginis à morte suscitatæ, Cœlum ingredientis cum animâ, & corpore iterum unitis, creditur ex Traditione, & tamen nullus reperitur Author, qui primis Ecclesiæ sæculis hoc asseruerit. Quarto sæculo id ignorabat Sanctus Epiphanius, ut videre est apud ipsum contra hæresim 78. Et sæculo 7. etiam num Sanctus Isidorus de illâ Assumptione dubitabat, ut constat ex illius Sermone *6.* de Assumptione Virginis. De eâdem dubitabat sæculo 8. Venerabilis Beda, ut constat ex ipsius libro de locis Sanctis, cap. *6.* ad finem. Dubitabant sæculo *9.* Usuardus, & Sanctus Ado Vienensis, ut constat ex utriusque Martyrologio. Sæculo 10. dubi-

tavit Sanctus Notkerus, in Martytologio ad 18. Kalend. Septembris. Sæculo 11. dubitavit Fulbertus Carnotenſis, ſi is Author eſt Sermonis 35. de Sanctis, qui legitur inter opera Sancti Auguſtini, & in editione San-Maureanâ reperitur in Appendice tomi 5. eſtque Sermo 208. Sæculo duodecimo ignoravit eam Traditionem Joachimus Abbas Florenſis.

2025 Ex hoc autem eruitur primò, conſervari Traditionem per aliquot ſæcula ſine ſcripturâ, neque Scriptore.

2026 Eruitur ſecundò, Traditiones poſſe ignorari à Scriptoribus Doctiſſimis, etiam per plura ſæcula; quin ipſæ ex eo falſitatis argui poſſint.

2027 Eruitur tertiò, quod etiamſi contra nos opponeretur Sanctus Epiphanius, Sanctus Ildefonſus, Venerabilis Beda, Uſuardus, & Sanctus Ado Vienenſis, Fulbertus Carnotenſis, Sanctus Notkerus, & Abbas Joachimus, nequaquam evinceretur, Traditionem de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam eſſe falſam; nam potuerunt illam ignorare, ut ignorarunt Traditionem rei celeberrimæ, & ad Reginam Cœli, & terræ ſpectantis, quæ non ideo falſa dicta eſt.

2028 Sed nemo clariùs nos ſolvit obligatione confirmandi authoritate Scriptorum Traditionem de Hiſpanâ Sancti Jacobi expeditione, quàm Sanctus Paulus exponens nomina Magorum, qui Moyſi reſtiterunt, dum 2. ad Timotheum cap. 3. verſ. 8. ait:

*Quemadmodum autem Jannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi.*

Nam, ut ait Eſtius in hunc locum:

*Horum Magorum nomina, cùm non inveniantur Sacris literis prodita, non aliunde, quàm ex Traditione Paulus accepiſſe putandus eſt. Quod enim dicunt quidam, Apoſto-*

*Apostolum ea ex Spiritu Sancto revelante habuisse, non est probabile, cùm non magnopere referret, Magorum nomina nosse.*

2029 Et tamen Divus Paulus hanc Traditionem nullo Authore confirmat; ut nos doceat, Traditionem non indigere Scriptorum confirmatione.

2030 Non solùm verbis, sed etiam gestis Divi Pauli confirmatur, non esse necessariam antiquiorum scripturam ad probandam Traditionem; nam Cardinalis Baronius ad annum Christi *69.* num. 13. loquens de tribus fontibus, qui exiliere ex tribus saltibus abscissi capitis Sancti Pauli, qui hodieque visuntur prope Romam, quorumque aquam ego ipse non semel bibi, ait:

*Porrò & locus ipse de aliis quoque nos admonet: quæ etsi minimè scriptis consignata habeantur, fideli tamen maiorum Traditione testata redduntur.*

Desinat igitur Neotericus Adversarius à nobis exigere Authores priorum temporum, qui testantur de Traditione affirmante expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quando Pater Historiæ Ecclesiasticæ Cardinalis Baronius vocat fidelem eam Traditionem, quæ scriptis est minimè consignata.

2031 Hoc idem confirmat Cardinalis Aguirre exemplo Traditionum de Cathedrâ Antiochenâ Sancti Petri, & de hujus martyrio Romæ, simul cum Sancto Paulo. Plura nuper dicta sunt adversus Sapientissimum Cardinalem, quæ ideo non refello, quia sequor exemplum Doctissimi D. Andreæ Duranæ (nolo prodere Authorem, qui sub hoc nomine latere voluit) in eruditissimo opere inscripto: *Defensa de la venida, y predicacion de Santiago el Mayor en España*, pag. 7. qui ideo abstinuit à defensione Eminentissimi Cardinalis, quia supponit alios suscepturos hanc provinciam, nisi jam susceperint. Duo tamen

anima-

animadvertere non prætermittam : unum eſt, immeritò dici, quòd Hiſpanæ Sancti Jacobi expeditionis Traditio *nihil aliud ſit, quàm quædam vox, & fama poſt ſæculum nonum orta, & uſquequaque ſparſa à Caſtellanis, occaſione ſumptâ ex Reliquiis Sancti Jacobi in Gallæciâ ſepultis, & ex Hieroſolymâ illuc aſportatis non multò antea, cui famæ, cujus proprium eſt facta æquè, atque infecta canere, poſt ſæculum decimum ſubſcripſere Scriptores quidam ſine aliquo examine, aut indagatione, ſicut & innumera alia ſcripſitarunt apertiſſimè falſa, & ex vanis imperitæ plebis rumoribus hauſta.*

2032 Immeritò, inquam, hæc dicuntur, & quidem primò, quia nunc non ſola eſt fama de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, ſed Traditio (ut demonſtravimus) nam de famâ ait Tertullianus in Apologetico adverſus Gentes, capite 8.

> *Quid quod ea illi conditio eſt, ut niſi cùm mentitur, perſeveret, & tandiu vivit, cùm non probat, ſiquidem ubi probavit, ceſſat eſſe, & quaſi officio nuntiandi functa rem* tradit ; *exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſquam dicit: hoc Romæ aiunt factum, aut fama eſt illam provinciam ſortitum, ſed ſortitus eſt illam provinciam, & hoc factum eſt Romæ. Fama nomen incerti locum non habet, ubi certum eſt. An verò famæ credat, niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto.*

De expeditione autem Hiſpanicâ Sancti Jacobi Traditioni credere, judicio Eccleſiæ eſt credere ; & credunt multi viri Sapientes, quos nefas eſt dici inconſideratos. Quis niſi maximè inconſideratus non perhorreſcet dicere inconſideratos Sapientiſſimos Authores, Venerabiles Antiſtites, Eminentiſſimos Cardinales, Summos Pontifices, Sanctiſſimos Viros, qui huic Traditioni credidere, & credunt?

2033 Secundò, quia notitia expeditionis Hiſpanicæ Sancti

Sancti Jacobi non est orta post sæculum nonum; nam vel ipse Natalis Alexander, illius expeditionis oppugnator, ait, hanc opinionem invaluisse post octavum sæculum, ut videre est apud ipsum sæculo 1. Dissert. 15. Propos. 2. pag. 159. col. 2. D. Si ergo invaluit octavo sæculo, certè priùs orta erat, prius enim est oriri, quàm invalescere.

2034 Tertiò, quia hæc notitia non est scripta priùs ab Authoribus Castellanis, sed ab Eusebio Cæsareensi Græcè, & à Sancto Hieronymo Latinè; vel ab Authore Martyrologii ipsis adscripto, quem fuisse paulò recentiorem Sancto Hieronymo, docet Adrianus Baillet tomo 1. Vitarum Sanctorum, in Discursu super Historiâ Vitæ Sanctorum §. 19. & alibi. Vel asserta ab Episcopis Galliæ Theodosium alloquentibus, de quibus dictum est Assertione 48. à num. 1222. vel à Sancto Sophronio, qui æqualis fuit Sancto Hieronymo; vel denique ab Authore libri Armeni, quem retulimus Assertione 61. num. 1931. ni concedatur, scriptam fuisse à Sancto Hippolyto Martyre, qui vixit, teste Cardinale Bellarmino, anno vigesimo tertii sæculi, de cujus Sancti testimonio videndus est Cardinalis Aguirre, tomo 1. Conciliorum Hispaniæ, Dissertatione 9. excursu 2. à num. 23.

2035 Quartò, quia non fuit sparsa occasione inventionis corporis Sancti Jacobi, quæ accidit anno 816. quo anno antiquiores supra à numero 1351. usque ad numero 1476. produximus Authores, eam expeditionem testantes.

2036 Quintò, quia corpus Sancti Jacobi non fuit asportatum in Hispaniam, non multò ante ejus inventionem; neque hoc ausus est dicere Joannes Bosco, licèt non nimis propensus fuerit in nostram sententiam; ingenuè enim fassus est, corpus Apostoli paulò post ipsius mortem, à discipulo illius translatum fuisse in Hispaniam.

Non

Non hoc dixit Cardinalis Baronius, licèt fuerit primus Author Catholicus, qui dubitavit de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam. Et hujus translationis antiquitatem optimè probat R. P. D. Hieronymus Contador de Argote, in Diſſertatione Luſitanâ de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, cui illud addo: Si tam recens eſt illa translatio, cur, ut Sacrum illud pignus inveniretur anno 816. neceſſaria fuit miraculoſa lux ſuper vepres, de quâ loquitur Cardinalis Baronius tomo 9. ad eum annum numero 53. ibi:

> *Magno Dei beneficio factum, ut quod poſt ſæcula tanti latuiſſet corpus Apoſtoli, hoc ipſo tempore ſub Alphonſo Caſto, Principe maximè pio, in lucem emerſerit lucis ſignis ſuper vepres, in loco, ubi erat abditum pluribus noctibus viſis, non uni, ſed multis, præcipuè verò Theodomiro Epiſcopo Irienſi.*

Si teſte Baronio, corpus Apoſtoli tot *ſæcula* latuit, quo jure dicitur, illius oſſa illuc aſportata fuiſſe non multò antea?

2037 Sextò, quia ante ſæculum decimum plures Authores teſtati ſunt prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, ut ſupra oſtendimus à numero 1351. uſque ad num. 1483. Ergo immeritò dicitur, novæ illi famæ ſubſcripſiſſe poſt ſæculum decimum Scriptores, qui innumera falſa ſcripſitarunt, quo graviſſima inuritur nota Sanctiſſimis, & Doctiſſimis Viris, quos ſupra pro noſtrâ ſententiâ adduximus à num. 1484. uſque ad numerum 1742. ut præteream Authores Breviariorum, & Romanos Pontifices, approbantes Breviarium Romanum, quo expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi Univerſæ Eccleſiæ Romanæ proponitur, & recitari præcipitur.

2038 Alterum, quod animadvertendum duxi, eſt, immeritò dici militare contra defenſores expeditionis Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpanicæ Sancti Jacobi; quod ſcripſit Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 25.

> *Superfluum eſſe omne aliud extrinſecum teſtimonium ad probandum, Petrum, & Paulum Romæ occubuiſſe, cùm id uſque in præſentem diem ſplendidiſſima Apoſtolorum monumenta teſtentur.*

Nam licèt nolim diſquirere quid hæc verba probent, certè nihil contra nos faciunt. Et ſi mihi liceret argutari, dicerem potiùs nobis maximè favere; ſi enim ibi fuerunt Apoſtoli vivi, ubi ſunt eorum monumenta, ſive ſepulchra, cùm Sepulchrum Sancti Jacobi ſit in Hiſpaniâ, dicendum eſſet ex hoc Euſebii loco, illum fuiſſe vivum in Hiſpaniâ, quod nos aliis teſtimoniis probare ſolemus. Præterea non capio, quo jure affirmetur eſſe de Fide, Sanctum Jacobum occiſum fuiſſe Hieroſolymis, cùm id non conſtet ex Sacrâ Scripturâ, neque diffinitum ſit ab ullo Concilio, vel ab ullo Summo Pontifice, neque de hoc detur Divina, aut Apoſtolica Traditio. Unde non eſt exiſtimandum contra Fidem peccaturos, quia aſſeruerint, eum extra Hieroſolymam occiſum fuiſſe; nam licèt Salmeron tom. 12. tract. 35. pag. 227. col. 1. dicat, quòd Sanctus Jacobus *Feroſolymæ videtur interfectus*; tamen dixit, illum occiſum fuiſſe Cæſareæ. Utcumque res ſe habeat, illud certum eſt, nempe non eſſe de Fide, Sanctum Jacobum Maiorem occiſum fuiſſe Hieroſolymis.

2039 Illud, quod hoc loco eſt maximè mirandum, eſt, quòd non ſolùm dicatur: *De Fide eſt enim, Sanctum Jacobum Zebedæi Hieroſolymis pro Chriſti nomine ab Herode occiſum*; ſed quod illud aſſeveretur: *Et certum quoque eſt, poſt octo ſæcula in Gallæciam translatum ejus corpus*; nam ſic dicitur, certum eſſe illud, quod eſt impoſſibile; quia ſi corpus Sancti Jacobi poſt octo ſæcula à morte ipſius translatum eſt in Gallæciam, ſequitur, illius corpus priùs repertum fuiſſe

in Gallæciâ, quàm in Gallæciam transferretur. Sanctus enim Jacobus occiſus fuit, teſte Baronio, anno Domini quadrageſimo quarto; illius verò corpus repertum in Gallæciâ, teſte eodem Baronio, anno ſexto decimo ſupra octingenteſimum, hoc eſt, annis tantum ſeptingentis ſeptuaginta duobus poſt mortem Sancti Jacobi; ſi autem translatum fuiſſet poſt octo ſæcula, opportuiſſet fuiſſe translatum poſt annum Chriſti octingenteſimum quadrageſimum quartum, hoc eſt, poſt viginti & octo annos, quàm in Gallæciâ repertum fuerat. Quod certè eſt falſum, & Fidem excedens, utpote quod eſt impoſſibile citra miraculum.

2040 Ratio autem, ob quam Traditio non indigeat confirmatione Authorum, multòque minus eorum, qui ſunt coævi rei traditæ, eſt, quia Traditio non dependet à ſcripturâ, neque *in fieri* neque *in conſervari*, ut loquuntur ſcholæ.

2041 Non dependet Traditio à ſcripturâ *in fieri*; quia omnes Hiſtoriæ rerum antequam ſcriberentur notæ erant, ſaltem ſcribentibus, aliàs enim ſcribi non poſſent; neque ſcriptura quidpiam addit rei traditæ; neque Hiſtoria veritatem habet à ſcripturâ, ſed ab eventu rerum, quæ acciderunt ſicuti narrantur.

2042 Deinde antequam inventæ eſſent literæ, duravit rerum geſtarum memoria ſæcula, ſolâ Traditione à maioribus in minores dirivatâ. Neque enim omnia contineri poterant in libro Enoch, quem omnium antiquiſſimum fuiſſe affirmari poteſt. Quemque egregiè defendit Jacobus Bolduc Pariſienſis in opera de Eccleſiâ ante legem lib. 1. cap. 14. Unde eſt celebre illud effatum Tertulliani lib. de Teſtimonio animæ, cap. 5. num. . .

*Certè prior anima, quàm litera, & prior ſermo, quàm ſtylus.*

Eâdem

2043 Eâdem ratione etiam oſtenditur, non dependere Traditionem à ſcripturâ *in conſervari*, quia quandiù fuerint maiores, qui tradant, & minores, qui accipiant, acceptaque nepotibus tradant, conſervabuntur Traditiones, etiamſi nulli ſcribantur, vel omnes crementur libri. Hinc eſt, quòd licèt Tyranni, & Barbari potuerint Eccleſiaſticos libros igni tradere, nunquam Traditiones abolere potuerunt. Unde de Traditione Hiſtoricâ cecinit Joannes Owen, ſive Audoenus, libro ſingulari, Epigrammate 244.

*Comburi poſſunt libri, monumenta perire,*
*Noſtra mori poſſunt, & tua ſcripta mori.*
*Inſita ſed genti, dum gens erit ipſa ſuperſtes*
*Traditio vivæ vim quaſi vocis habet.*

2044 Non ſolùm non dependet à ſcripturâ Traditio, ſed potiùs ſcriptura dependet à Traditione, quia libri non extarent, niſi nobis à maioribus traderentur. Neque ſciremus, hos libros fuiſſe Sancti Auguſtini, illos Ariſtotelis, alios Platonis, alios Homeri, niſi eos illorum fuiſſe Authores à Traditione maiorum doceremur. Imò de ipſis Sacris voluminibus, à Spiritu Sancto dictatis, ipſoque Euangeliorum Codice apertè fatetur Sanctus Auguſtinus, ſe non crediturum, niſi id perſuaderet Traditio; hoc enim ſignificat celebre illud Sanctiſſimi Eccleſiæ Doctoris dictum, libro contra Epiſtolam Manichæi, cap. 5. tom. 8. editionis San-Maureanæ:

*Ego vero Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.*

2045 Hinc Hæretici, licèt negent Traditiones pleraſque, tamen eam Traditionem, quâ Sacras Scripturas à maioribus noſtris accepimus, negare non audent, ut ex eorum grege fatetur Joannes Botſaccus in Moralibus Gedanenſibus, verb. *Traditio*, §. V.

2046 Cùm igitur Traditio, quæ eſt verbum non ſcriptum, nullo modo pendeat à Scriptoribus, multò minus pendet à Scriptoribus coævis, ſeu potiùs coætaneis, rei, quæ traditur, nam Traditio ſemper aſcendendo devenit ad ſuum fontem, ſive narratorem coætaneum rei narratæ, & inde deſcendendo venit ad nos, noſtraque tempora.

2047 Utrumque terminum Traditionis, nempe eum, à quo procedit, & eum, ad quem tendit, conjunxit David Pſalmo quadrageſimo tertio, dicens:

*Deus auribus noſtris audivimus, & patres noſtri annuntiaverunt nobis:*

*Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

In quem locum Lorinus ait:

*Intelligit maximè Patriarchas, Authores, & Capita Tribuum, uſque ad immediatos genitores, continuatâ ſerie, ac* Traditione *rerum priſcarum.*

2048 Iſte autem deſcenſus Traditionis non fit per ſcripturam, ſed per vivam vocem à primo, qui vidit rem narratam tranſmiſſam ad poſteros; licèt ſæpè ignoretur primum Traditionis principium. Quocirca audiendus eſt Doctiſſimus Vir Pater Antonius Macedo, Magni Franciſci Macedo frater Germanus in *Divis Tutelaribus Orbis Chriſtiani*, paginâ 251. ubi ait:

*Nec me pudet fateri, quod viros quoque ante me doctos fateri non puduit, latere ſcilicet multarum originem, & maximarum rerum, de quibus SOLA TRADITIONE conſtat à maioribus ad poſteros derivata: nec ineptè dixerim uti flumina, quorum ob longitudinem occulti ſunt fontes, nobiliora ſunt; ita quorum latent initia, res illuſtriores, & ſacratiores eſſe.*

2049 Antequam hinc diſcedam, reſpondere libet dubio

dubio cuidam, levi quidem, sed quod Vir facilè Doctissimus mihi proposuit, tamquam sibi grave, dicens: Esto Traditio de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi durare potuisset in hâc provinciâ usque ad initium octavi sæculi, quo Mauri in Hispaniam irrupere, eâque potiti sunt; tamen non potuisse conservari sub Barbarorum tyrannide, quousque iis ex Hispaniâ pulsis, ad nos integra, illibataque transmitteretur; unde, aiebat, sequitur, eam Traditionem, cui tantopere deferimus, recentem esse, nullâque proinde fide dignam.

2050 Respondeo primò, hoc argumento non solam impeti Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, sed omnes Primitivæ Ecclesiæ Traditiones, ipsasque Apostolicas; nam si non potuere conservari sub tyrannide Barbarorum Hispanæ Traditiones, quomodo potuere conservari, & conservatæ sunt Traditiones Christianæ sub imperio Gentilium? qui quandoque, vel suis ipsis usum linguæ tam severè coercebant, ut dixerit Cornelius Tacitus in vitâ Agricolæ, capite 2.

> *Dedimus profectò grande patientiæ documentum, & sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones, & loquendi, audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostrâ potestate esset oblivisci, quàm tacere.*

Si autem Christiani à Gentilibus oppressi transmiserunt ad posteros Traditiones Primitivæ Ecclesiæ, quidni potuerint Hispani, vel sub jugo Barbarorum gementes transmittere ad nos Traditiones suas, maximèque eam, quæ inter omnes est clarissima, & honorificentissima, Traditionem, inquam, de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi?

2051 Respondeo secundò, me adduci non posse, ut credam,

credam, illud argumentum ſeriò propoſitum fuiſſe ab eo Viro, utpote in quem cadere non poteſt ea Hiſtoriæ ignorantia, ex quâ (etiamſi deſit libido veritatem oppugnandi) oriri ſolet negatio expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, ut dixi numero 31. Quis enim neſcit, non omnes Hiſpanos à Mauris fuiſſe interfectos? Quis ignorat, Hiſpanos ſuperſtites potuiſſe tradere poſteris ſuis, quæ à maioribus acceperant? Quem fugit, Barbaros adeo non prohibuiſſe Chriſtianis committere fidelibus filiorum auribus ea, quæ à parentibus, aviſque audierant, ut etiam pluribus in locis iis permiſerint Sacrorum, avitæque Religionis uſum? Quem denique latet, plura Hiſpaniæ loca permanſiſſe ſemper Barbaris inacceſſa? Legantur Hiſtoriæ Hiſpanæ Heroes, Ambroſius Morales, lib. 12. cap. 76. & 77. Stephanus Garibay, lib. 8. cap. 49. & 50. Joannes Mariana lib. 5. cap. 25. e 27. Legatur Clariſſimus Ferreras tomo 4. Hiſtoriæ Hiſpaniæ, ad annum Chriſti 713. & 714. Legatur denique Reverendiſſimus Pater Fr. Franciſcus de Berganza, Diffinitor Generalis Ordinis Sancti Benedicti, illius, inquam, Sanctiſſimi Ordinis, per quem ſtat Reſpublica literaria, cùm propter ingentem librorum copiam, ab ipſius Patribus editorum, tum propter plurima veterum Authorum ſcripta in ipſius Bibliothecis, adverſus temporis tyrannidem tutiſſimè conſervata, per quem revixit, floretque Monaſtica diſciplina, per quem longè, latèque propagata eſt Chriſtiana Religio. Legatur, inquam, hujus Sanctiſſimi, & Sapientiſſimi Ordinis digniſſimus filius Pater Berganza, tomo 1. egregii operis inſcripti: *Antiguidades de Eſpaña*, lib. 2. cap. 1. num. 2.

2052 Reſpondeo tertiò, etiamſi nullus Hiſpaniæ locus manſiſſet liber à poteſtate Maurorum, (quod eſt contra Hiſtoriæ fidem) & etiamſi Barbari coegiſſent Hiſpanos ſibi ſubjectos tacere Traditiones ſuas (quod eſt æquè falſum)

Digitized by Google

falsum) nunquam tamen potuisse prohiberi Hispanis, qui relictâ tunc Patriâ, per totum Orbem dispersi sunt, ne exteris nationibus narrarent Traditiones suas, quas apud illas conservarent, aliisque communicarent. Constat enim multos ex Hispaniâ confugisse in Italiam, Germaniam, & Angliam, pluresque in Galliam Hispaniæ viciniorem, alioſque in aliasque Christiani Orbis provincias, usque ad Hiberniam, & Græciam, ut asserit gravissimus Author Stephanus Garibay, lib. 8. cap. 49. Et hinc fortasse est, quòd tot Authores antiqui exterarum nationum ab octavo sæculo, quo contigit illa Hispanorum dispersio, narrarunt expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi. Unde mirum non est, ab octavo sæculo invaluisse etiam apud exteras nationes sententiam de adventu Sancti Jacobi in Hispaniam; sicuti enim ex irruptione Turcarum in Græciam, dispersis undique Græcis, venere in Italiam, Galliamque Græcæ literæ, ita dispersis undique Hispanis, fugientibus sævitiam Barbarorum, pervagatæ sunt per totum Orbem Christianum Hispanæ Traditiones.

2053 Respondeo quartò, non potuisse intercidere Traditionem de expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, etiamsi Hispani viventes eo tempore, quo Barbari Hispanias occupavere, tenuereque, de illâ tacuissent; nam perseverabat ipsa Traditio, scripta in libris antea scriptis, quos Christiani, dum fugerent Barbarorum arma, secum asportabant, ut legimus feciſſe Urbanum Archiepiscopum Toletanum, de quo ait Mariana lib. *6*. cap. 24. se recepisse in Asturicensem tractum, secumque asportasse libros Sacros, operaque Sanctorum Isidori, Ildephonsi, & Juliani, utpote quæ erant thesauri longè pretiosissimi. Idem scribit Ambrosius Morales, tomo 2. lib. 12. cap. 71. Addo, relictos fuisse Toleti, & ubicumque permittebatur Hispanis usus Christianæ Religionis, libros Officii Gothici,

thici, quod deinde dictum eſt Mozarabum; quibus in libris legebatur, & etiam num legitur, expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, ut oſtendimus numero 1377. loquentes de Sancto Iſidoro, & numero 1423. loquentes de Sancto Juliano, & denique num. 1817. dum ageremus de Officio Mozarabo.

2054 Ex dictis conſtat, irruptionem Barbarorum officere non potuiſſe tranſmiſſioni Traditionis de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, illamque potuiſſe conſervari, & conſervatam fuiſſe toto tempore, quo Barbari Hiſpaniâ potiti ſunt, & ad nos uſque veniſſe integram, & illibatam.

2055 Prætereo de Hiſtoriis Sanctorum plura ad nos perveniſſe ex Divinâ revelatione, poſt plures elapſos annos, à re narratâ, ſive quòd nunquam antea cognita fuerint, ſive quòd eorum memoria pridem interierit, & poſt longam annorum ſeriem, revelante Deo, ex oblivionis tumulo iterum prodierit rediviva. Cùm autem Deus ſit teſtis oculatiſſimus omnium, qui nec fallere, nec falli poſſit; & cùm ſit æternus; omnis Traditio, quæ ortum habet ex revelatione Dei, reducitur ad principium, quod negari non poteſt (admiſsâ revelatione) eſſe coætaneum rei narratæ; cujus plura ſuppetunt exempla in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ. Unde quæ narrantur à Sanctis Viris, non rarò cognita ſunt ex revelatione Divinâ: ergo non eſt deneganda fides illis, etiamſi aſſerant rem, cujus priſci Scriptores non meminerint. Cùm enim loqui potuerint ex Divinâ revelatione, eorum dicta oriri potuere ab æternâ Veritate, ad maiorem Dei gloriam.

2056 A' Traditione, quæ naſci poteſt poſt multa ſæcula, ex privatâ revelatione, gradum facimus ad ipſas revelationes, quæ conſtituunt etiam claſſem teſtium, aſſerentium expeditionem Hiſpanicam S. Jacobi Zebedæi.

SEC-

## SECTIO IV.

### *Multiplex revelatio favet sententiæ affirmanti expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi.*

2057 POstquam ostendimus, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi testatam esse ab Authoribus ex toto Orbe Christiano collectis, à Traditione Ecclesiarum Hispaniæ, aliarumque, imò jam à Traditione totius Ecclesiæ Romanæ; sequitur exponendum, quâ ratione sententiæ illam expeditionem affirmanti faveant Divinæ revelationes, tam privatæ, quàm universales, seu Canonicæ; quod duplici Assertione præstabitur; una, quâ affirmatur, hanc expeditionem à pluribus revelationibus privatis doceri; altera, quâ ostenditur tantum abesse, ut hæc expeditio repugnet Sacræ Scripturæ, publicisque revelationibus, ut imò potiùs illis sit maximè consona.

## ASSERTIO LXIII.

### *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi docetur à pluribus revelationibus privatis.*

2058 QUanta sit authoritas privatarum revelationum, docent Theologi, ex quibus Doctor eximius Magnus Suarius, tomo de Fide Disput. 19. Sect. 5. num. 11. ait:

*Certum est committi peccatum hæresis, pertinaciter resistendo revelationi Divinæ sufficienter propositæ, etiamsi privata sit.*

Quæ ſunt cohærentia iis, quæ dixerat Diſput. 3. Sect. 10. num. 5. ibi:

> *Aſſero primò, revelationem privatam ſufficienter propoſitam, in quâcumque materiâ verſetur, ſufficere ad aſſenſum Fidei ejuſdem ſpeciei, & ejuſdem habitûs cum aliis aſſenſibus Fidei Catholicæ, & conſequenter talem revelationem ad objectum formale Fidei ſufficere.*

2059 Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo, de Fide Diſput. 1. Sect. 11. num. 228. ait.

> *Quamvis aliquando tot concurrunt motiva, ut non poſſim prudenter negare veritatem rei revelatæ, imò aliquando etiam non poſſim dubitare per actum poſitivum, dicendo: dubito de veritate revelationis, & rei revelatæ; non tamen apparet obligatio credendi poſitivè* &c.

Unde ex Sapientiſſimo Cardinale dantur caſus, in quibus non poſſet dici: *Dubito de veritate revelationis privatæ, & rei revelatæ.*

2060 Clariſſimorum Siderum Societatis Jeſu, Magni ſcilicet Suarii, & Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo ſententia confirmari poteſt exemplo Sancti Ignatii de Loyolâ, ipſius Societatis Solis, qui *claris adeo* (verba ſunt Breviarii Romani) *illuſtrationibus à Deo recreatus, ut poſtea dicere ſolitus ſit, ſi Sacræ literæ non extarent, ſe tamen pro Fide mori paratum ex iis ſolùm, quæ ſibi Manreſæ patefecerat Dominus.*

2061 Hæc autem optimè ſtant cum ſolidâ doctrinâ Reverendiſſimi, & Sapientiſſimi Patris Arbiol, in Selectis Diſputationibus, tractatu de revelationibus privatis, Diſput. 2. artic. 14. numero 145. ubi ait:

> *Privata revelatio, & pius noſter aſſenſus nil generat in nobis, niſi opinionem probabilem de earum veritate.*

Nam Doctor eximius ſolùm loquitur de revelationibus privatis, ſufficienter propoſitis; & Eminentiſſimus Lugo de

Digitized by Google

de revelationibus, quas plura comitantur motiva, allicientia ad firmum assensum; quæ, an adsint privatis revelationibus pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, hîc nolo disputare; nobis enim hîc satis est ostendere, illam ex producendis revelationibus saltem reddi probabilem, ut à nostrâ sententiâ repellamus falsitatis notam, quam illi per summam injuriam inuri, tentatum nuper est.

2062 Neque novum est revelationibus privatis inniti Historias Ecclesiasticas, ut videre est apud illarum Authores, & in solis Breviario, & Martyrologio Romanis reperiuntur plures quam centum revelationes; &, ut alias prætream, revelatione cognita sunt nomina Sanctorum Quatuor Coronatorum, Severi, Severiani, Carpophori, & Victorini. Revelatione inventa sunt corpora Sanctorum Habacuc, & Michææ, Prophetarum; Sancti Antonii Abbatis, Sancti Basilei, Sancti Acacii; Sanctorum Gervasii, & Porthasii; Sanctorum Stephani Prothomartyris, Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis; Sanctorum Euvaldorum, Sancti Quintini, & Sanctorum Severini, Exuperii, & Feliciani. Revelatione inventum est Euangelium Sancti Matthæi unà cum corpore Sancti Barnabæ Apostoli. Quidni igitur comprobetur revelationibus expeditio Hispanica Sancti Jacobi?

2063 Hocque redditur credibilius ex eo, quòd de Sancto Jacobo plures extiterint revelationes privatæ, ut ea, quam habuit Pelagius Eremita de loco ubi latebat sepultum corpus Apostoli; & quam postea habuerunt alii Christiani, quamque retulerunt Theodomiro Episcopo Irienſi. Et tertia facta eidem Episcopo post orationem, jejunia, aliaque pietatis exercitamenta, quâ & lumina, & Angelicæ voces ipsi Sacrum tumulum patefecere, ut ex fidedignis monumentis scribit idem D. Maurus Castella Ferrer in Historiâ Sancti Jacobi, lib. 3. cap. 1. fol. 218.

verſ. & 219. Alia etiam ſcribitur revelatio, facta Epiſcopo Stephano, cui apparuit armatus tamquam miles Sanctus Jacobus, pridie quam Conimbricam in ſuam redigeret poteſtatem Rex Ferdinandus Magnus, anno ſexageſimo quarto ſupra milleſimum, ut refert idem Caſtella Ferrer eodem lib. 3. cap. 22. fol. 348. Etiam duplicem revelationem habuere de Sancto Jacobo Sancta Gertrudes, & Sancta Birgitta, ut infra videbimus. Aliam revelationem de Sancto Jacobo ſibi factam ſcribit Callixtus II. in Epiſtolâ ad Cluniacenſes, quam refert D. Michael Erze Ximenes, in libro de Prædicatione Sancti Jacobi, parte 1. tract. 1. cap. 10. fol. 20. & 21. Idem etiam Callixtus II. Sermone 1. de Beato Jacobo, qui extat in Maximâ Bibliothecâ Patrum Aniſſonianâ, tom. 20. paginâ 1280. F. ait:

> *Sicut corpus vigilandum inter vigilantes ſiſtitur, ſic veraciter Beatus Jacobus inter vigilantes ſuos eorum preces, coram Deo deferens commoratur. Multi enim teſtantur, in ejus feſti Vigiliâ, dum vigilabant; ſe eum in Apoſtolicâ effigie vidiſſe.*

2064 Innumeras Divi Jacobi apparitiones referunt D. Michael Erzo Ximenes, in opere de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, parte 1. tract. 6. cap. 7. fol. 134. verſ. Reverendiſſimus Pater Hieronymus Pardo, Clericorum Regularium Minorum Ex-Provincialis, in opere Hiſpanico inſcripto: *Excelencias del glorioſo Apoſtol Santiago*, parte 2. libro 4. cap. 11. à pag. 280.

2065 Cùm igitur tot fuerint de Sancto Jacobo revelationes, tot illius apparitiones, quid mirum, ſi nonnullæ revelationes teſtentur, ipſum prædicaſſe in Hiſpaniâ? Imò mirum eſt, non fuiſſe multò plures, quibus id affirmaretur.

2066 Doctor D. Joſephus Felix de Amadâ, in libro inſcrip-

Digitized by Google

inscripto: *Compedio de los milagros de Nuestra Señora del Pilar*, edito Cæsarauguſtæ, anno 1680. cap. 2. pag. 32. asserit, aliquot produci posse revelationes pro fundatione sacelli Cæsarauguſtani, à Sancto Jacobo erecti; sed duas tantum refert: easdem adducit Reverendissimus Pater Fr. Antonius de Arbiol, in suâ Hispaniâ Felici; & ipsas duas producit Reverendissimus, & disertissimus Pater Aranaz, in eruditissimo opere inscripto: *El Cetro de la Fé Orthodoxa*, pag. 454. & 456. Tertiam addit Reverendissimus Pater Fr. Ludovicus Urquiola, in libro inscripto: *Sagrada Columna de España*, pag. 325. ego verò quartam adjungam.

2067 Nolo asserere, expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi fuisse revelatam Sanctæ Gertrudi, vel Sanctæ Birgittæ; non prætermittam tamen describere utramque de Sancto Jacobo revelationem, ut Lectores disquirant, an ejus prædicatio in Hispaniâ ab ullâ earum innuatur. In primis in libro 4. Vitæ, & Revelationum Sancta Gertrudis, cap. 49. in Festo Sancti Jacobi dicitur:

> *Glorioſi Apoſtoli Jacobi Maioris feſto apparuit huic* (Sanctæ Gertrudi) *idem Apoſtolus, honorabiliter nimis exornatus meritis omnium peregrinorum, corporis ipſius Sanctas Reliquias venerantium. Unde iſta* (Sancta Gertrudes) *multum admirans, requiſivit à Domino, cur ipſum præ cæteris Apoſtolis tali honore extuliſſet, ut ſcilicet de longinquis regionibus Populus ad ejus Reliquias colendas concurrat devotiori ſtudio, quàm ad tumbas Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aut aliorum Apoſtolorum, & Sanctorum. Reſpondit Dominus: Ego hunc dilectum mihi Apoſtolum, hoc ſpeciali privilegio inter cæteros ſublimavi, propter fervidum zelum, quo incitabatur amore mei ad ſalutem animarum. Unde quia æternâ prædeſtinatione meâ ordinante tam citò ſublatus eſt à corpore, quòd non prævaluit tantam multitudinem Populorum*

*pulorum ad Fidem convertere, ſicut ad laudem meam deſiderabat. Idcircò voluntas ejus bona in conſpectu meo ſemper vigens, & vivens mihi per omnia placens, hoc promeruit, ut quod, morte præoccupante, in hâc vitâ omiſit, hoc nunc poſt mortem ſuam, uſque in finem Mundi per hoc ſuppleatur, quod tam multi ſignorum miraculis ad tumbam ejus crebreſcentibus moti devotâ peregrinatione ipſum viſitantes, à peccatis abſolvuntur, & in Fide Catholicâ roborantur.*

2068 Illud certè in hâc revelatione aſſeritur, Sanctum Jacobum fervido zelo incitatum fuiſſe amore Chriſti ad ſalutem animarum. Deinde non potuiſſe tantam multitudinem Populorum ad Fidem convertere, ſicut ad laudem Chriſti deſiderabat. Et tandem quod ex peregrinis obtineat, quod ex auditoribus, morte præoccupante, obtinere non potuit, nempe viſitantes à peccatis abſolvi, & in Fide Catholicâ roborari. Ex quibus alii viderint, an illius expeditio Hiſpanica confirmetur, an extra Judæam, an in Hiſpaniâ aliquam, ſed non tantam multitudinem Populorum, quantam deſiderabat, converteret. Cùm hodie in Hiſpaniâ per illius viſitationem tot à peccatis ſolvantur, tot in Fide Catholicâ confirmentur. Proculdubio hæc valdè conformia ſunt iis, quæ de Sancto Jacobo dicunt illius expeditionis Hiſpanicæ Aſſertores.

2069 Etiam ex Sanctæ Birgittæ Revelationibus extravagantibus, cap. 34. cognoſcitur ardor prædicationis Sancti Jacobi, ibi enim dicit Chriſtus Dominus:

*Secundum verò altare ad dexteram ſit Jacobi filii Zebedæi, qui per patientiam, & ardorem prædicationis primum meruit præ aliis glorificari.*

Quidni iſte ardor prædicationis egerit in Hiſpaniam fulminis inſtar Jacobum Filium tonitrui? Quidni citò accepto ſpiritu vehementi in die Pentecoſtes, celeriter fluxerit

xerit in Hiſpaniam Jacobus filius Zebedæi, qui interpretatur *Fluxus vehemens*, ut legimus in Ariæ Montani Apparatu Sacrorum Bibliorum, verbo *Zebedæus?* Sed hæ ſint conjecturæ; ad clariora veniamus.

2070 Anno 816. quo repertum eſt corpus Sancti Jacobi, revelaverunt Angeli (ut videre eſt apud Marianam lib. 7. cap. 10.) loca Sancti Jacobi viventis præſentiâ ſanctificata, quod nihil aliud eſt, quàm revelaviſſe expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

2071 Celeberrima eſt apparitio, quâ Sanctus Jacobus viſus fuit à Rege Ramiro, ipſumque alloquutus fuit, dicens:

> *Nunquid ignorabas, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus alias provincias aliis fratribus meis diſtribuens, totam Hiſpaniam meæ tutelæ per ſortem deputaſſet, & meæ commiſiſſet protectioni?*

Conſtant hæc ex voto Ramiri Regis, eo nomine primi, quo ream fecit Hiſpaniam pendendi modium frumenti quotannis per jugera Beati Jacobi Apoſtoli Templo Compoſtellano. Extat autem hujus voti exemplar apud Marianam, ad calcem Diſputationis de adventu Sancti Jacobi, à pag. 29. & apud alios.

2072 Si igitur Chriſtus dedit Sancto Jacobo Hiſpaniam, ſicut aliis Apoſtolis dedit alias provincias, cùm reliquis Apoſtolis dederit provincias, ut in illis prædicarent, & illi in ipſis prædicaverunt; etiam dedit Hiſpaniam Sancto Jacobo, ut in illâ prædicaret, idque ipſe Apoſtolus præſtitit, ut alii Apoſtoli in ſuis provinciis; dicendumque eſt, hoc ſignificari per revelationem factam Ramiro Regi.

2073 Anno 1228. Legionenſium Rex Alphonſus IX. recepit de poteſtate Maurorum, quos prælio fudit, Emeritam Urbem (quæ olim Caput fuit antiquæ Luſitaniæ)

niæ) die decimâ Decembris, quæ eſt Sacra Sanctæ Eulaliæ Virgini, & Martyri Emeritenſi, & pervigilium Sancti Damaſi, Pontificis Maximi Luſitani, quo in prælio dicitur apparuiſſe Sanctum Jacobum, & Sanctum Iſidorum, alioſque Sanctos, albis veſtibus indutos, qui Chriſtianis addebant animos, Mauriſque terrorem incutiebant. Ante hujuſmodi prælium apparuit Sanctus Iſidorus quibuſdam Zamoræ incolis, eos hortatus ad illam expeditionem, ut ait Ægidius Gonzales de Avilâ in Theatro Zamoræ pag. 389. ubi dicit, Sanctum Iſidorum ſe vocaſſe *Vicarium Sancti Jacobi*, quod eſt inſigne teſtimonium prædicationis Sancti Jacobi in Hiſpaniâ; ſi enim Sanctus Jacobus non extitiſſet Prædicator Hiſpaniæ, non gereret illius vices Sanctus Iſidorus Doctor Hiſpaniæ, quem Sanctus Braulio vocat ſucceſſorem Sancti Jacobi, ut ſupra vidimus numero 1417. Cùm autem Sanctus Iſidorus hoc dixerit jam Beatitudine perfruens, habemus Sancti Iſidori revelationem de prædicatione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, factam illis Zamorenſibus.

2074 Expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi fuiſſe revelatam etiam Sanctiſſimo Viro Amadeo Luſitano, ſcribit eruditiſſimus Scriptor, de Luſitanâ Sanctitate optimè meritus, Georgius Cardoſo, in Agiologii Luſitani tomo 3. in Commentario ad diem 15. Maii. Quis autem, & quantus fuerit Vir Amadeus, plenè ſcribunt Lucas Waddingus, tomo 6. & 7. Annalium Fratrum Minorum, & in Scriptoribus Ordinis Minorum, ubi dicit Amadeum ſatum ex genere Comitum Villæ Regiæ, quod quidem intelligendum eſt de materno genere, nam Eliſabetha Meneſia, mater Amadei, filia fuit Petri Meneſii, Comitis Villæ Regalis; pater verò Amadei fuit Rodericus Gomeſius Sylvius. Poſt Waddingum ſcribit de Amadeo Arturus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano, die 10. Auguſti,

Digitized by Google

Augusti, in cujus Commentario plurimos Authores refert. Postea scripsit Amadei vitam Hieronymus Mascarenhas, Episcopus Segovienſis; & Vir Clarissimus, cujus memini num. 1500. D. Ludovicus Salazar & Castro, in Historiâ Domûs Sylviæ, tom. 2. lib. 6. cap. 4. & novissimè Reverendissimus Pater D. Antonius Caietanus Sousa, Clericus Regularis, Sancti Officii Censor, Bullæ Sanctæ Cruciatæ Consultor, Vir mihi sacro amicitiæ fœdere junctissimus, Regalis Academiæ Socius, in Agiologii Lusitani tomo 4. (quem prælo paratum habet) die 10. Augusti, lit. A. ego tamen hâc revelatione non utor ad probandam expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, idque duplici ex causâ; prima est, quia non legi in Novâ Apocalypsi Amadei hanc revelationem; nam licèt Waddingus asserat, innumera esse ejus libri exemplaria, ego tamen vix unum integrum vidi in Tabulario Domûs nostræ Sanctorum Apostolorum Neapoli, cùm nihil minus curarem, quàm scribere de expeditione Sancti Jacobi. Fragmenta autem, quæ penes me habeo ejusdem Apocalypseos, cùm scripta sint caractere Germanico, & lectu difficili, non nimis solicitus fui de hâc revelatione in illis inveniendâ, tum quia Cardoso non citat libri locum, cùm maximè propter secundam ex duplici causâ, quam supra innui, quia scilicet illud Amadei opus reperitur adeo corruptum ab aliorum audaci manu, ut jam dudum scripserit Marcus Ulyssiponensis, ex Ordine Minorum, ad Episcopatum Portuensem assumptus, in Chronicis Ordinis Minorum, tom. 3. lib. 6. cap. 30. fol. 179. eum librum jam non esse Fratris Amadei, sed eorum, qui ipsi addere voluerunt, quidquid sibi libuit. Unde venio ad certiora.

2075 Certè expeditio Hispanica Sancti Jacobi revelata est Venerabili Dominico à Jesu Mariâ, Carmeli Excalceati Præposito Generali, dicto *Ruzola*, ex cogno-

mine Gentilitio, Viro eximiæ Sanctitatis, Diviniſque revelationibus illuſtratiſſimo, ut conſtat ex illius Ordinis Annalibus, tam Latino, quàm Hiſpanico ſermone conſcriptis; Viro, de quo in Sanctorum album referendo, agitur apud Sedem Apoſtolicam. Huic igitur apparuit Sanctiſſima Virgo Deipara, ipſique dixit, Sanctum Jacobum veniſſe in Hiſpaniam, ab ipſâque Dei Matre, ibi ad ripam Iberi fuiſſe viſitatum. Quæ Vir modeſtiſſimus celata voluit uſque ad diem mortis ſuæ, ſed poſt illam ſcribi ad Canonicos Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ de Columnâ, vulgò *Pilar*. Hanc revelationem referunt Illuſtriſſimus Dominus D. Fr. Antonius Auguſtinus, ex Ordine Sancti Hieronymi, Epiſcopus Albarracinenſis, in libro inſcripto: *Epitome de la vida, virtudes, trabajos, extaſis, y revelaciones del V. P. Fr. Domingo de Jeſus Maria, en el ſiglo Ruzoſa, General de la Sagrada Religion de los Carmelitas Deſcalſos*, edito Cæſarauguſtæ, anno 1669. in quarto, ad finem ſecundi Prologi. D. Michael Erze Ximenes in libro de Prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, part. 1. tract. 1. cap. 19. à numero 28. D. Joſephus Felix de Amadâ, in Compendio Miraculorum Dominæ Noſtræ de Pilari, cap. 2. à paginâ 33. Reverendiſſimus Pater Fr. Hyacinthus de Aranaz, in eruditiſſimo opere inſcripto: *El Cetro de la Fé Orthodoxa*, edito Cæſarauguſtæ anno 1723. Statione 3. cap. 5. numero 14. paginâ 456. Reverendiſſimus Pater Fr. Antonius Arbiol, in *Hiſpaniâ Felici*, Reflexione 19. à paginâ 283. qui Author præter morum ſanctitatem, egregiamque ſapientiam fuit dijudicandarum revelationum peritiſſimus, ut conſtat ex ipſius Selectis Diſputationibus Scholaſticis, & Dogmaticis, tract. 4. de Revelationibus privatis.

2076 Quàm apertè ſcripſerit Venerabilis Pater Fr. Didacus Murillo, Ordinis Minorum, expeditionem Hiſpanicam

panicam Sancti Jacobi, fundatumque ab ipso sacelum Cæsaraugustanum à Columnâ dictum, perspiciet qui legerit egregium illius volumen, de hoc argumento sæpiùs à nobis citatum; in quo non solùm narrat, sed egregiè propugnat, Sanctum Jacobum venisse in Hispaniam, & extruxisse illud sacellum; illudque testatus est adactus à sanctiori imperio Superioris sui, *se quidquid scripserat spectans ad illam Historiam, exarasse assistente sibi verè Dei Matre, prout extat supra columnam.* Quo significatur, Venerabilem Virum etiam ex revelatione agnovisse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi. Hoc testimonium refert Doctissimus Urquiola, in *Sacrâ Columnâ Hispaniæ*, lib. 3. capite 1. pag. 325. ex Amadâ in Discursu Juridico pro columnâ pag. 41. Notâ marginali, pag. 93. testimonioque jurato Patris Fr. Joannis Calderon, qui illi Venerabilis Patris Didaci Maurillo morientis declarationi interfuit.

2077 Etiam revelatam fuisse expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi Venerabili Matri Mariæ de la Antigua, legitur in ipsius operibus, libro 11. cap. 13. pag. 542. quartæ editionis, Barcinone anno 1720. Quanti ponderis sint hujus Famulæ Christi revelationes, videri potest ex secundâ parte Introductionis ad illius opera ipsis præfixæ, & ex approbatione Reverendissimi Patris Joannis de Cardenas, Societatis Jesu, Viri ex editis Theologicis voluminibus toto Orbe notissimi, ipsi volumini præfixâ.

2078 Postremò reperitur expeditio Hispanica Sancti Jacobi, clarissimè revelata V. M. Mariæ de Jesu, Abbatissæ Monasterii Agredæ, in opere inscripto: *Mystica Ciudad de Dios*, part. 3. lib. 7. capite 16. à num. 346. pag. 229. & lib. 8. cap. 1. à numero 382. pag. 251. numero autem 326. cap. 16. libri 7. dicitur, Sanctum Jacobum ex Toleto transisse in Lusitaniam, & hinc in Gallæciam.

2079 Quanti autem faciendæ sint revelationes V. M.

Mariæ à Jeſu, docent in primis illius operis approbatores Doctiſſimi, inter quos eminent Pater Andreas Mendo, Societatis Jeſu, ex pluribus Theologiæ Moralis voluminibus, quæ edidit notiſſimus. Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Fr. Didacus à Sylvâ, ex Abbate Generali Ordinis Sancti Benedicti, Epiſcopus Accitanus, pluribus editis voluminibus in Summam Theologicam Sancti Thomæ, & eruditiſſimo, ſpiſſoque volumine in Geneſim celeberrimus. Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Michael de Eſcartin, Epiſcopus Tarraconenſis, in cujus Diœceſi vixit, & obiit Venerabilis Mater Maria à Jeſu, qui luculentiſſimo teſtimonio illius opera approbavit, & commendavit. Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Fr. Joſephus Ximenes de Samaniego, ex Miniſtro Generali Ordinis Minorum, Epiſcopus Placentinus, in Prologo Galeato, quem præfixit primæ parti Myſticæ Civitatis Dei, & in Notis ad ipſam primam partem. Et Sapientiſſimus Pater Fr. Joannes Sendin Calderon, in Notis ad ſecundam, & tertiam partem ejuſdem operis. Doctiſſimus Pater Fr. Joannes Riquelme, in Manifeſto Defenſorio primæ ex tribus partibus operis Venerabilis Matris Mariæ à Jeſu, pag. 149. §. *Vel igitur.* Eruditiſſimus Pater Fr. Antonius Rodriguez Feijoo, in Catholico Myſticæ Dei Civitatis Præſidio, edito Salmanticæ, anno 1700. in fol. capite 3. articulo 1. à paginâ 571. Sapientiſſimus Pater Arbiol, in Certamine Mariano Pariſienſi, edito Cæſarauguſtæ, anno 1698. in quarto, à numero 44. & numero 60. & in Hiſpaniâ Felici, parte 2. reflexione 1. à paginâ 72. uſque ad 92. & alii Clariſſimi Viri ab ipſo relati, quibus addo Sapientiſſimum Pater Fr. Gabrielem de Noboâ, in Paleſtrâ Marianâ Apologeticâ, duobus voluminibus editâ, ſecundò Salmanticæ anno 1699. in quarto, qui licèt totum opus impendat approbationi illarum revela-

revelationum, tamen in Prologo præfixo primæ parti adducit in teſtes plures ſummos Viros, qui Myſticam Dei Civitatem, hoc eſt, revelationes V. M. Mariæ à Jeſu approbavere. Unde prudentiſſimè præſtari poteſt fides ejuſmodi revelationibus, in quibus dilucidè enarratur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, quocirca notanda eſt doctrina ejuſdem Patris Noboa, in eâdem Paleſtrâ Marianâ, parte 2. certamine 15. Propugnaculo 14. Corollario 8. num. 450. ubi ait:

> *Notandum eſt ſemper, quòd ad propoſitiones revelatas nulla alia efficax probatio requiritur, niſi quod non repugnent regulis Fidei, bonis moribus, Sanctis Patribus, aut concordi doctrinæ Theologorum, aſſertæ conſequenter ad principia Fidei. Alioquin non poſſent dari revelationes de factis hucuſque abſconditis, & arcanis, quæ tamen potuerunt evenire, vel non evenire.*

2080 Poſtremò, ad dignoſcendum, quàm dignæ fide ſint hæ revelationes privatæ de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, maximè conducet legi tertium librum eruditiſſimi operis inſcripti: *Sagrada Columna de Eſpaña*, editi Cæſarauguſtæ, anno 1724. Authore Reverendiſſimo, & Sapientiſſimo Patre Fr. Ludovico Urquiola, Ordinis Minorum Provinciæ Aragoniæ, qui egregiè de hâc re diſſerit, eamque in tuto collocat.

2081 Cùm igitur toties revelata fuerit expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, nullâ aliâ indigemus probatione; jam enim oſtendimus non repugnare regulis Fidei, neque Sanctis Patribus; neque ullus dicet, illam repugnare bonis moribus, aut concordi doctrinæ Theologorum.

2082 Non me latet Danielem Papebrochium in Actis Sanctorum Maii, tomo 6. paginâ 246. edidiſſe Perergon, cui titulum præfixit: *De Sanctarum extaticarum, ſecundum ſpecies*

*ſpecies naturaliter præhabitas, durante raptu quandoque motarum dictis, factiſque ad Hiſtoriarum quæſtionum deciſiones non transferendis.* Unde argui poterit, non nimis fidendum revelationibus hucuſque adductis pro expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi.

2083 Sed movere nos non debet Papebrochius, qui in Hiſpaniâ nullius eſt authoritatis, cùm à Supremis Sanctæ Inquiſitionis Tribunalibus ſint prohibita ea, quæ ſcripſit in Actis Sanctorum, non ſolùm in noſtrâ Luſitaniâ, ſed in totâ Hiſpaniâ. Et in toto Orbe apud cordatos Viros, quibus Deus dedit pietatem cum doctrinâ conjungere, peſſimè audit hujus Authoris Critice; ut conſtat ex immenſâ congerie librorum adverſus ipſum editorum; & pro explicando illius genio, ſatis eſt liber in octavo, quem ſcripſit Camus ſub hoc titulo: *Novus Iſmael, ſive Papebrochius S. J. omnes impugnans Orbi expoſitos.*

2084 Meritò certè conqueruntur de Critice Papebrochii Auguſtiniani Patres, ut videre eſt apud Reverendiſſimum Patrem Fr. Joſephum à Sancto Antonio, Vicarium Provincialem Eremitarum Auguſtinianorum in Luſitaniâ, in opere inſcripto: *Flos Sanctorum Auguſtiniano*, in Prologo ad Lectorem §§. 7. 8. 9. & 10. Meritò exoſam habet noſtra Luſitania Criticen Papebrochii de Sanctiſſimis ſororibus Reginis Tereſiâ, & Anciâ ſcribentis, quem tamen optimè exſufflavit eruditiſſimo Opuſculo Animadverſionum, adverſus Papebrochium conſcripto, Reverendiſſimus Pater Doctor Fr. Bernardus à Caſtellobranco, olim in Curiâ Romanâ Procurator in cauſâ Canonizationis earumdem Beatarum Principum; deinde Regius Archichronologus, & Academiæ Regalis Socius, poſtremò Domnus Abbas Generalis, Reformatorque Generalis Patrum Ciſtertienſium Congregationis Alcobacenſis, Regiæ Maieſtati à Conſiliis, Maximuſque piarum Regis largitionum

gitionum Præfectus, Vir undequaque laudatiſſimus, ſeu animi candorem, ſeu Sacrarum, humanarumque literarum peritiam, ſeu virtutes, quæ ſunt Religioſi hominis, Eccleſiaſticique Antiſtitis ornamentum, ſpectares. Abſolutiſſimum Scriptorem mors invidit Hiſtoriæ Luſitanæ, ſibique præreptum præſtantiſſimum Socium maximè doluit Regalis Academia, *Ille quidem plenus annis, abiit plenus honoribus*, (ut de Virginio Ruffo ſcripſit Plinius lib. 2. Epiſtolâ 1.) & *ſupremus felicitati ejus cumulus acceſſit, laudator eloquentiſſimus*; nam juxta præſcriptum Regalis Academiæ laudatus eſt à Reverendiſſimo P. D. Emmanuele Tojalio Sylvio, Clerico Regulari, Regalis Academiæ Socio, Oratore diſertiſſimo, Scriptoreque tam Latino, quàm Luſitano ſermone, tam ſolutâ, quàm ligatâ oratione politiſſimo, de quo nihil addo, ne videar plus amicitiæ, quàm veritati dediſſe.

2085 Præterea revelationes, quas hîc retulimus, non omnes ſunt fœminarum, cùm una ſit facta Regi Ramiro, altera Venerabili Dominico à Jeſu; tertia Venerabili Patri Fr. Didaco Murillo, aliæque duæ non fuere acceptæ à Venerabili Mariâ de la Antigua, & à Venerabili Mariâ à Jeſu, durantibus raptibus. Neque ea, quæ his revelationibus confirmamus, deſtituta ſunt aliis probationibus; ſtabiliuntur enim authoritate Scriptorum, & Traditionis.

2086 Neque harum revelationum authoritatem elevat, illas factas fuiſſe viris, fœminiſque Hiſpanis; imò potiùs hoc illarum veritatem confirmat; nam maioris ponderis eſt revelatio, quæ pertinet ad accipientem, ut eruitur ex doctrinâ Cardinalis de Lugo, tomo de Fide, Diſputatione 1. Sect. 11. num. 230. ad Hiſpanos autem maximè pertinet notitia Apoſtoli, à quo primò Chriſti Fidem ſuſcepere. Hocque maximè pertinebat ad Regem Rami-

Ramirum ; pertinebat ad Venerabilem Dominicum à Jeſu Mariâ, qui multum pro Eccleſiâ Cæſarauguſtanâ laboraverat, ut conſtat ex Patre Fr. Joſepho à Sanctâ Tereſiâ, in Hiſtoriâ Carmelitarum Excalceatorum, tomo 4. Certò noſcere Sancto Jacobo apparuiſſe Cæſarauguſtæ Beatiſſimam Virginem, pertinebat ad Hiſpanos Canonicos Eccleſiæ de Pilari, quibus Venerabilis Pater voluit eam revelationem poſt mortem ſuam manifeſtari. Pertinebat denique ad Venerabilem M. Mariam à Jeſu, omneſque Aragonios agnoſcere patrocinium Virginis, à Divo Jacobo Cæſarauguſtæ cultæ, ne tantum bonum amitterent, ut pluribus oſtendit Pater Arbiol, in Hiſpaniâ Felici, parte 2. Reflexione 44. ex quibus conſtat, hanc revelationem exigere firmiorem fidem ex eo, quòd facta ſit Virgini Hiſpanæ, ut Hiſpanis propalaretur ; hincque ſcribi juſſa eſt tota illa revelatio ; cui proinde non niſi imprudentiſſimè contradici poteſt. Vel ex ipſius Papebrochii doctrinâ, erutâ non ex actis Sanctorum prohibitis, ſed ex reſponſione ad Patrem Sebaſtianum à Sancto Paulo, parte 2. articulo 20. num. 13. & 14.

2087 Ex eâdem doctrinâ Cardinalis de Lugo dicendum eſt, has revelationes de Sancto Jacobo factas Venerabilibus Didaco Murillo, Mariæ de la Antigua, & Mariæ de Jeſu, credibiliores reddi, quia omnes tres erant Franciſcani Ordinis, ad quem maximè ſpectat quidquid glorioſum eſt Sancto Jacobo Apoſtolo, in cujus Compoſtellano Templo revelavit Angelus Sancto Franciſco illud viſitanti, Minorum Ordinem per totum Orbem fore propagandum, ut nunc miramur omnes, tanto cum Eccleſiæ fructu, ut per ipſum Sanctus Franciſcus Eccleſiam ſuis humeris ſuſtinere videatur ; ut olim ab Innocentio III. viſum eſt. Quantum Eccleſia debeat ſapientiæ, & Sanctitati Franciſcani Ordinis, norunt pene omnes ; qui autem

Digitized by Google

tem id ignoraverit, legat Petrum Marchantium, in Fundamentis duodecim Ordinis Fratrum Minorum, toto titulo duodecimo, ubi reperiet, quæ pro Ecclesiâ gesta sunt à fructuosissimo isto Ordine per Asiam, Africam, Europam, & Americam, hoc est, per totum Orbem, per quem dilatatus est juxta id, quod Sancto Francisco revelavit Angelus in Compostellano Templo Sancti Jacobi, ut ex Chronicis Minorum refert D. Michael Erze Ximenes, de Prædicatione Sancti Jacobi in Hispaniâ, part. 2. tract. 3. cap. 4. numero 9.

2088 Illudant pietatis hostes præstantibus fidem revelationibus privatis; nos illis multum deferimus, quia supponimus ex doctrinâ Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 12. & Canone 16. eas dari posse, & fatemur cum Thomâ Bozio, lib. 22. de Signis Ecclesiæ Dei, unum ex signis esse decentem felicitatem Catholicorum; & cum eodem Authore ibidem capite 3. §. 14. tenemus ad hanc felicitatem spectare revelationes privatas. Credimus Sancto Paulo, dicenti ad Philippenses cap. 3. vers. 5. *Hoc vobis Deus revelabit.* Et fidem adhibemus revelationibus privatis, asserentibus expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, quia nullum est fundamentum, ex quo falsitatis arguantur; & minimè repugnant Sacris Scripturis, imò illis consonæ sunt, ut ostendemus Assertione sequenti; & huc advoco illud Innocentii III. lib. 1. Epist. 359.

> *Licèt autem secundum Apostolum, non sit credendum omni spiritui; quia tamen in tali negotio Angelus Sathanæ non transfiguraret se in Angelum lucis,* & melius est piè credere, quàm temerè dubitare. *Cùm honestum sit quod proponitur faciendum, etsi verum non esset, quod asseritur revelatum.*

# ASSERTIO LXIV.

## *Expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi eſt conſona revelationibus Canonicis, quæ proinde ipſi favent.*

2089 PRæmittere hîc libet doctrinam Jacobi Gretſeri, Societatis Jeſu, in Defenſione Bellarmini, tomo 1. de Verbo Dei, in Defenſione capitis 2. libri 4. columnâ 1529. §. *Notandum eſt*, ubi ait:

*Notandum eſt autem longè diſcriminari hæc duo: aliquid quo ad quæſtionem* eſt *ex Scripturâ probari poſſe: & illud ipſum ſuppoſitâ, vel aliunde cognitâ ejus exiſtentiâ ex Scripturis illuſtrari, & veriſimile reddi poſſe. Priori modo non ex Scripturâ, ſed ex Traditione probatur perpetua Deiparæ Virginitas. Poſteriori modo ex Scripturâ oſtendi, muniri, & declarari idem dogma poteſt. Et eadem eſt ratio Quadrageſimæ, cujus exiſtentia habetur ex Traditione non ſcriptâ; convenientia ejus, & rectitudo ex Scripturâ demonſtrari poteſt; ab exemplo videlicet Chriſti, Heliæ, Moyſis, & aliorum.*

2090 Adaptando hanc doctrinam ad rem noſtram; dico, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, licèt non poſſit probari ex Sacrâ Scripturâ; tamen cùm cognita ſit ex Scriptoribus, ex Traditione, & ex privatis revelationibus, poſſe oſtendi, muniri, & declarari ex Sacrâ Scripturâ; cùm autem hæc conſtet Veteri, & Novo Teſtamento; utrique conſona eſt hæc expeditio, ut jam oſtendo.

§. I.

Digitized by

## §. I.

## *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi est consona Scripturis Veteris Testamenti.*

2091 INter Scripturas Veteris Testamenti, quibus consona est expeditio Hispanica Sancti Jacobi, primò se se offert liber Geneseos, ubi legimus, Jacobum missum fuisse ab Isaac in Mesopotamiam, quam missionem fuisse figuram missionis Sancti Jacobi in Hispaniam, docet Venerabilis Pater Murillo in Historiâ sacelli Cæsarauguſtani, à Columnâ nuncupati, cap. 7. paginâ 51. col. 1. cui ego adderem, profectionem Jacobi in Mesopotamiam fuisse figuram profectionis Sancti Jacobi in Lusitaniam; nam Mesopotamia est regio ita dicta, quòd inter duos fluvios comprehendatur, ut omnes norunt; in Lusitaniâ autem duplex est provincia, quæ simile nomen sortita est, una enim dicitur inter Tagum, & Anam, in quam prius ingressus est Sanctus Jacobus, quàm in secundam ingrederetur, ut habemus ex V. Mariâ à Jesu, in Mysticâ Civitate Dei, part. 3. lib. 7. cap. 16. num. 326. Altera, in quam deinde ingressus est Sanctus Jacobus, est provincia inter Durium, & Minium, in quâ est Brachara Augusta, cui Sanctus Apostolus præfecit Sanctum Petrum Ratensem, ut testatur Traditio.

2092 Sed hæc fuerint accommodatitia; illud certum est, nempe, si Sanctus Jacobus prædicavit in Hispaniâ, antequam alii Apostoli ad prædicandum Gentibus proficiscerentur, ut plerique hujus expeditionis Assertores docent, prius prædicatum est Euangelium Gentibus ad Occidentem, quàm Gentibus ad Orientem; aliquis prædicavit Gentibus ad Occidentem, antequam Apostoli

prædicarent Gentibus ad Orientem ; ſed Euangelium prius prædicandum fuiſſe Gentibus ad Occidentem, quàm Gentibus ad Orientem, habemus ex libro Geneſ. cap. 28. verſ. 14. ubi Deus dixit ad Jacobum, prius dilatandum fuiſſe ad Occidentem, quàm ad Orientem, ait enim: *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem.* Hæc autem Dei promiſſio impleta eſt in prædicatione Euangelii, & propagatione Eccleſiæ per totum Orbem, ut ait Fernandius in Viſiones Veteris Teſtamenti, Viſione 2. Sect. 7. n. 3. col. 91. Cùm ergo in illâ promiſſione Dei priùs nominetur Occidens, quàm Oriens, conſonum eſt huic loco Sacræ Scripturæ priùs prædicatum eſſe Euangelium Gentibus Occidentis, quàm Gentibus Orientis, quod factum eſt expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, quæ proinde conſona eſt revelationi Canonicæ.

2093 Præterea celeberrimus eſt locus ex Pſalmo 18. verſ. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Quem à pluribus intelligi de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, teſtantur Lorinus, & Leblanc, uterque Societatis Jeſu, & uterque Gallus in eundem locum ; ex quibus hic quæſt. unicâ, articulo 2. numero 26. ait:

> *Sunt qui per Sanctum Jacobum hanc prophetiam completam eſſe velint, cùm in Galliciam Hiſpaniæ provinciam, quæ* fines terræ *dicitur, penetrarit.*

De hoc autem loco inferiùs redibit ſermo.

2094 Cùm autem dicatur, Sanctum Jacobum prædicaſſe Judæis diſperſis inter Gentes; & Gentibus, inter quas diſperſi erant Judæi, conſonat illud Iſaiæ cap. 11. verſ. 12.

> *Levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraelis, & diſperſos Judæ colliget à quatuor plagis terræ.*

Per

2095 Per Uriam Prophetam, qui egressus est ex Judæâ, & perrexit in terram Ægypti, Gentilium erroribus obnoxiam, Virum, quem reversum in Patriam suam, & occisum à Rege Joakim, ut habetur Jeremiæ cap.26. Virum, cui Sanctus Hieronymus confert, Sanctum Jacobum occisum ab Herode, ut supra vidimus Assertione 48. intelligitur figuratus ipse Sanctus Apostolus, qui postquam prædicavit in Judæâ, profectus est in Hispaniam, Gentilium errore detentam, & redux in Judæam occisus est à Rege impio.

2096 Illud Ezechielis 1. vers. 14. *Ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*, explicat Cornelius à Lapide, de Sancto Jacobo, & Joanne dicens:

> *Sanctus Jacobus, & Joannes Apostoli à Christo vocati* Boanerges, *id est, filii Tonitrui, id est, tonantes, scilicet Euangelii prædicatione, atque terrorem incutientes Gentilibus.*

Unde cernitur, Sanctum Jacobum prædicasse Gentilibus, ut asserunt plerique Assertores ipsius expeditionis Hispanicæ.

2097 Et maximè consonat iste locus Ezechielis Sancto Jacobo, qui postquam ivit in Hispaniam, reversus est in Judæam.

2098 Clarissimè consonat expeditio Hispanica Sancti Jacobi Canonicæ revelationi, ab Angelo Gabriele factæ Danieli, ut videre est Danielis cap.9. vers.27.

> *Confirmabit autem pactum multis, hebdomadâ unâ, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium.*

Quæ verba explicans Theodoretus, ait:

> *Decet autem percipere, quæ aliæ fient hebdomadæ; in hâc enim Novum Testamentum dabitur credentibus, atque omni eos virtute imbuet; & in dimidio hujus hebdomadis auferetur sacrificium, & libamen, hoc est, sacrificium*

*criſicium ſecundum legem deficiet, oblato immaculati agni, qui tollit peccata Mundi, vero ſacrificio, quo quidem in reliquum oblato illa terminabuntur, quamobrem ſtatim peracto ſacrificio, cùm ſpiritum Salvator noſter emiſiſſet, velum Templi ſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum, ea, quæ priùs cerni non poterant, conſpicua faciens, & quæ contingi, aut ad quæ adiri non licebat, ad ea aditum aperiens, cùm enim velum ſepararet à Sanctuario Sancta Sanctorum, in quibus erant Propitiatorium, & Cherubim, & Arca, fractum totum velum rebus ipſis oſtendit, quemadmodum ab interioribus partibus, quæ ibi cuſtos aſſidebat, gratia receſſerit, & communia illa facta ſint, ad quæ pridem ſoli Principi Sacerdotum aditus patebat. Quod ſi quis etiam tempus percipere cupiat, ex Euangelio Joannis cognoſcetur. Cùm enim annos circiter tres cum dimidio prædicaſſet Dominus, Sanctoſque ſuos Diſcipulos doctrinâ, & miraculis confirmaſſet, tunc paſſus eſt, ac poſt Crucem, & Mortem, & Reſurrectionem, & ad Cœlos aſcenſum, & Sanctiſſimi Spiritûs adventum, reliquum hebdomadis tempus, Sancti Apoſtoli Hieroſolymis prædicantes, & miracula edentes, multis hominum milibus ad Euangelicam doctrinam ductis, Novi Teſtamenti munus impertiti, ut Sanctiſſimi quoque baptiſmatis gratiam conſequerentur, Authores fuere. Deinde cùm Judæi in Sanctum Stephanum impia illa facinora auſi fuiſſent per oppida Judææ, populis diſſipatis, Divi Apoſtoli breve tempus Hieroſolymis commorati, Samariam, Lyddam, & Joppen obeuntes, omnibus hominibus afferre ſalutaria decreta feſtinabant. Quamobrem Divus Archangelus Beato Danieli. Confirmabit, inquit, Teſtamentum multis hebdomada una; tempore ante Crucem Domini, & quo Sancti Apoſtoli poſt Salvatoris Reſurrectionem Hieroſolymis docuerunt ſimul collecto, tum bifariam dividit hebdomadem,*

*dem, & ait, & in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium, & libamen, oblato enim vero sacrificio, finem habuit umbra Legis.*

2099 Ex hoc Danielis loco (ut rectè obſervat Doctiſſimus Bivar, ad Chronicon Dextri, anno 36. paginâ 54.) ſic à Theodoreto expoſito apertè eruitur, anno Æræ vulgaris trigeſimo ſeptimo jam prædicatum fuiſſe Euangelium Judæis, per dimidium, & alios tres annos ab Apoſtolis; nam hæc annorum hebdomada, ſeu hi ſeptem anni inceperunt à Baptiſmo Chriſti, cùm Dominus eſſet quaſi annorum triginta, ut ait Sanctus Lucas cap. 3. verſ. 23. ex quo prædicavit, juxta Theodoretum, per tres annos, & dimidium, & crucifixus eſt anno Æræ vulgaris trigeſimo quarto ineunte, cujus menſe Septembre abſolvitur anni dimidium, additiſque tribus annis, finita eſt illa hebdomas menſe Septembri anni trigeſimi ſeptimi Æræ vulgaris, & alia dimidia hebdomas, quâ Apoſtoli prædicaverunt Judæis, poſtque illam prædicaverunt omnibus Gentibus; unde ſublata eſt difficultas, expeditumque fuit iter expeditioni Hiſpanicæ Sancti Jacobi; firmataque eſt ſententia eorum, qui dixerunt, illum veniſſe in Hiſpaniam anno trigeſimo ſeptimo Æræ vulgaris.

2100 Conſonat expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi prophetiæ Abdiæ verſ. 20 *Tranſmigratio Jeruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit Civitates Auſtri*; quæ verba Nicolaus de Lyra, natione Normannus (quem Aſſertione 50. numerò 1511. laudavi) ſic explicat:

Quæ in Boſphoro eſt: *In Hebræo habetur Sepharad, id eſt, Hiſpania, ut dicit R. Salomon. Quod fuit impletum per Jacobum Apoſtolum, & ejus diſcipulos, ibi Fidem Chriſti primitùs prædicantes, & colla Gentium ſubjugantes.*

2101 Intelligendum eſſe illum Abdiæ locum de Hiſpaniâ

paniâ Chriſto ſubdendâ, docet etiam Paulus Burgenſis in Additionibus ad Poſtillam Lirani, in hunc locum dicens:

> In Sepharad, *ſcilicet in Hiſpaniâ*, poſſidebit Civitates Auſtri *impletum fuit, quando Hiſpani ante ortum nephandæ Sectæ Mahumeti poſſederunt multas Civitates in Aphricâ, ut in Chronicis habetur. Aphrica autem eſt in parte Auſtrali terræ habitabilis.*

2102 Fortaſsè hoc Abdiæ loco non ſolùm innuitur Hiſpaniæ, & Luſitaniæ converſio per Sanctum Jacobum, ut vult Nicolaus de Lyrâ, ſed etiam ratio, ob quam hæ provinciæ priuſquàm aliæ ex Gentibus, lucem Euangelii ſuſcepere; nam Luſitania, & reliqua Hiſpania futuræ erant ſolicitiores omnibus aliis Orbis provinciis in propagando Euangelio, portandoque nomine Chriſti in exteras nationes, ut Chriſtus in pervigilio, ſeu in feſto Sancti Jacobi Maioris prædixit Alphonſo Henrico, in Agro Aurichienſi, quæ Sacræ expeditiones incæpere à Civitatibus Africæ, occupatâ Septâ à Rege noſtro Joanne I. aliiſque ab Alphonſo V. Joanne II. & Civitatibus Auſtri, ſeu Americæ Meridionalis, à noſtris, & ab Hiſpanis poſſeſſis.

2103 Non tamen contenderim hæc ita intelligi in ſenſu literali, licèt hæc ſententia non careat pluribus, & Clariſſimis Patronis, & inter eos ſit non poſtremo loco numerandus Pater Caracciolus noſter, in controverſiâ de acceſſu Beati Jacobi ad Hiſpaniam, à numero 51. mihi ſatis eſt oſtendi, expeditionem illam conſonam eſſe huic loco Abdiæ, ſaltem juxta ſenſum Myſticum explicato; ut habetur apud A' Lapide, illa Abdiæ verba, *tranſmigratio Hieruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit Civitates Auſtri*, ſic explicantem.

> *Apoſtoli è Judæâ in Hiſpaniam excurrent, atque ab Auſtrali regione Gadium, & provinciæ Beticæ in alias Hiſpaniæ*

*paniæ provincias. Indeque in Africam, imò in Brasiliam, Americam, Æthyopiam (hæ enim omnes sunt ad Austrum) trajicient, eosque omnes Christo subjicient, uti fecit Sanctus Jacobus, Sanctus Paulus, eorumque successores. Magna enim gloria Ecclesiæ, æqui ac Hispaniorum, & Lusitanorum est novi Orbis, putà Indiarum Occidentalium, & Orientalium, subjugatu, & conversio.*

2104 Aliis præterea locis Veteris Testamenti consonat expeditio Hispanica Sancti Jacobi; ego tamen relatis contentus, transeo ad loca Novi Testamenti.

## §. II.

## *Expeditio Hispanica Sancti Jacobi est consona Scripturis revelatis Novi Testamenti.*

2105 QUàm consona sit expeditio Hispanica Sancti Jacobi revelationibus Canonicis Novi Testamenti, patet ex pluribus illius locis.

2106 Primò ex capite 3. Sancti Marci, ubi de Christo Domino dicitur:

*Et imposuit Simoni nomen Petrus: Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitri.*

Ex quibus verbis colligit Pater Caracciolus, in Controversiâ citatâ, utriusque Apostoli profectionem in Occidentem; numero enim 60. ait:

*Jacobus igitur, & Joannes, divina quædam fulmina extiterunt, quia sicut perhibente Christo (Matth. 24.)* Fulgur, *sive fulmen (utrumque enim Christi proposito deservit, & Hieronymus, atque Burgensis in suo Commentario utramque vocem confundunt)* ab Oriente

exit, & paret uſque in Occidentem, *ita ambo hæc Euangelii fulmina ex Oriente ad Occaſum uſque penetrarunt: Joannes quidem, cùm jubente Domitiano, Romam ductus eſt, ibique in ferventis olei dolio immerſus, illuſtre Chriſto teſtimonium protulit; JACOBUS verò cùm Hiſpanias adiit, eaſque Euangelii luce perfudit.*

2107 Quæ latiùs ibi proſequitur Sapientiſſimus Author, & poſt multa, concludit:

*Maneat igitur Jacobum, & Joannem fuiſſe duo illa Euangelica fulgura, quæ ab Oriente exorta, Occidentem quoque colluſtrarunt, iſte Italiam, ille Hiſpaniam.*

2108 Secundò ex cap. 16. ejuſdem Sancti Marci verſ. 20. ubi de undecim Apoſtolis, in quibus erat Sanctus Jacobus Maior, dicitur:

*Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Ex quibus verbis Clariſſimus Ferreras in breviſſimâ, ſed nervoſiſſimâ *Diſſertatione de prædicatione Euangelii in Hiſpaniâ per S. Apoſtolum Jacobum Zebedæum*, num. 4. conflavit maiorem propoſitionem illius ſyllogiſmi, quem jure merito vocavit ineluctabilem, cujus concluſio eſt, Sanctum Jacobum profectum fuiſſe ad Hiſpaniam ad prædicandum; imò ibi prædicaſſe. Quàm conſona eſt Sancto Marco expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, quæ ex ipſo Euangeliſtâ per ineluctabilem ſyllogiſmum probatur?

2109 Tertiò ex Actibus Apoſtolorum cap. 1. verſ. 8. ubi Chriſtus Dominus jam jam in Cœlum aſcenſurus, undecim Apoſtolis, in quibus erat Divus Jacobus, non verò Divus Paulus, dixit:

*Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ.*

Cui textui egregiè conſonat expeditio Sancti Jacobi in Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpaniam, quæ proculdubio eſt ultimum terræ antiqui Orbis.

2110 Pluribus aliis locis Novi Teſtamenti cohæret expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi, quæ prætereo; unum tamen non pigebit iterum referre, licèt jam aliàs (Aſſertione 12. numero 296.) memoratum, quod hîc valdè appoſitè adducendum, quia pleraque alia jam allata connectit, & probat id, quod hâc Diſſertatione ſuſcepimus oſtendendum, nempe, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex Sancto Paulo Apoſtolo confirmari, & eſt illud ad Romanos 10. verſ. 18. ubi Apoſtolus ait:

> *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

Et ſi diligenter attendatur, quater, vel quadrupliciter affirmat, antequam ipſe venerit in Occidentem, jam in his provinciis auditum fuiſſe Euangelium. Nam loquens de habitatoribus univerſæ terræ tunc detectæ, & in cujus medio erat Jeruſalem, in quâ Chriſtus operatus erat ſalutem, juxta prophetiam Davidis, Pſalm. 73. verſ. 12.

> *Deus autem Rex noſter ante ſæcula: operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

Eloquenter aſſerit, jam anno, quo ipſe illam Epiſtolam ſcribebat (ſcribebat autem ante ſuum adventum in Hiſpaniam, ut ipſe teſtatur ibidem cap. 15.) eos audiviſſe Euangelium; ait enim primò: *Nunquid non audierunt?* Qui eſt elegans modus affirmandi eos audiiſſe, vel negandi, eos non audiviſſe, ut ait Sanctus Hieronymus in cap. 2. Abacuc, loquens de ſimilibus interrogationibus; nam ut docet Quintilianus lib. 9. Inſtitution. Orator. cap. 2. interrogatione *acrior, & vehementior fit probatio.*

2111 Deinde ait, jam tunc Apoſtolos prædicaviſſe in univerſâ terrâ cognitâ: *Et quidem in omnem terram exivit*

*ſonus eorum.* Idque non ſolùm ait, ſed aſſeverat; id enim innuit conjunctio illa expletiva *quidem.*

2112 Denique explicatiùs innuit Hiſpaniam, Luſitaniamque, dum dicit: *Et in fines Orbis terræ verba eorum.* Quibus teſtatur, non ſolùm omnes Apoſtolos jam docuiſſe omnes Gentes, ut Dominus juſſerat, S. Matth. 28. 19. jam prædicaviſſe *ubique*, ut Sanctus Marcus ſcripſerat; ſed ſignatè Sanctum Jacobum, qui tamquam fulgur venerat in Occidentem; & teſtis Chriſto fuerat uſque ad ultimum terræ, ut Dominus juſſerat Act. 1. 8. Quæ impleta eſſe non poterat, niſi jam præceſſiſſet expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi; quæ proinde ex Sancto Paulo Apoſtolo confirmatur; conſonaque eſt revelationibus Canonicis utriuſque Teſtamenti.

## SECTIO V.

### *Suadetur ſententia affirmans expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex inconvenientibus ſententiæ contrariæ.*

2113 POſtquam Divus Paulus 1. Corinth. 15. contra Cherinthum probavit reſurrectionem mortuorum oſtenſione Reſurrectionis Chriſti ex Scripturâ, ex Traditione, ex revelatione. Illam etiam probavit, ut obſervat Sanctus Thomas hîc, ex inconvenientibus ſententiæ illam negantis; & quidem probavit ex Scripturâ, dicens: *Reſurrexit tertiâ die ſecundam Scripturas.* Probavit ex Traditione, dicens: *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi.* Probavit ex revelationibus, & apparitionibus, dicens:

*Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim: deinde viſus eſt pluſ-*

*plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt: deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissimè autem omnium, tamquam abortivo visus est mihi.*

Ex quo infert resurrectionem mortuorum, dicens:

*Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?*

Et urget argumentum ab inconvenientibus, quæ sequerentur, si non esset resurrectio mortuorum, dicens:

1. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.*
2. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra.*
3. *Inanis est & Fides vestra.*
4. *Invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.*
5. *Quod si Christus non resurrexit, vana est Fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris.*
6. *Ergo, qui & dormierunt in Christo, perierunt.*
7. *Si in hâc vitâ tantum, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

2114 Quam Divi Pauli ratiocinationem laudat Sanctus Epiphanius à subtilitate, & efficaciâ; nam contra 28. Hæresim, hoc est, contra Cherinthianos, ubi de illis ait:

*Horum verò aliqui Christum non dum surrexisse prædicant: verum resurrecturum esse cum omnibus. Aliqui verò, quòd omninò mortui non resurgent. Quapropter Apostolus medium se interponens, utrosque hos, ac reliquas hæreses eadem opera subvertit, & in tractatione de mortuorum resurrectione, & in testimoniis, quæ subtiliter persequi-*

*ſequitur, conſtantem affirmationem fecit reſurrectionis mortuorum, & ſalutis, ac ſpei.*

2115 Hinc ego poſtquam ad imitationem Sancti Pauli oſtendi expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi ex teſtimonio Scriptorum, & revelationum, ſuſcepi ſuadendam noſtram ſententiam ex inconvenientibus ſententiæ contrariæ.

2116 Plura inconvenientia ſequuntur ex ſententiâ contrariâ, non tamen omnia perſequar, ſed nonnulla tantum, longè ſequens Sanctum Paulum, & ejus veſtigia ſemper adorans. Quod eò libentiùs faciam, quia Sanctus Paulus ſuo illo multiplici argumento probavit reſurrectionem mortuorum ex Reſurrectione Chriſti; & de expeditione Hiſpanicâ Sancti Jacobi ait Recentior illius Oppugnator, quòd ſi *Sanctus Jacobus in Hiſpaniam prædicaviſſet . . . mortuos ſuſcitaſſet.* Cùm alibi ſub disjunctione dixiſſet, quod Tirinus *Jacobum ut prædicet in Hiſpaniâ, à mortuis ſuſcitat*; ac ſi neceſſariò conjuncta eſſent prædicare in Hiſpaniâ, & ſuſcitare mortuos, atque à mortuis ſuſcitari.

2117 Ut autem hæc diſtinctè exponam, dividenda ſunt hæc inconvenientia in ea, quæ conſequuntur ad ſententiam negantem, Sanctum Jacobum prædicaviſſe in Hiſpaniâ; & in ea, quæ inuuntur ex notis inuſtis ſententiæ contrariæ; & denique in ea, quæ propalantur prohibitionibus ſententiæ negantis expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi.

ASSER-

Digitized by Google

# ASSERTIO LXV.

## *Asseritur expeditio Hispanica Sancti Jacobi ex inconvenientibus, quæ consequuntur ad sententiam, quæ eam expeditionem negat.*

2118 SEquendo admirabilem logicam Sancti Pauli, hâc Assertione probabo expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi ex inconvenientibus, quæ ad illius negationem consequuntur.

2119 Si ante Sanctum Paulum nemo prædicavit Euangelium in Hispaniâ, Sanctus Jacobus non prædicavit in Hispaniâ; hoc enim est certum, quia Sanctus Paulus non dum prædicaverat in Hispaniâ anno Æræ vulgaris quinquagesimo septimo, quo scripsit Epistolam ad Romanos. Sanctus autem Jacobus jam occisus erat anno Æræ vulgaris quadragesimo quarto.

2120 Si autem Sanctus Jacobus in Hispaniâ non prædicavit, inanis est prædicatio nostrâ, quâ ex Breviario Romano prædicamus, illum in Hispaniâ prædicasse; inane quoad hoc est Breviarium Romanum, ex quo eam prædicationem desumimus; inane est illud Sacrum volumen, cui post Sacram Scripturam, Sacraque Generalia Concilia maior est authoritas, ut ostendemus in Appendice de authoritate Breviarii Romani, cùm ex Decreto Concilii Generalis Tridentini sit restitutum, Sancti Pii V. Pontificis Maximi jussu editum, & Clementis VIII. primùm, & denuò Urbani VIII. authoritate recognitum.

2121 Si verò inanis est prædicatio nostra, & inane Breviarium Romanum, inanis est fides, quam illi habemus,

mus, & corruit tota vis authoritatis infra Divinam graviſſimæ, cùm nullus ſit liber maiori curâ expenſus, neque maiori diligentiâ recognitus, cùm inanis ſit fides Breviario Romano credentium; cui ſi inane eſt, quis citò credit, illique libro tantum *imprudentiæ vitio credere poſſumus*, ut nobis objicitur, cùmque dicat Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici cap. 19. verſ. 4. *Qui credit citò, levis corde eſt, & minorabitur*: hoc eſt, ut optimè explicat Oliverius Bonartius, Societatis Jeſu, hîc:

> *Minorabitur, id eſt, deficiet ſapientia, & judicio, deinde minor erit ejus exiſtimatio apud viros cordatos.*

Quæ omnia, ſi cadunt in nos credentes Breviario Romano recognito, fruſtra laboraverunt ſapientiſſimi viri in eo recognoſcendo juſſu Summorum Pontificum, immeritòque Pontifices illud approbavere; quæ omnia quantum abhorreant à communi piorum ſenſu, nemo non videt; quidquid nobis inſultent Critici.

2122 Cùm hoc ſit palmare inconveniens, alia etiam ſequuntur longè atrociora. Si Sanctus Jacobus non prædicavit in Hiſpaniâ, neque ille à Deo miſſus eſt in Hiſpaniam, *invenimur falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod miſerit Sanctum Jacobum, quem non miſit.* Si ille in Hiſpaniam non eſt miſſus: invenientur etiam falſi teſtes Dei, Authores, Reges, Epiſcopi, Cardinales, Summi Pontifices, Sanctique, qui dixerunt, Deum miſiſſe in Hiſpaniam Sanctum Jacobum. *Et hoc eſt peſſimum* (inquit Sanctus Thomas in 1. Corinth. 15. lect. 2.) *ſcilicet quod aliquid attribuatur Deo, quod non facit, & laudari in eo, quod non habet.* Quibus Angelicus Doctor præmittit illud Job 13. *Nunquid Deus indiget veſtro mendacio?* &c. quo etiam utitur contra Aſſertores Sancti Jacobi expeditionis Hiſpanicæ hujus Recentior Adverſarius, addens & illud:

> *Quâ ratione B. Apoſtolus, & à Chriſto Domino, qui veritas*

*ritas est, in paucis dilectus gaudebit, eâ laude, quæ vera non probatur, cùm similibus laudibus solus gaudere noverit pater mendacii?*

2123 Ex hoc aliud deterius sequitur inconveniens, nempe, quòd si Sanctus Jacobus non prædicavit in Hispaniâ, & vana est fides, quâ Breviario Romano id asserenti credimus, idque ex eo docemus, in hâcque sententiâ perseveramus, tradendo posteris, quod à maioribus accepimus, adhuc sumus in peccatis nostris, eorum scilicet mendaciorum, quibus solis gaudere novit pater mendacii.

2124 Hincque sequitur aliud pessimum, juxta illud David Psal. 33. vers. 22. *Mors peccatorum pessima.* Quia si Sanctus Jacobus non prædicavit in Hispaniâ, viri illi etiam Sanctissimi, qui postquam eam prædicationem scripsere, vel tradidere, *dormierunt in Christo, perierunt*, si non retractarunt mendacium illud, quod judicio Angelici Doctoris est pessimum. Quis autem non perhorrescet asserere periisse Sanctissimos Viros? Quis verò negabit periisse eos, quos pessimi mendacii non pœnituerit; eos, qui pessimum mendacium, cùm potuerint, non retractaverint, palinodium non cecinerint; quod maximè urget eos, qui hanc prædicationem ex revelatione Divinâ cognitam esse testati sunt. Cùm revelationes fingere reddat suspectum in Fide, ut cum pluribus docet Cardinalis Albitius de Inconstanciâ in Fide, capite 40. numero 131. pag. 520. col. 2.

2125 Postremò, si Sanctus Jacobus non prædicavit in Hispaniâ, non soli Lusitani, non soli Hispani, sed omnes Catholici *miserabiliores sumus omnibus hominibus*; & in quemque nostrum potest intorqueri illud Apocalypsis capite 3. vers. 17. *Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Nam nos esse cæcos jam

ſcripſit Neotericus Adverſarius, qui aſſeruit noſtræ ſententiæ ineſſe *cæcam pietatem.*

2126 Eſſe pauperes, ſi Sanctus Jacobus non prædicavit in Hiſpaniâ, facili negotio oſtendetur; nam ſi non eſt credendum privatis revelationibus, eam prædicationem aſſerentibus, quomodo credenda ſunt plurima beneficia, quæ à Deo ſperamus, nobis non cognita niſi ex privatis revelationibus? Quomodo ſperabimus peculiarem opem à peculiaribus Sanctis, pro beneficio piè moriendi advocatis; cùm hoc ſciri nequeat, niſi ex privatis revelationibus? Quot Sanctorum Reliquiæ laterent terrâ, oblivioneque ſepultæ, ſi non crederetur privatis revelationibus? Quot flagella numinis afflixiſſent Urbes, & provincias, niſi incolæ crederent privatis revelationibus, quibus monebantur, ut reſipiſcerent? Quot Eccleſiæ decora interibunt, ſi privatæ revelationes explodantur, ſi irrideantur, ut eas irridet impiiſſimus ille Hæreticus Martinus Kemnitius, à Cardinale Albitio loco citato reprehenſus? Kemnitius ille, cujus petulantem audaciam oppreſſit duplici volumine Clariſſimus, Illuſtriſſimuſque Vir Didacus de Paiva de Andrade, Luſitanus, inſignis Sacræ Theologiæ Doctor, & in Concilio Tridentino Luſitanorum Regis Theologus, quem effusè, ſed infra meritum, laudat Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpaniæ, & alii apud ipſum.

2127 Eſſe autem nos nudos, ſi Sanctus Jacobus non prædicavit in Hiſpaniâ, ex eo conſtat, quia ſi ſpoliamur hâc gloriâ, ſpoliamur pariter omnibus honoris ornamentis, quæ ab antiquis temporibus accepimus, ſive ea ſint Epiſcoporum Sedes, ſive Sanctorum vitæ, ſive Sacrorum cadaverum exuviæ, ſive alia Sacra monumenta, quæ per pluras annorum centurias pacificè poſſedimus ex ſolo antiquæ Traditionis teſtimonio; nam ruente Traditione

de

de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, ruere neceſſe eſt omnes Eccleſiaſticas Traditiones, ut ſapienter obſervavit Doctor eximius Pater Franciſcus Suares Granatenſis, S. J. quem nulli niſi Sancto Thomæ, vel Sancto Auguſtino conferendum, dicere ſolebat Illuſtriſſimus Hiſpaniarum Primas Archiepiſcopus Bracharenſis, olim in Conimbricenſi Academiâ Primarius Sacræ Theologiæ Lector D. D. Ludovicus de Souſâ; ait enim Magnus Suarius tomo 1. de Religione, lib. 2. de Diebus feſtis, capite *6.* numero 15.

> *Adventus Sancti Jacobi in Hiſpaniam non niſi ex ejuſdem Hiſpaniæ Traditione inquirendus eſt; hanc autem non permiſit Deus excidere, nec oblivioni tradi, nec in angulo concludi, ſed ab univerſis Eccleſiis Hiſpaniæ retineri. Quis ergo audebit huic Traditioni contradicere; aut quomodo* (nota attentè) *aliæ Eccleſiaſticæ Traditiones inconcuſſæ conſervari poterunt, ſi huic fides non adhibeatur?*

Hæc ſapientiſſimè Magnus Suares, & jure meritò, nam cùm Traditio de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ ſit celeberrima, & non ſolùm omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ, ſed totius pene Orbis, ut ſupra vidimus; certior eſt omnibus Traditionibus, infra certiſſimas, & ad Fidem Catholicam ſpectantes. Ac proinde, hâc nutante, neceſſe eſt, ut ruant omnes aliæ Traditiones, quæ licèt non fuerint à tot Populis receptæ, magni tamen fieri ſolebant. Prætereo Traditiones noſtræ Luſitaniæ, totiuſque Hiſpaniæ; nulla Traditio antiqui monumenti Eccleſiaſtici eſt vel in ipſâ Româ, quæ tam ſolidis fundamentis nitatur, quàm Traditio de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpaniâ; unde hâc Traditione ruente, omnes ruere neceſſe eſt; unde hoc ſolo ariete, poſcendi Authores coætaneos rei traditæ, evertent Critici ea Romana monumenta, quæ

repetita Barbarorum, Hæreticorumque irruptiones in æternam Urbem evertere non potuerunt. Ceſſetque Roma exponere Catholicorum pietati reliquias, quarum identitatem Authoribus coætaneis probare non poterit, ut ſunt incunabula Infantis Jeſu, Columna Chriſti, ſcala Sancta, & alia ad Paſſionem ſpectantia; ceſſent venerari ſingulari titulo pietatis, quòd à Sanctus Lucâ depicta ſit imaginem S. Mariæ Maioris; quia id non tradunt Authores coætanei Sanctus Lucæ, & deterrimus Traditionum hoſtis Calvinus negat, Sanctum Lucam fuiſſe pictorem, quia non fuit idelolatra. Ceſſent Catholici venerari Lauretanam ædem, de cujus translatione ſilent Authores coætanei. Deſinant Taurinenſes peregrinis, Principibuſque viris exponere venerandam Sanctam Sindonem, imò claudantur ferè omnia antiqua Chriſtiani Orbis Sanctuaria, ad quæ pietatis cauſâ confluunt peregrini, ſi admittatur hoc novum, & peregrinum Criticorum dogma de non admittendis Traditionibus, quæ careant Authore coætaneo rei traditæ; ex quo omnia ea, quæ non ſine horrore protulimus, ſequerentur.

## ASSERTIO LXVI.

### *Aſſeritur expeditio Hiſpanica Sancti Jacobi ex inconvenientibus, quæ innuuntur à notis ſententiæ contrariæ inuſtis.*

2128 ETſi ex ſententiâ negante expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non ſequerentur ea inconvenientia, quæ præcedenti Aſſertione recenſuimus, tamen recedendum eſſet ab illâ ad evitandas notas, quæ ipſi à graviſſimis Authoribus inuruntur. Nam licèt

licèt qui negant eam expeditionem, negent pariter ea inconvenientia, quæ diximus ſequi ex negatione illius expeditionis, tamen negare non poterunt, ſententiæ, quæ illam expeditionem negat, plures notas inuri ab Authoribus Sapientiſſimis, quorum judicia pertimeſcenda ſunt. Ego cenſuris abſtineo, obſequens præcepto Sancti Pauli 1. Corinth. cap. 4. verſ. 5. dicentis:

> *Nolite ante tempus judicare quoad uſque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; & tunc laus erit unicuique à Deo.*

Aliorum tamen cenſuras referam, quas ſententiæ neganti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, inuri à graviſſimis Authoribus, Adverſarii noſtri negare non poterunt.

2129 Negare non poterunt ſententiam negantem expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi dici à Theophylo Raynaudo, Viro acerrimi judicii, & non Hiſpano, ſed Gallo, vel Italo, *imprudentem*; quia hic Author in Diptychis Marianis, part. 1. punct. 10. num. 6. loquendo de Virgine apparente Sancto Jacobo in Hiſpaniâ degenti, ait.

> *Eam Traditionem convellere prudentis non eſt.*

2130 Negare non poterunt ſcribi à Lezanâ tomo 4. operum in Columnâ immobili, cap. 1. num. 18. ex Laurentio la Barre, Authore Gallico, in Notis ad Tertulliani libros adverſus Judæos, nota 4. *neminem ſanæ mentis* negare poſſe adventum Divi Jacobi in Hiſpaniam.

2131 Negare non poterunt Venerabilem P. Fr. Didacum Murillo, in libro inſcripto: *Fundacion de la milagroſa Capilla Angelica del Pilar*, cap. 5. pag. 39. columnâ 2. loquentem de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniâ, poſito in Breviario, edito juſſu Clementis VIII. ſcripſiſſe:

> *Quien pues ha de ſer* tan temerario, *que uſe poner duda*

en

*en una verdad tan examinada por tantas perſonas doctas, y tan mirada en particular por los Illuſtriſſimos Cardenales de la Congregacion de los Ritos, tan aprovada, y confirmada por tantos Pontifices, y tenida ſiempre en tan grande veneracion.*

2132 Negare non poterunt Eminentiſſimum Cardinalem de Aguirre, tom. 1. Concilior. Hiſpaniæ, Diſſertatione 9. excurſu 7. n. 94. col. 2. ſcripſiſſe de Apparatione Deiparæ Beato Jacobo apud Cæſarauguſtam prædicanti, eam eſſe *quam proinde nemo refutare ſine* temeritate, *aut* impietate *aliquâ poſſit.*

2133 Negare non poterunt Didacum de Avendaño, Societatis Jeſu, in Sacro Epithalamio, §. 882. pag. 692. columnâ 2. de Sancto Jacobo Maiore loquentem, aſſeveranter ſcripſiſſe:

*Dubitari de hoc in Hiſpaniam Apoſtoli adventu* ſalva pietate nequit, *quam antiquiſſima omnium Eccleſiarum in Regione illâ Traditio confirmavit.*

& inferius:

*Quomodo ergo* temerarium *non ſit, &* temerario plus *Traditioni Eccleſiarum provinciæ Illuſtriſſimæ, & numeroſiſſimæ reluctari?*

2134 Negare non poterunt Alphonſum de Requenâ, in libro inſcripto: *Venida del Apoſtol S. Pablo à Eſpaña*, cap. 7. pag. 47. ſcripſiſſe, Chriſtophorum Granado, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, diſſeruiſſe de adventu Sancti Jacobi in Hiſpaniam, *affirmando, y con mucha razon, que ſerá* mas que temerario *el negarlo.* En quæ dicit de prædicatione Hiſpanicâ Sancti Jacobi, maximus Aſſertor expeditionis Hiſpanicæ Sancti Pauli!

2135 Negare non poterunt à Reverendiſſimo Patre Fr. Hyacintho de Aranaz, Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, deſignato Archiepiſcopo Oriſtanenſi, Viro Sapien-

Sapientissimo in opere eruditissimo, inscripto: *El Cetro de la Fe Ortodoxa Maria Santissima en su Templo Angelico del Pilar*, edito Cæsaraugustæ, anno 1723. in fol. Statione 3. cap. 8. num. 11. & 12. referri plures, & graviores censuras, quibus sententia negans expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi à gravissimis Authoribus exagitatur, quas ego vel innuere perhorresco.

2136 Contempserint Adversarii severa illa maximorum hominum judicia, ego certè etiamsi fundamenta affirmantis sententiæ ignorarem, maximè deterrerer à sequendâ sententiâ negante illam expeditionem, tot, tantorumque hominum judicia pertimescens. Et tamen non sunt hæc maiora negantis sententiæ incommoda. Longè maiora proferemus Assertione sequenti.

## ASSERTIO LXVII.

### *Asseritur expeditio Hispanica Sancti Jacobi ex inconvenienti, orto ex prohibitionibus sententiæ illam negantis.*

2137 CUm primum animum adjeci ad parendum mandatis Excellentissimorum Regiæ Academiæ Censorum, mihi jubentium scribere Dissertationem hanc pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, sæpiùs dixi, me nihil addere posse iis, quæ Sapientissimi illius Propugnatores antea dixerant, nisi unum tantùm, nempe sententiam, quæ illam expeditionem negabat sæpiùs ab Ecclesiasticis Censoribus fuisse notatam, non semel ab Ecclesiasticis Judicibus fuisse damnatam; quod dixisse non potuerunt, qui superiori sæculo eruditissimè illam expeditionem propugnarunt; cùm ante scripserint, quàm

quàm ſententia negans à Judicibus Eccleſiaſticis proſcriberetur.

2138 Contemnere poſſunt, qui Hiſtoriam ignorant, & Criticen negligunt, verba Authorum, qui ſententiæ neganti expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quas diximus, notas inurunt; ſed contemnere non poſſunt Eccleſiæ fulmina, quæ libros illam negantes tetigere; neque hæc poſſunt, ſine ingenti piaculo, dici bruta fulmina.

2139 Hoc igitur maximum inconveniens ſententiæ negantis expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, & quod maximè omnium debet deterrere virum Catholicum ab eâ ſententiâ propugnandâ, nempe eſſe ab Eccleſiaſticis Cenſoribus notatam, ab Eccleſiaſticis Judicibus damnatam, ut jam demonſtro.

2140. Romani Cenſores ſub Sanctiſſimo Pontifice Innocentio XI. notarunt in operibus Natalis Alexandri hanc propoſitionem: *Sanctus Jacobus nuſquam in Hiſpanias profectus eſt*; ut aſſerit ipſe Natalis Alexander in ſecundâ editione, tomo 1. Diſſertatione 15. Propoſitione 2. Scholio 2. pag. 160. col. 1. litera E. Et libri Natalis Alexandri ab eodem Pontifice proſcripti ſunt, juſſique ignibus tradi.

2141 Anno 1707. prodiit Index librorum prohibitorum, & expurgandorum pro Regis Catholici Regnis Catholicis, in cujus tomo 1. pag. 737. Corrigitur Index Joannis Lorini in Actus Apoſtolorum, ut à Sectariis corruptus, vel ab imperitis depravatè concinnatus; verbo *Jacobus Maior*, ubi habetur: *Jacobus Maior an in Hiſpaniâ fuerit, ſub dubio eſt.* Et corrigi jubetur ſic: *Sub dubio non eſt.*

2142 Anno 1720. die 28. Auguſti Sanctiſſimo Eccleſiæ Doctori Divo Auguſtino ſacra prohibuit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus D. Didacus de Aſtorgâ

torgâ & Cespedes, Archiepiscopus Toletanus, Castellæ Maximus Cancellarius, & Quæsitor Generalis in Regnis, & terris Regi Catholico subjectis, duos libros unius Authoris, unamque Dissertationem editam sub nominibus duorum Authorum, quâ in dubium revocabatur adventus Sancti Jacobi in Hispaniam, edicti verba sunt:

*Y poniendo en duda el Autor del dicho papel la venida del Apostol Santiago a España, contraviene tambien a lo decretado por el Santo Officio en el Indice expurgatorio del año de 1707. en que mandò borrar la proposicion de la misma duda en las obras de Lorinò.*

2143 Et infra de eâdem Dissertatione loquens, ait: *Con acuerdo, y parecer de los Señores de dicho Consejo de Su Magestad prohibimos dicho papel.*

Hæc Illustrissimus, & Reverendissimus Archiepiscopus Toletanus pro expeditione Hispanicâ Sancti Jacobi, disponente Numinis Providentiâ, ut vero edicto unius Sapientissimi Archiepiscopi Toletani jugularetur sententia, quæ ortum habuit ex verbis falsò adscriptis, alii Archiepiscopo Toletano, nempe Roderico Ximenio, quæ Cardinalem Baronium à sententiâ affirmante dimoverunt, & in dubitationem impulerunt.

2144 Quanti ponderis sit authoritas judicii Sanctæ Inquisitionis cujuscumque Regni, etiam extra illud Regnum, in quo suam potestatem habet Sanctum Inquisitionis Officium, videbimus infra in Appendice de sacello Cæsaraugustano Sanctæ Mariæ de Columnâ. Hîc solùm addere libet illud Sancti Pauli ad Romanos cap. 13.

*Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

2145 Non me latet dici posse, illud edictum non

exerere vires ſuas extra Regna Regi Catholico ſubjecta, & extra illa commorantes non eſſe ſubditos illius Præſulis poteſtati, unde non feriuntur iſta Sancti Pauli ſententiâ, ac proinde illis licere expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi negare; niſi id aliâ lege univerſaliore vetetur. Sed iis, qui dicunt, ſe habere hujuſmodi licentiam, neque eam ſibi adimi proximè citatis verbis Sancti Pauli, repono ex eodem Sancto Paulo 1. ad Corinth. cap. 8. verſ. 9.

*Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.*

Repono exemplum ejuſdem Sancti Pauli, dicentis ibidem cap. 10. verſ. 2.

*Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.*

& cap. 8. verſ. 13.

*Si eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.*

2146 Cùm autem Abbas Fleury, licèt non adſtruat expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, quìa Gallus eſt, fateatur tamen in Præfatione tomi 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, oppugnationem directam illius expeditionis certis in locis, & coram quibuſdam perſonis eſſe ſcandalo, acidoſque reddere animos, & turbare caritatem; neſcio quo jure contemni poſſit ſcandalum, ortum ex illius expeditionis oppugnatione in Luſitaniâ, & in Hiſpaniâ, ne dicam in toto Orbe Chriſtiano; idque in conſpectu totius Reipublicæ literariæ, coramque Viris, quorum tanti intereſt, S. Jacobum fuiſſe primum Apoſtolum, & Prædicatorem Hiſpaniæ, illiuſque Chriſtianitatis conditorem, quanti oſtenſum eſt in primâ hujus Diſſertationis parte.

2147 Neque hujus ſcandali ſcrupulum nobis eximet ſententia illa, quæ dicitur Divi Auguſtini, quin Sancti Doctoris deſignetur locus, nempe:

*Si*

*Si ex veritate scandalum nascitur, melius scandalum nasci permititur, quàm ut veritas relinquatur.*

2148 Non eximit, inquam, hæc sententia scrupulum scandali in casu nostro, quia omissis aliis explicationibus hujus regulæ, videndis apud D. Thomam 2. 2. quæst. 43. articulo 7. & Theologos in tractatu de Caritate, ubi de scandalo, non potest probari verum esse, Sanctum Jacobum non prædicasse in Hispaniâ. Unde corruit tota vis argumenti.

2149 Præterea, in eo edicto Inquisitoris Generalis dicitur, negantes sacellum Cæsarauguſtanum fuisse erectum à Sancto Jacobo, recedere à dictamine præceptorum Apostolicorum, prohibentium scientiam inflantem; negantes autem expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, necessariâ consequentiâ negant, illud sacellum in Hispaniâ à Sancto Jacobo fuisse erectum: ergo recedunt à dictamine præceptorum Apostolicorum, prohibentium scientiam inflantem: ergo scientia negans expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, non habet veritatem; non enim licet dici habere veritatem eam sententiam, quæ discedit à dictamine præceptorum Apostolicorum.

2150 Verba Sancti Pauli, quæ respicit illud edictum, extant in 1. Corinth. cap. 8. vers. 1. & 2. ubi Apostolus ait:

*Scientia inflat, charitas verò ædificat. Si quis autem existimat se scire aliquid, non dum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire.*

Et vers. 11. manifestans scandalum, ex eâ scientiâ ortum habiturum, subdit:

*Et peribit infirmus ex tuâ scientiâ frater, propter quem Christus mortuus est.*

Quæ omnia consonant iis, quæ dixerat ad Romanos cap. 12. vers. 3.

*Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

2151 Sed abſit, ut concedam Adverſariis expeditionis Hiſpanicæ Sancti Jacobi, eos illam negare ex ſcientiâ; magis enim conſulo optimorum Virorum exiſtimationi, dum credo, & aſſero, eos in dubitationem de illâ expeditione, vel etiam ad illam negandam ex inculpabili ignorantiâ Hiſtoriæ, vel ex neglectu Critices, ut dixi in veſtibulo hujus Diſſertationis, numero 31. quàm ex ſcientiâ. Et quidem certum mihi eſt, Viros Catholicos, qui negarunt expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, vel de illâ dubitarunt, id feciſſe ex merâ ignoratione Hiſtoriæ Hiſpaniæ; unde neſcierunt quàm ſolidis fundamentis ſententia affirmativa fulciatur. Ex ignoratione verò Hiſtoriæ literariæ, quia ignorarunt quot, quantoſque Patronos iſta ſententia habeat extra Hiſpaniam, quorum plures jam produximus Aſſertionibus 49. 50. & 51. plurimoſque producemus in fine hujus libri in Sylloge Authorum. Neque indecorum eſt Magno Baronio, Viro Italo, & nunquam ex Italiæ finibus egreſſo, ignoraſſe res Hiſpanas, aut Authores, qui illius tempore, non adeo vulgati erant; multaque illorum opera, tunc vel in Bibliothecis, & Tabulariis latebant, vel manuſcripta paucis exemplaribus legebantur; unde de ipſo Baronio dixit Pater Caracciolus in Controverſiâ *de Sancti Jacobi Apoſtoli acceſſu ad Hiſpaniam* num. 80. *Cardinalem illum præclariſſimum id fortaſsè ſaltem ex parte aliquâ excuſare poterit, quod multos ex iis, quos protulimus teſtes, ſuâ ætate non dum editos, videre nequiverit.*

2152 Nec mirum tempore Cardinalis Baronii non cognitam eſſe perfectiſſimè Hiſtoriam literariam, cùm etiam num hoc decimo octavo ſæculo rei literariæ Hiſtoria juſta adhuc deſideretur, ut obſervatum habes apud Morho-

Morhofium in Polyhistore, tomo 1. lib. 1. capite 2. numero 2.

2153 De neglectu Critices audiendus est idem Caracciolus, eodem loco dicens:

> *Addo Hieronymi, & Chrysostomi loca à me adducta, vel Baronius non legit, vel si obiter vidit, fortassis (quod festinantibus, aliudque vestigantibus accidit) non admodum considerate perpendit. Itaque cùm is pleraque non legerit, pleraque autem (sed immeritò) spuria judicaverit, rem, quam alioqui sibi visus est cum Actis Apostolorum difficillimè conciliari posse, abjicere maluit, quàm firmare.*

Concluditque Controversiam illam verbis maximè ad rem, quam præ manibus habemus, dum negamus sententiæ adversæ inesse veritatem illam, quæ non est relinquenda, juxta mentem Sancti Gregorii Magni; ait enim:

> *At bene est: hujus facti veritas complusculis abhinc annis, hoc est, ab eo tempore, quo in dubium verti cæpit, & ipsa vires acquirere; atque indies, ut ritè ominor, magis, magisque acquiret.*

2154 Neque omen fefellit Patrem Caracciolum hæc ante centum annos scribentem, nam maximas acquisivit vires sententia affirmans expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, contra quam post illud edictum S. Inquisitionis, nulli jam licèt scribere in Catholicis Regnis Regi Catholico subjectis, & pro quâ jam universa Regna Catholica luculenter scripsere, ut demonstrabimus in Sylloge Scriptorum Sancti Jacobi, expeditionem Hispanicam affirmantium.

2155 Illo edicto homines, qui sententiam affirmantem oppugnant, reprehenduntur inutilis curiositatis, juxta mentem Sancti Pauli, quæstiones inutiles prohibentis Epistolâ ad Titum cap. 3. vers. 9. Reprehenditur tenacitas

tas propriæ ſententiæ, juxta dictum ejuſdem Apoſtoli 2. ad Timotheum cap. 2. dicentis:

*Sine diſciplinâ quæſtiones devita: ſciens quia generant lites: ſervum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes DOCIBILEM, patientem, cum modeſtiâ corripientem eos, qui reſiſtunt veritati.*

Illo edicto declarantur verè Sapientes, qui affirmant expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, reprehenduntur-que, qui illorum unanimi conſenſui non objiciuntur, contra id, quod præcipit Sanctus Paulus, Philippenſ. cap. 2. verſ. 2. & 3.

*Idem ſapiatis, eandem caritatem habentes unanimes id ipſum ſentientes nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.*

Illo edicto inuitur negantes expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non aſſentiri iis, quæ inducunt ad fervorem devotionis, Religionis, & pietatis; cùm è contra dicat Apoſtolus Epiſtolâ 1. ad Timoth. cap. 4. verſ. 7.

*Pietas autem ad omnia utilis eſt.*

2156 Hæc ſunt inconvenientia, quibus maximè deterreri debemus à ſententiâ negante expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi; quæ graviſſimo Sancti Inquiſitionis judicio cenſetur adverſari pitetati. Neque quis ſibi blandiatur, de eo, quòd ipſa arriſerit nonnullis exteris doctrinâ claris, quia omnes monet Sanctus Paulus Hebr. 13. 9.

*Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

Scio, eam ſententiam placere ob novitatem illis, qui cum eo ſene apud Calphurnium Ecglogâ 7. verſ. 45. dicunt:

——— *omnia certè*
*Villia ſunt nobis quæcumque prioribus annis*
*Vidimus, & ſordet quidquid ſpectavimus olim.*

Sed

Sed pluris faciendum est præceptum Sancti Pauli ad Timotheum Epistol. 1. cap. *6.* vers. 20. ubi Traditionem commendans, novitates improbans, falsam Criticen damnans, & illius periculum manifestans, ait:

> *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa Fidem exciderunt.*

Quibus certè verbis percelluntur Centuriatores Magdeburgenses, primi nempe oppugnatores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi; qui *depositum non custodierunt*, qui Traditiones Ecclesiasticas repudiarunt, *profanas vocum novitates non devitarunt*, quia verè se exhibuerunt Novatores, quo in loco ex textu Græco legitur *vocum inanitas*, quam lectionem sequuntur Theophylactus, & Oecumenius, quocirca audiendus est Estius, in hunc locum dicens:

> *Quod si legimus* vocum inanitates, *sensus erit notari quorundam facilem, inanem, & clamosam loquacitatem, eamque profanam, id est, impuram, & pietati noxiam.*

Quæ bellè quadrant Novatoribus Magdeburgensibus, qui etiam minimè devitaverunt, *oppositiones falsi nominis scientiæ*, hoc est, *figmenta nullâ probatione subnixa*, ut exponit idem Estius, qui cùm essent Magistri erroris se Veritatis Doctores professi sunt. Dumque elevant Historiarum fidem, *circa fidem exciderunt.*

2157 E' contra verò describunt eadem Apostoli verba Defensores expeditionis Hispanicæ Sancti Jacobi, qui custodientes depositum antiquissimæ Traditionis Ecclesiasticæ, *devitant novitates*, negantium expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi, ab antiquis traditam, & scriptam. Quæ quidem juremerito dici possunt *profanæ*, quia non sunt Ecclesiasticæ, sed recedentes à sensu Ecclesiæ approbantis, & prædicantis illam expeditionem, illamque Ecclesiasticam Traditionem. *Devitant oppositiones falsi nominis*

*minis ſcientiæ*, non enim utuntur figmentis nullâ probatione ſubnixis, ſed validiſſimis argumentis, illam expeditionem moraliter certam reddentibus, neque à Fide exciderunt; quia magno Dei beneficio in Hiſpaniâ, & Luſitaniâ conſtantiſſimè ſervata eſt, & ſervabitur Fides Catholica, idque primi illarum Apoſtoli Sancti Jacobi beneficio; ut teſtatum reliquit Illuſtriſſimus Dominus D. Antonius Calderon, deſignatus Archiepiſcopus Granatenſis, in opere inſcripto: *Excelencias del Glorioſo Apoſtol Santiago*, parte 2. lib. 2. cap. 7. num. 21. & dum propugnant expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi, ſunt verè *Timothei*, hoc eſt, *honorantes Deum*, ut explicat Du Mortier in Etymologiis Sacris Greco-Latinis verb. *Timotheus*; nam illa expeditio fuit honorifica Chriſto Domino, vero Deo, ut demonſtratum eſt hâc Diſſertatione, parte 1. Aſſertione 8.

2158 Ex hucuſque dictis conſtat, expeditionem Hiſpanicam Sancti Jacobi non ſolùm eſſe meritò aſſertam, ſed etiam ex Sancto Paulo Apoſtolo, & Doctore Gentium eſſe apertiſſimè confirmatam, qui fuit hujus longiſſimæ Diſſertationis ſcopus; an ipſum attigerim, vel è contra ab illo aberraverim, aliorum eſto judicium, quod certum, ſyncerum, ſanctumque erit, ſi ſecluſo partium ſtudio, omnia non populari quâdam trutinâ examinentur, ſed probentur exactiſſimâ artificis ſtaterâ; & ſi omnis æſtimatio, ſiclo Sanctuarii ponderetur, hoc eſt, ſi omnia exigantur ad Hiſtoriæ fidem, ad Critices facem, & ad pietatis lucem; cùm Hiſtoriæ ignorantia, neglectus Critices, & pietatis oblivio non niſi incertum, corruptum, voluntarium, & intolerandum judicium ferre poſſint.

EPI-

# EPILOGUS.

2159 ETsi multa prætermiserim in hâc Dissertatione, quibus expeditio Hispanica Sancti Jacobi uberiùs demonstraretur, quæ legi possunt apud Doctissimos illius Propugnatores, tamen longiùs hæc progressa est lucubratio, quam, dum illam inciperem, existimavi. Unde manus tandem de tabulâ tollenda est, sufficiatque demonstrasse sententiam, quæ illam expeditionem affirmat, adeo solidis niti fundamentis, ut nullâ vi, aut arte convelli possint; & de quibus liceat dici, quod de aliis dixit Doctissimus Adversarius noster Natalis Alexander, Dissertatione 17. sæculi primi, propositione 1. pag. 179. columnâ 1. A. nempe:

*Hujus Impugnatores Traditionis, si qui degeneris nobilitate gloriantur, vel hereditaria feuda, agros, domos, reditus possident, adeo antiquis, ac firmis titulis nobilitatem suam, ac possessiones vindicare non posse, confidenter dixerim: quos si litigiosi homines falsi postularent, ingeniosis fortè, sed levibus fisi conjecturis, illorum conatus acriter, ac vehementer repellerent.*

2160 Sufficiat solvisse omnia argumenta, quæ contra illam expeditionem ab Adversariis nostris iterantur; ut demonstretur nihil esse, quod nos ab illius propugnatione possit deterrere.

2161 Sufficiat demonstrasse, illam Sancti Jacobi expeditionem fuisse solo, Cœloque honorificentissimam, ut proinde alliciamur ad eam totis viribus vindicandam.

2162 Cùm autem contrariorum eadem sit ratio, juxta axioma in scholis tritum. Ostensum pariter est, ni-

hil esse, quod nos alliciat ad amplectendam sententiam illi expeditioni adversantem, utpote quam nulla sustinent fundamenta, cùm destituatur convincentibus argumentis; & quam quis sequi non potest, nisi succumbendo leviſſimis, imò nullius ponderis momentis, jam profligatis. Nihil esse unde arridere possit ea sententia, ex quâ nulla in Ecclesiam utilitas, nulla in Defensores gloria derivatur, nequidem ingenii, aut eruditionis; cùm ingenii non sit cedere levibus objectionibus; neque eruditionis præ se ferre Historiæ ignorationem, aut Critices neglectum, quod fieri necesse est ab iis, qui Sancti Jacobi expeditionem Hispanicam negare velint, ut diximus num. 31. Præterea, quomodo quis aucupari potest gloriam eruditionis, suscipiendo defensionem ejus sententiæ, ad cujus propugnationem progrediendum est per conculcatam magnâ ex parte Encyclopædiam; præsentim per abrogatas leges Logices, quibus damnantur syllogiſmi pseudographi, & argumenta, quæ constant ex præmiſſis purè negativis.

2163 Non solùm non habet sententia negans expeditionem Hispanicam Sancti Jacobi quidpiam, quod ad illam sequendam invitet, sed plurima continet, quæ ab illâ propugnandâ deterreant. Multa præteream, septem tantummodo capita perstringam.

2164 Primum est, opponi piæ, & antiquæ Tradioni Ecclesiasticæ.

2165 Secundum est, opponi confertiſſimo agmini Clariſſimorum hominum, qui pro contrariâ stant, cùm sint dignitate, & sapientiâ præstantiſſimi, ut sunt Pontifices, Reges, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Viri Religiosi omnium fere Ordinum, aliique sapientiſſimi, qui illam expeditionem totis viribus asseruerunt, & vindicarunt.

Tertium

2166 Tertium eſt, opponi Clariſſimis revelationibus privatis piiſſimorum capitum.

2167 Quartum eſt, opponi Breviario Romano, eam expeditionem diſertè affirmanti.

2168 Quintum eſt, ire dejectum columnam Cæſar-auguſtanam, Templumque à Divo Jacobo conſtructum ad ripam Iberi fluminis, imminuereque pietatem erga Auguſtiſſimam Virginem Mariam ibi cultam.

2169 Sextum eſt, fuiſſe ſæpiùs publicè proſcriptam, & duplici gladio jugulatam, multiplicique fulmine perculſam, ut conſtat ex citatis Indice librorum prohibitorum, & edicto Inquiſitoris Generalis, & ex Decreto Philippi V. Regis Catholici.

2170 Septimum, & maximè formidandum, eſt adverſari doctrinæ Sancti Pauli Apoſtoli, ut ſupra vidimus à numero 2155.

2171 Ad finem hujus Diſſertationis propero, utens verbis Natalis Alexandri, citato in loco dicentis:

*Has partes, ut ſuſciperem, effecit abhorrens à novitate indoles, & quod Catholici, ac Religioſi Theologi officium eſſe duxerim Traditiones Eccleſiarum, ubi de illarum originibus agitur, ſequi potiùs, quàm evertere: Veterùmque Patrum opera, quantum fieri poteſt, tueri; nec conſentire Hæreticis, illa Fidei, ac diſciplinæ propugnacula, puros illos Traditionum Apoſtolicarum latices ad inferiora ſæcula detrudentibus, & Authoribus ignotis tribuentibus.* Non *enim* in deſtructionem; ſed in ædificationem *talentum qualecumque ſcribendi à Deo mihi collatum arbitror. Minus eruditus, & reconditioris literaturæ minus peritus hoc nomine videar Neotericis quibuſdam Criticis, à quibus laudari meruiſſem, ſi Launoianas opiniones adoptaſſem, & quas dilui objectiones, probationum loco poſuiſſem; officio nihilominus fungar meo, inani gloriolæ*

*riolæ non militans, quam ſpernere Doctor Chriſtianus debet, ſed uni Deo placere, & vere ſapientibus probari curans.*

Hæc de ſe Natalis Alexander. Hæc eadem de me dicere poſſum. Quod attinet ad noſtræ ſententiæ Adverſarios, ſi quæ hâc Diſſertatione ſcripſi, non perfunctoriè perpenderint, de illis id mihi habeo polliceri, quod de aliis ſcripſit Sanctus Auguſtinus, lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiſſione, cap. 17. tomo 10. columnâ 9. B. & verbis Sanctiſſimi Doctoris, totam hanc Diſſertationem ſubſigno, de illiſque dico:

*Non magno molimine refellendi ſunt. Quando enim ſecum ipſi ſine certandi ſtudio cogitaverint, quàm ſit abſurdum, nec dignum diſputatione, quod dicunt, continuò ſententiam commutabunt. Quod ſi noluerint, non uſque adeo de humanis ſenſibus deſperandum eſt, ut metuamus, ne hoc cuiquam perſuadeant. Ipſi quippe, ut hoc dicerent, alicujus alterius præjudicio, niſi fallor, impulſi ſunt.*

# FINIS.

*Laus Deo, Virginique Matri, Sanctis Apoſtolis Jacobo, & Paulo, Caietano Parenti meo, & Sanctæ Virgini Tereſiæ.*

Digitized by G

## ERRATA IN PRIMO VOLUMINE CORRIGENDA.

| Num. | linea | *Errata.* | *Corrige* |
|---|---|---|---|
| 2 | 6 | jus eſt, | quidem jus eſt |
| 17 | 7 | Bartoloceii | Bartoloccii, |
| 22 | 3 | quam | quem |
| 25 p.13 | 9 | Cardinali Salgo | Cardinali Toleto. |
| 28 p.15 | 6 | veniſſe, Sanctum | veniſſe aiunt, Sanctum. |
| 31 | 17 | ex Authorum, | ex Authoribus. |
| 34 | 6 | eaque | & ea quæ |
| Ibidem | 15 | Boſſuct | Boſſuet |
| Ibidem | 16 | Richerdum | Richardum |
| 48 p.25 | *no reclamo* | retrahere | detrahere |
| 50 | 7 | cap. ait | cap. . . . ait |
| 53 | 6 | quarum prima | in quarum prima. |
| 56 | 14 | redegerent | redigerent |
| 68 p.36 | 3 | Iſagoge | Iſagoges |
| 95 p.51 | 3 | fugillant | ſugillant |
| 96 | 11 | Hiſpaniarum | Hiſpanicarum |
| 105 | 9 | Hiſpanâ | Hiſpania |
| 108 | 2 | Hiſpaniæ | Hiſpanicæ |
| 157 | 22 | Seribonianus | Scribonianus |
| 191 | 4 | quod | quo |
| Ibidem | 8 | qno | quo |
| 234 p.107 | 4 | verbum | regnum |
| 251 | 2 | verſ. | verſ. 19. & 20. |
| 270 | 9 | hyperpolen | hyperbole |
| 289 | 13 | Homillia | Homilia |
| 307 p.137 | 11 | Hiſpanim | Hiſpaniam |
| 315 | 2 | Diſput. | Diſput. 1. |
| 379 | 4 | ipſa dies | ipſâ die |
| 384 | 10 | ferabantur | ferebantur |
| 388 | 1 | penes eſqui ſæculare | pene ſeſquiſæculare |
| 391 | 2 | Sancti Joanni | S. Joannis |
| 432 p.188 | 9 | de duodecim, ſcribitur | de duodecim annis, ſcribitur. |
| 472 | 15 | expoſui | expoſuit |
| Ibid. p.213 | 10 | alii Apoſtoli | aliis Apoſtololis. |
| 483 | 12 | capite 194. | pag. 194. |
| 555 | 2 | excribere | exſcribere |
| | 6 | Antonius | Antoninus |

# ERRATA

| | | | |
|---|---|---|---|
| 574 | 20 | aſſerenti | aſſerentis |
| 591 p.265 | 9 | mendatio | mendacio |
| 604 | 4 | Clichtonæus | Clichtovæus |
| 605 | 5 | literatiſſimus, totum | literatiſſimus. Totum |
| 608 p.273 | 11 | Gartiam | Garciam |
| Ibidem | | Thomam, Davila | Thomam Davila |
| 617 | 6 | paſſus, ſit ſed | paſſus ſit, ſed |
| 618 | 14 | Jacobi. | Jacobi? |
| 638 | 13 | ocntemplando | contemplando. |
| 663 | 1 | Quinto | Sexto |
| 664 | 1 | Sexto | Septimo |
| 688 p.310 | 6 | ſi demus | ſi demas. |
| Ibid. p.311 | 7 | Mamotractis | Mamotrectis. |
| 692 | 2 | diffitetur | diffiteor |
| 702 | 3 | indubium | in dubium |
| | 8 | apparationem | apparitionem |
| 704 | 2 | ſuppoſitium | ſuppoſititium |
| 749 | 18 | E eodem | Et eodem |
| 750 | 6 | Amboſio | Ambroſio |
| 765 | *ultima* | reliquuntur | relinquuntur |
| 812 | 17 | ſiſcitari | ſciſcitari. |
| 836 p.378 | 7 | De Calvianis | De Calvinianis |
| 868 | 8 | Oorigine | Origine |
| 873 | 19 | exſilierat | exilierat. |
| 879 | 2 | ſenticetâ | ſenticeta |
| 942 | *per errorem ſcriptus eſt* 492. | | |
| 948 | 9 | Sacratem | Socratem |
| 970 | 4 | num. . . . | num. 842. |
| 972 | 7 | Fleures | Fleury |
| | 9 | lacrimis | lacrymis |
| | 10 | Fleures | Fleury |
| 976 p.437 | 2 | proficere | proficerem |
| 1045 | 3 | ruinono | ruinoſo |
| 1072 | 1 | deficile | difficile |
| 1075 | 2 | decimam | decimum. |
| | 9 | ſuppoſitum | ſuppoſitium |
| 1085 | 2 | prætea | præter |
| 1109 | 9 | ſuppoſitium | ſuppoſititium |
| 1118 | 5 | Aſſertionibus . . . | Aſſertionibus 17. & ſeqq. |
| 1161 | 15 | *conſequabatur* | *conſequebatur* |
| | 24 | Sancti Joanne | Sancto Joanne |

# ERRATA

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1210 | 2 | Andreas Sanſſayus | Andreas Sauſſayus, *& ita lege ſemper.* |
| 1217 | 5 | anno 787.) Act. 6. | anno 787. Act. 6.) |
| 1223 | 9 | anno . . . | anno 1722. |
| | | condita . . . | condita 2. |
| 1226 | 3 | ſummo eum | ſummo cum |
| 1235 | 10 | Ventorum civitatem | Venetorum civitatem. |
| 1238 | 16 | Caſſenenſis | Caſſinenſis. |
| 1246 p.546 | 3 | Aſſertione... num... | Aſſertione 45. num. 1054. |
| 1250 | 5 | eſte | eſt |
| 1255 | 23 | Barba | Barbara |
| 1264 | 3 | nos | non |
| 1281 | 7 | Nicolaus Suarius | Nicolaus Serarius |
| 1287 | 10 | Hyecynthi | Hiacynthi |
| 1328 | 14 | contractionem | contractiorem. |
| 1330 p.584 | 8 | Sanctus | Sancto |
| 1363 | 6 | vicium | viciſſim |
| 1372 | 5 | reliquis | reliquiis |
| 1416 | 8 | emmiſſum | emiſſum |
| 1420 | 6 | Bralio | Braulio |
| 1424 | 15 | ſecundo | ſecundus |
| 1429 | 6 | ceptum | cæptum. |
| 1434 | 14 | abſtinuiſſet | abſtinuiſſent |
| Pag. 625 ℣. XII. | | Calixtus | Callixtus *& ita lege ſemper* |
| 1502 p.658 | 3 | *Uq ſue* | *Uſque* |
| 1524 | 2 | Bergonenſis | Bergomenſis |
| Ibid. p.665 | 5 | edidit, | edidit) |
| 1526 p.666 | 15 | *iter ingreſſus eſt, noſtri* | *iter ingreſſus, noſtri* |
| 1530 | 2 | Guillaudus | Guilliaudus |
| 1553 | 3 | Amonitione | admonitione |
| 1558 | 25 | addictiſſimam | addictiſſimum |
| 1562 | 10 | Aſſertionibus . . . | Aſſertionibus 11. 15. 16. & 48. & ſeqq. |
| 1564 | 3 | Lorente | LLorente |
| 1569 | 6 | opinior | opinor |
| 1617 p.702 | 2 | edificando | ædificando |
| 1637 | 1 | utranque | utramque |
| 1704 | 17 | præſertium | præſertim |
| 1746 | 16 | veriuſque momenta | partis utriuſque momenta |
| 1755 | 6 | Pſalm. 431. | Pſalm. 43. 1. |
| 1760 | 8 | *iſte* | *iſto* |

# ERRATA

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1774 | 12 | uter | utar |
| 1813 p.767 | 2 | Mozorabe | Mozarabe |
| 1815 | 8 | Silicci | Silicei. |
| 1836 | 7 | poteſta | poſtea |
| 1853 p.782 | 7 | uter | utar |
| 1862 p.787 | 9 | num . . . | num. 2024. |
| 1877 | 7 | deformem | diformem |
| 1897 p.801 | 1 | Antonium | Antoninum |
| 1924 | 1 | Dalmatos | Dalmatas |
| 1942 | 7 | Herois | Heroe |
| | 8 | meriti | merito |
| 1977 | 15 | Dicaco | Didaco |
| Pag. 841 | 3 | *illuſtrati* | *illuſtraſti* |
| 1990 | 12 | *æternæ Deus* | *Sempiterne Deus* |
| 1013 | 2 | Eunominum | Eunomium |
| 2037 | 6 | ſcripſitarunt | ſcriptitarunt |
| 2082 | 2 | Perergon | Parergon |
| 2099 | 11 | Septembre | Septembri |
| 2112 | 9 | poterat | poterant |
| 2114 | 3 | Cherinthianos | Cerinthianos |
| 2127 p.900 | 7 | Sanctus | Sancto |
| | 8 | imaginem | imago |
| | 9 | Sanctus | Sancti |
| | 11 | idelolatra | idololatra. |
| 2155 p.910 | 9 | objiciuntur | ſubjiciuntur |
| | 16 | inuitur | innuitur |
| 2156 | 3 | Sancti | Sanctæ |
| | 4 | pitetati | pietati. |
| 2162 p.914 | 16 | præſentim | præſertim |

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google